

10081

Pilat. LVII 27-(9

Digitized by Google

SBN

THEOLOGIA MORALIS

DIVI

ALPHONSI DE LIGORIO

EPISCOPI S. AGATHÆ GOTHORUM, ET RECTORIS MAJORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS,

ADJUNCTA IN CALCE PERUTILI INSTRUCTIONE AD PRAXIM CONFESSARIORUM,

UNA CUM ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

JOANNIS DOMINICI MANSI ARCHIEPISCOPI LUCENSIS

EPITOME DOCTRINÆ MORALIS, ET CANONICÆ EX OPERIBUS BENEDICTI XIV.

EDITIO NOVISSIMA NEAPOLITANA,

IN QUA PRÆTER EA OMNIA, QUÆ IN CETERIS ADDITA FUERE,

Auctor ipse plura olim reformavit, aliquibus sententiis clarius explicatis, aliis de novo additis, aliis re melius perpensa immutatis, et novas animadversiones magni ponderis adjecit.

TOMUS NONUS.

NEAPOLI, 1842.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.
Superiorum permissu ac privilegio.

Digitized by Google

LIBER VII.

De Censuris Ecclesiasticis, et Irregularitatibus.

CAPUT I.

De Censuris in genere.

DUBIUM I.

Quid sit Censura Ecclesiastica?

1. *Quid est Censura?*
2. *An Censura privet bonis internis?*
3. *An Degradatio, vel Depositio sit Censura?*
4. *An cessatio a Divinis?*
5. *An Irregularitas? de qua vide etiam infra num.* 351.

1. » REsp. Est pœna spiritualis, et medici-
» nalis, per quam homini baptizato delinquen-
» ti, ac contumaci, per potentiam Ecclesiasti-
» cam aufertur usus quorumdam spiritualium
» bonorum. *Laym. l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 1. *
» (*Nota verbum* medicinalis. *Et ideo non sunt*
» *excommunicandi ii, de quibus correctio de-*
» *speratur, nisi fiat ad terrorem aliorum. Salm.*
» *Tract.* 10. *de Cens. cap.* 1. *num.* 10. *cum S.*
» *Thoma*) *.

Unde resolves.

2. » 1. Per censuram non privatur homo
» bonis mere internis, v. gr. charactere, po-
» testate ordinis, nec bonis propriis, ac pri-
» vatis: v. gr. fide, caritate, gratia, etc. *
» (*Nec communione Sanctorum radicaliter de-*
» *rivante ex fide, et caritate. Vide Salm.*
» *num.* 8.) * sed quibusdam externis, et pu-
» blicis, sive actionibus, quæ habent spiritua-
» lem aliquem effectum, vel commodum, ut
» sunt sacrificium, officium divinum, benefi-
» cium, administratio, et susceptio Sacramen-
» torum, indulgentia, publica Ecclesiæ suffra-
» gia: quia hæc et non illa, subsunt disposi-
» tioni Ecclesiæ. Unde, si interdum privetur
» bono alieno temporali, verb. gr. convictu
» humano per excommunicationem, id tantum
» fit secundario.

» 2. Exilium, carcer, servitus, privatio
» beneficii, nisi adjunctam habeant suspensio-
» nem aliquam spiritualium actionum, non
» sunt censuræ, quia sunt pœnæ temporales.

3. » 3. Nec degradatio, vel depositio est cen-
» sura; quia, etsi sit pœna spiritualis, non ta-
» men medicinalis, sed perpetua, et ob pec-
» catum præteritum, etiam emendatum, potest
» infligi. * (*Ita verius, et communius Salm.*
» *c.* 1. *n.* 12. *cum Suar. Barb. Pal. Con. Val. etc.*
» (*contra Gut. Ledes. etc.*) *et clare colligi-*
» *tur ex c. Quærenti de Verb. signif. ubi sic*
» *habetur: Quærenti, quid per censuram Ec-*
» *clesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi*
» *clausulam in litteris nostris apponimus? Re-*
» *spondemus, quod per eam non solum interdi-*
» *cti, sed suspensionis, et excommunicationis*
» *sententia valeat intelligi*) *.

4. » 4. Nec cessatio a divinis, quia non im-
» ponitur per modum medicinæ ad tollendam
» contumaciam, sed ad propulsandam injuriam
» Ecclesiæ factam.

5 » 5. Nec irregularitas, sive sit ex defectu,
» quia hæc non est pœnalis, sed tantum impe-
» dimentum canonicum; sive sit ex delicto,
» quia hæc non irrogatur per modum pœnæ
» medicinalis, sed punitivæ, et ex se perpetuæ.
» Unde nec tollitur per absolutionem, sicut
» censura, sed per dispensationem. *Bonac. d.*
» *1. q. 1. p. 1.* * (*Idem docent Suar. tom.*
» *5. D. 1. Sect. 3. Ban. D. 1. q. 1. p. 1.*
» *num. 4. Contin. Tournely tom. 2. pag. 387.*
» *Salm. c. 1. num. 12. Pal. D. 1. p. 1.*
» *num. 3. etc.* (*contra Sot. Bon. Cov. etc.*).
» *Et huic sententiæ favet etiam Benedictus*
» *XIV. in Epist. Encycl.* Inter præteritos,
» *edita 3. Dec. 1749. §. 50. Vide dicenda n.*
» 351.) *.

» 6. Quando in Jubilæis, vel privilegiis da-
» tur potestas absolvendi a censuris, non com-
» prehenditur irregularitas, nisi expresse adda-
» tur. * (*ut declaravit idem Benedictus XIV.*
» *l. c.*) *.

DUBIUM II.

Quotuplex sit Censura?

6. *Quotupliciter Censuræ dividantur. An censuræ latæ ab Episcopo in Synodo sint perpetuæ, et tamquam latæ a jure?*
7. *Quando Censuræ reputentur esse latæ sententiæ?*
8. *Quando ferendæ?*

6. » REspond. Dividitur I. essentialiter in » Excommunicationem, Suspensionem, et In- » terdictum, II. Accidentaliter in eam quæ est » a jure, et fertur per Canones, Constitutio- » nes, vel Statuta Ecclesiastica, stabili ac per- » manente lege; et eam, quæ est ab homine, » quæ scilicet fertur a judice, vel Prælato, » per modum mandati, vel sententiæ judicia- » riæ. Estque vel particularis, circa factum ali- » quod particulare, aut certas personas; vel » generalis, quæ nulla singularis facti, aut per- » sonæ determinatione fertur. * (*Nota igitur, » quod censuræ, quas fert Episcopus in Syno- » do Diœcesana, dicuntur latæ per modum » Statuti; et hæ tamquam latæ a jure durant » post mortem Episcopi. Aliæ vero extra Sy- » nodum dicuntur latæ ab homine per modum » præcepti, seu mandati, aut sententiæ; et hæ » per mortem ferentis cessant, sive præceptum » sit particulare, sive generale. Ita Ronc. cap.* » 1. *q.* 2. *Salm. de Censur. c.* 1. *n.* 16. *Croix* » *l.* 7. *num.* 7. *cum Dicast.*) *. III. In eam, » quæ est sententiæ *latæ*, quam scilicet jus, » aut judex statuit ipso facto, quo quis v. g.

» contra legem facit, sine alia sententia incur-
» rendam: et in eam, quæ est *ferendæ*, quam
» jus, aut judex non vult ipso facto incurri,
» sed per sententiam infligi. Pro quibus digno-
» scendis consideranda sunt verba, quibus cen-
» sura fertur; quæ, si includant alterius actio-
» nem, seu ministerium, significant censuram
» esse sententiæ ferendæ; latæ vero, si non in-
» cludant. Si vero ambigua sint, teneri potest
» regula 49. juris in 6. quod in dubio circa pœ-
» nas benignior interpretatio sit facienda.*
» (*Ita etiam Sporer pag.* 116. *n.* 6. *Contin.*
» *Tourn. tom.* 2. *pag.* 381. *Concina tom.* 10.
» *pag.* 415. *n.* 5. *item Fill. Mach. etc. cum*
» *Salm. de Cens. c.* 1. *n.* 18. *ex c. Odia*,
» *et ex c. In pœnis*, *De Reg. Juris in* 6.)*.

Unde resolves.

7. » I. Est censura latæ sententiæ. 1. Si ver-
» ba sint præteriti, aut præsentis temporis,
» v. g. excommunicavimus, excommunicatur,
» est, fuit, excommunico, suspenduntur; in-
» terdicuntur, volumus, aut jubemus esse ex-
» communicatum, suspensum, etc. 2. Si adda-
» tur particula, ipso jure, ipso facto, vel sine
» alia sententia. 3. Si verba sunt imperativi
» modi, v. g. Incidat in excommunication em,
» maneat interdictus, etc. Ratio, quia hæc
» omnia nullius actionem interponunt.

8. » II. Sententiæ ferendæ est, saltem ut
» plurimum, 1. Si verba sint futuri temporis,
» v. g. excommunicabitur, suspendetur. * (*Ita*
» *Tournely d. pag.* 381. *et Concina pag.* 415.
» *n.* 5.)* volumus excommunicetur, suspen-
» datur, volumus excommunicari. * (*Ita Spo-*
» *rer pag.* 116. *n.* 6. *sed vide hic in fin.*)*.

» 3. Si verba sint minatoria, v. gr. sub pœna ex-
» communicationis, sub interminatione anathe-
» matis, etc. nisi tamen ex adjunctis aliud col-
» ligatur. * *Ita etiam Salm. c. 1. n. 13. cum*
» *Fill. Avila, etc. Concina pag. 415. num. 5.*
» *et Tournely to. 2. pag. 381. Item si dica-*
» *tur:* Volumus excommunicari, suspendi, etc.
» *Roncaglia p. 50. q. 2. Si autem dicatur,* Ex-
» communicatus sit, *Bonac. Hurt. etc. cum*
» *Salm. n. 19. tenent excommunicationem esse*
» *latæ sententiæ; sed Sanch. Laym. ib. etc. vo-*
» *lunt esse ferendæ. Utraque est probabilis. Si*
» *dicitur:* Anathema sit, *Sanch. et Dic. apud*
» *Croix l. 7. n. 9. dicunt esse ferendæ (con-*
» *tra Suarez et Tournely pag. 381.) nisi fiat*
» *contra hæresim. Quod autem ait Bus. si di-*
» *catur*, excommunicetur, suspendatur, etc.
» *intelligi ferendæ sententiæ, hoc explicandum*
» *est, si præceptum excommunicandi, suspen-*
» *dendi, etc. alteri (puta Episcopo) impona-*
» *tur. At si absolute modo imperativo profer-*
» *tur, Censura dicenda est latæ sententiæ, ut*
» *pro certo asserit Bonac. de Cens. D. 1. q. 1.*
» *p. 1. n. 7. et communiter docent Sylv. Ang.*
» *Arm. Suar. Vasq. Avila, et Dic. apud Croix*
» *lib. 7. n. 9.)* *.

DUBIUM III.

Qui possint ferre Censuram, et in quos?

9. *Qui possit censuram ferre?*
10. *Ex potestate ordinaria possunt. I. Papa. II. Episcopi. An autem eorum Vicarii? III. Prælati Regulares. IV. Concilia, et Capitula. V. Qui hoc habent ex privilegio.*

11. *Quis possit ferre censuras ex potestate delegata? Non possunt* 1. *Parochi.* 2. *Laici.* 3. *Feminæ.*

12. *Quot conditiones requirantur, ut quis possit censuram ferre? I. Ut sit vir. II. Baptizatus. III. Tonsuratus. IV. Compos rationis. V. Ut habeat jurisdictionem expeditam. VI. Ut libere agat.*

13. *Quæ conditiones requirantur, ut quis possit censura ligari? I. Ut sit homo. II. Baptizatus. III. Compos rationis. An ebrii, vel amentes ad tempus?*

14. *An impuberes doli capaces?*

15. *IV. Ut sit subditus.*

16. *An Reges?*

17. *An peregrini?*

18. *V. Ut sit persona determinata, quoad excommunicationem.*

19. *An excommunicatio in Communitatem sit valida, et licita?*

20. *Prælati Regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes.*

21. *Qu. I. An Episcopus existens extra Diœcesim possit ferre censuras in subditos.*

22. *Qu. II. An contra, existens in Diœcesi possit ligare censura subditum extra degentem?*

23. *Q. III. An subditus delinquens extra Diœcesim, incurrat censuram latam per præceptum in futuros delinquentes?*

24. *An Monasteria Regularium sint loca exempta?*

25. *Quid si agatur de damno resarciendo?*

26. *Qu. IV. An Episcopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua Diœcesi?*

27. *Qu. V. An censura, lata generaliter, liget alienigenas?*

28. *Quomodo quis ligari possit pluribus censuris?*

9. » RESP. I. Censuram ferre potest omnis, » ac solus superior Ecclesiasticus, habens in » foro externo, seu contentioso jurisdictionem, » sive ordinariam, sive delegatam. * (*Est de » Fide contra Novatores, quod Ecclesia potestatem habet ferendi censuras, quibus suos subditos bonis spiritualibus privet, ex Conc. Const. sess. 8. Err. 3 et ex Bullis Martini V. » et Leonis X.*) *.

10. » Porro ordinariam, quæ est ratione officii, vel alterius juris, potestque delegari Clerico Clericatus privilegio gaudenti, ut *Bon. d. » 1. q. 1. p. 2. Laym. l. 1. t. 5. par. 1. c. » 3. n. 1. ex c. cum Ecclesiarum, S. Thom.* » etc. docent, habet I. Papa respectu totius » Ecclesiæ. II. Patriarchæ, Archiepiscopi * » (*Respectu tantum subditorum suæ Diœcesis, » non vero aliarum suffraganearum, nisi tempore Visitationis, aut nisi causa sit per appellationem ad ipsos devoluta; Palaus D. 1. » p. 4. n. 2. Conink. D. 1. dub. 4 n. 31. et » Salm. c. 1. n. 20. ex c. Venerabilibus, de » Sent. excom. in 6.*) *, Episcopi * (*Dummodo sint confirmati; esto non consecrati, » quia per confirmationem jam accipiunt jurisdictionem; Tourn. p. 287. et Salm. d. num. » 20. ex c. Transmissam de Elect.*) *, eorumque Vicarii Generales * (*Hoc tamen negant » Sayr. Ugolin. et alii apud Croix l. 7. n. 24. » sed verius affirmant cum Busemb. Fagnan. in » c. Quoniam de Offic. Del. n. 15. Bonac. q.*

» 1. *p.* 2. *n.* 5. *Tourn. tom.* 2. *p.* 388. *item*
» *Suar. Sanch. Gutt. Garc. et plures apud Croix*
» *l. c. Quia hoc pertinet ad ordinariam pote-*
» *statem Vicarii, qui cum Episcopo unum fa-*
» *cit tribunal, ut ex c. Romana de Apell. in*
» 6. *et c.* 2. *de Consult. in* 6.) III. Gene-
» rales, Provinciales, et Superiores locales re-
» ligionum. * (*Uti etiam Priores, Guardiani,*
» *Rectores, ut Suar. D.* 2. *Sect.* 2. *n.* 9. *Bo-*
» *nac. q.* 1. *p.* 2 *n.* 5. *Pal. p.* 4. *n.* 2. *et*
» *Salm. c.* 1. *n.* 31. *ex c. Cum in Ecclesiis*
» *de major. et obed.*) * respectu suorum sub-
» ditorum. IV. Congregationes religionum, Con-
» cilia provincialia Episcoporum, Capitula pro-
» vincialia quorumdam religiosorum * (*Ac Ca-*
» *pitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante,*
» *seu Vicarius Capitularis pro eo, Salm. c.* 1.
» *n.* 32. *ex c. Cum olim, de major. etc.*) * ;
» Et denique V. Quidam alii ex concessione,
» ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri, et
» Decani. * (*Adde, quod censuras ferre pos-*
» *sunt omnes, qui per communem errorem cum*
» *titulo præsumpto tamquam Superiores haben-*
» *tur, ex æ. Barbarius, ff. De Off. Præt. et*
» *ex c. Infamis* 3. *q.* 7. *Vide Salm. c.* 1.
» *n.* 38.).

11. » Delegatam habent, quibus ea commit-
» titur ab ordinariam habente, cujus morte ex-
» pirat : * (*Nisi causa a Delegato jam sit*
» *incœpta etiam per solam citationem, ex c.*
» *Gratum de Offic. Deleg.*) * nec delegatus
» potest alteri delegare, nisi habeat specialem
» hujus commissionem, ut si sit delegatus Pa-
» pæ. * (*Ex c.* 3. *de Offic. Deleg. propter*
» *privilegium quod habent Delegati a Pon-*
» *tifice*).

Unde resolves.

» 1. Non possunt potestate ordinaria ferre
» censuram, 1. Parochi * (*Ut communiter*
» *Cont. Tournely pag.* 389. *cum D. Thoma,*
» *D. Bonav. etc. et Salm. c.* 1. *n.* 33. *cum*
» *Suar. Soto, et cum potestas eis concessa ex*
» *jure communi sit abrogata per consuetudi-*
» *nem*) *. 2. Laici, quia non sunt capaces
» jurisdictionis Ecclesiasticæ: uti et religiosi pro-
» fessi non habentes primam tonsuram. Femi-
» næ, licet sint Priorissæ, vel Abbatissæ, quia
» non sunt capaces jurisdictionis, seu potesta-
» tis clavium: quando vero in jure dicuntur
» posse subjectos sibi Clericos suspendere ab of-
» ficio, vel beneficio, suspensio non accipitur
» proprie pro censura, cujus violator irregula-
» ritatem incurrit, sed late, et improprie pro
» præcepto, quo Abbatissa, Clerico sibi quo-
» dammodo subjecto prohibet celebrationem,
» donec satisfecerit, subtrahens ei redditus in-
» terea. Vide *Bonac. l. c. Laym. l. c. t.* 5. *p.*
» 1. *c.* 3. *n.* 3.

12. Hic sedulo notandum, quod ut aliquis possit censuras ferre, sex conditiones requiruntur.

Requiritur I. Ut sit vir, saltem loquendo de potestate ordinaria. An autem Papa ex plenitudine potestatis possit committere mulieri facultatem ferendi censuras? Probabilius negant *Salm. c.* 4. *n.* 48. cum *S. Th. Con. Sot.* etc. contra *Croix l.* 7. *n.* 10. *cum Palud. Léand.* etc. Ratio, quia potestas hæc data est Apostolis, et eorum successoribus, quibus traditæ sunt Claves Ecclesiæ; potestas autem clavium nullo modo mulieribus tradi potest. Requir. II. Ut sit baptizatus, quia qui non est in Ecclesia, non

est capax Ecclesiasticæ jurisdictionis; ita verius *Suar. Candid.* et *Salm. c.* 1. *n.* 51. contra *Ugolin.* etc. Requir. III. Ut sit saltem prima Tonsura insignitus, alias nequit jurisdictionem spiritualem habere, cum non sit in Ordine Ecclesiastico adhuc constitutus. Ita *Salm. c.* 1. *n.* 52. *et* 53. cum *S. Th. ex c. Ecclesiæ. De Const.* ubi laicis spiritualia tractare prohibetur. Et ideo laicus nequit in Vicarium ab Episcopo eligi, ut *Salm. ib. in fine* cum *Covarr.* Communiter tamen dicunt DD. quod ex commissione Pontificis posset laicus ferre censuras; quod enim censuras ferens debeat esse Ecclesiasticus, est de jure positivo, in quo potest Papa dispensare; ita *Palaus p.* 4. *n.* 3. *Cont. Tourn. p.* 389. *q.* 1. *Bon. p.* 2. *n.* 3. *et* 6. *Salm. d. n.* 42. *cum Con. et Cand.*, *ac Croix d. n.* 10. *cum* communi.

Requir. IV. Ut sit compos rationis: est commune. *Vid. Salm. c.* 1. *n.* 55. Immo debet habere intentionem ligandi eum, contra quem fert censuram, ex *c. Cum voluntate. De Sent. exc.* Ex quo infertur 1. quod si Prælatus intendit aliquem eximere a generali sententia, ille non incurrit. Infertur 2. quod si Prælatus censuram ferat sine animo ligandi censura non incurritur. Infertur 3. quod si quis excommunicatur ad instantiam partis, ille solum juxta intentionem partis manet ligatus; ita *Salm. dict. n.* 55.

Requiritur V. Ut habeat juridictionem expeditam quoad usum: hinc Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus, aut schismaticus nequit ferre censuras, ex *c. Exceptionem. De Except.* Et ideo Vicarius Episcopi excommunicati, aut suspensi non potest ferre censuras, *ex c.* 1. *de Offic. Vic. in* 6. Occultus tamen hæreticus, aut excommunicatus valide, etsi il-

licite, fert censuras, ita communiter *Suar. D.* 14. *Sect.* 1. *n.* 8. *Solus in* 4. *Dist.* 22. *q.* 2. *ar.* 1. *Dian. p.* 5. *tr.* 9. *R.* 50. *et Salm. c.* 1. *n.* 58. *cum Sayro*, *Cornejo*, *et Leand.* Et ratio est, quia propter publicum bonum, nisi sit vitandus, Ecclesia illi conservat juridictionem, ut dicit *Sayr. in d. c. ad evitanda.* Immo *Cornejo*, *Sayr. Bon. Dian. Avil.* etc. apud *Salm. ib.* tenent, etiam publice excommunicatum valide ferre censuras, si non sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, ex *Extrav. Mart.* V. *Ad evitanda*, ubi sancitur excommunicatum toleratum in eis, quæ pertinent ad publicum Officium, non esse vitandum, nec etiam ab illis qui id sciunt.

Requir. VI. Ut censuram ferens libere agat, non coacte, ex *c. Cum voluntate. De Sent. exc.* An autem censura lata ex metu gravi sit valida? Negant *Cornejo*, *Sayr.* et *Ugol.* apud *Salm. c.* 1. *n.* 59. Verius tamen affirmant *Suar. D.* 2. *Sect.* 5. *n.* 6. *Bon. q.* 1. *p.* 12. *n.* 1. *Pal. D.* 1. *p.* 5. *n.* 2. *Tourn. p.* 393. *et Salm. n.* 60. *cum Con. et Vill.* Ratio, quia actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali jure positivo irritetur. Certum tamen est quod absolutio per metum extorta invalida est, ex *c. Verbum*, *De Pœnit.* vide *Salm. d. n.* 59. et 60. Modo metus sit injuste incussus; secus si juste, ut ait *Ronc. de Cen. c.* 6. *q.* 6.

13. » Resp. 2. In omnes, et solos subditos » alicui Superiori Ecclesiastico potest ferri cen- » sura, quia subjectio, et jurisdictio sunt cor- » relativa. *Laym. l. c. c.* 3. *Unde resolves.*

» Non baptizati non incorrunt censuras, li- » cet sunt catechumeni: nec mortui, quia non » subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. Nec refert, » quod quandoque mortui dicantur excommuni-

» cari : non enim de novo ligantur , sed ex-
» communicatio prior tantum declaratur , ac
» vivis prohibetur , ne cum iis agant , orando
» pro illis , sepeliendo , etc. Similiter dicuntur
» absolvi ab excommunicatione, quando sepul-
» tura , et orationes publicæ pro illis permit-
» tuntur. *Laym. l. c.*

Ut igitur quis censura ligari possit, quinque requiruntur. I. Ut sit homo ; bruta enim improprie dicuntur anathematizari. II. Ut sit baptizatus. III. Ut sit rationis compos ; nam pueri , et perpetuo amentes , sicut sunt incapaces culpæ, ita et censuræ. An autem ipsi ligari possint interdicto locali , ita ut sint excludendi a Divinis Officiis : negant *Suar. D.* 36. *sect.* 2. *n.* 7. *Tourn. p.* 533. *et Salm. c.* 1. *n.* 167. cum *Suar. Avil. Corn.* (contra *Sayr.* et *Cand.*). Quia incapaces sunt pœnæ. Illi vero , qui ad tempus tantum ratione carent , ut amentes ad tempus , ebrii , dormientes , hi ligantur censuris , si tempore quo erant rationis compotes , causam dederunt. *Salm. ib.* cum *Suar. Pal. Con.* etc.

14. An vero impuberes doli capaces ligari possint censuris ? Resp. Si censura feratur per modum præcepti , omnes DD. affirmant; si tamen per modum sententiæ , negant *Sayr. Villal.* etc. quia impuberes difficulter tueri se possunt in judicio. Sed adhuc affirmant probabiliter *Pal. D.* 1. *p.* 6. *n.* 2. *Suar. D.* 5. *Sect.* 1. *n.* 19. *Croix n.* 42. *Bon. p.* 4. *n.* 9. *Tourn. p.* 400. *Holzm. n.* 192. *et Salm. c.* 1. *n.* 168. *cum Con.* quia, si non per se, saltem per alium se defendere valent. Advertendum tamen , quod censuræ generaliter latæ a jure , vel ab homine non incurruntur ab impuberibus , nisi hoc expressum sit in lege ; ut expressum est de im-

gressu puerorum in Monialium Monasteria in Conc. Trid. *Sess.* 25. *c.* 5. *de Reg.* ubi dicitur: *Cujuscumque ætatis sit.* Idemque est expressum de impuberibus Clericorum percussoribus, ex *c. Pueris fin. de Sent. exc.* Ita communiter *Leand. Sot. Azor. Sa, Sayr.* etc. cum *Salm. loc. cit.* (contra *Dicast. apud Croix lib.* 7. *n.* 42.). Hinc infert *Cœlestinus*, impuberes nec vi Monitorii teneri ad revelandum.

15. IV. Ut sit subditus; qua de re Summus Pontifex nequit censura ligari: non quidem ab alio, quia superiorem non habet; neque a se, quia non tenetur præceptis suis vi coactiva, sed solum directiva. Excipe, si Papa sit hæreticus, quia Concilium Generale tunc potest eum cogere per censuras; ex *c. Si Papa, D.* 40. Et ideo nec Episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis. *Salm. c.* 1. *n.* 459. Si vero censuræ sint a jure, eas nec etiam incurrunt Episcopi, aut Cardinales (ut *Salm. n.* 160.), nisi de ipsis expressa mentio fiat, ex *c. Quia periculosum, de Sent. exc. in* 6. Hoc tamen, ajunt *Salm. ib.* cum *Pal. Suar. Bon. Sayr.* et *comm.* dumtaxat intelligi de suspensione, et interdicto, de quibus fit mentio *in d. c.* non autem de excommunicatione, cui subjacent Episcopi, etiamsi in lege de iis nulla mentio fiat.

16. Reges autem, et Reginæ, quamvis subditi sint Episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari censuris, nisi a Papa; et hoc ex privilegio, quod eis communiter ab AA. attribuitur, ut dicunt *Salm. cap.* 1. *n.* 100. cum *S. Anton. Pal. Corn. Avil.* etc.

17. An autem Episcopus possit ferre censuras in peregrinos ad cavenda crimina? Affirm. aliqui apud *Croix l.* 7. *n.* 32. quia ratione delicti ipsi jam fiunt subditi. Sed negant probabi-

lius *Lugo ib.* et alii quos retulimus *de Sacr. Pœnit. n.* 591. *v. Incurreret.* Notandum tamen, quod licet Episcopus probabilius non possit censuram ferre in peregrinum ante monitionem; potest tamen postquam ille deliquerit in loco, et Episcopus eum citaverit, juxta dicenda *n.* 26.

18. Requiritur V. Ut sit persona determinata, hoc tamen intellige quoad excommunicationem tantum. Quare, licet posset suspendi, aut interdici aliqua Civitas, aut collegium, non potest tamen illud excommunicari, ut communiter docent *S. Thom.* 3. *p. q.* 22. *ar.* 5. *ad* 2. *Pal. Bon. Henr.* etc. cum *Salm. c.* 1. *n.* 169. Immo nec ferri potest excommunicatio in aliquem incertum ex communitate, qui scil. tale crimen patraverit; quo casu censura est etiam nulla, ut notant *Ronc. p.* 76. *q.* 1. *v. Sententiæ*, *et Salm. l. c. cum Candido.* Hoc tamen currit, si excommunicatio feratur per modum sententiæ, nam si feratur per modum statuti, aut præcepti, in quo aliquid præcipiatur sub excommunicatione, tunc nulli dubium, quod omnes transgressores eam incurrent, *Salm. ibid.*

19. Quæritur autem, an excommunicatio lata in communitatem per modum sententiæ sit non solum illicita, sed etiam invalida? Resp. Si censura feratur in aliquos tantum transgressores ex communitate, certe est nulla, ut omnes dicunt; si vero, facto examine, omnes illius communitatis nocentes reperiantur, tunc valide ac etiam licite potest communitas illa excommunicari a Papa; ab aliis tamen Prælatis illicite excommunicaretur, cum sit vetitum in *c. Romana. De Sent. excom. in* 6. sed non invalide, ut dicunt *Av. Henr. Led.* etc. cum *Salm. c.* 1. *n.* 171. Hinc, ut etiam licite Episcopus aliquam communitatem excommunicet, debet singulos

culpatos nominatim excommunicare. *Salm. ib. in fin.*

» 2. Advenæ, et peregrini, brevi tempore
» alicubi commorantes non ligantur censuris lo-
» corum, generali sententia, aut statuto decre-
» tis : quia non sunt subditi. *Laym. l. c. n.* 5.

» 3. Etsi subditi extra suam diœcesim, vel
» in loco diœcesis exemto delinquentes contra
» legem sui Episcopi non incurrant censuram;
» superior tamen, saltem regularis, potest suos
» subditos ubicumque existant, per particula-
» rem sententiam censuris innodare. *Laym. l. c.*

» 4. Hæretici, Apostatæ, et Schismatici pos-
» sunt affici censuris, quia per baptismum sunt
» subjecti Ecclesiæ. V. *Laym. l. c.*

» 5. Solus Papa non potest incurrere censu-
» ram, quia nulli est subjectus. *Bon. l. c.*

20. Communis est sententia, quod Prælati Regulares possunt subditos suos censuris innodare, ubicumque isti existant; ita *Sanch. Dec. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 33. *Croix l.* 7. *n.* 28. *Tourn. p.* 404. *Salm. de Censur. Tract.* 10. *cap.* 1. *n.* 102. cum *Avil. Cand.* etc. Dubium vertitur quoad Episcopos : sed hic plures quæstiones occurrunt.

21. Quær. I. An Episcopus extra propriam Diœcesim existens possit contra subditos censuras ferre? Exceptis aliquibus casibus ut infra, resp. negative, ex *c. Episcopi* 9. *qu.* 2. *et ex Clem. Quamvis. De foro comp.* Ratio, quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere; ita *Pal. D.* 1. *p.* 5. *n.* 3. *Conc. p.* 421. *n.* 8. *Tourn. p.* 406. *q.* 3. *et Salm. c.* 1. *n.* 194. *cum Con. Avila, Cornejo, etc.* Casus excepti sunt. I. Si contumacia sit tam manifesta ut non indigeat cognitione causæ, ex *c. Manifesta*, 2. *q.* 1. II. Si causa sit

jam cognita in proprio territorio. III. Si censura feratur non per modum sententiæ, sed per modum præcepti, aut statuti ad futura crimina cavenda. IV. Si Episcopus sit injuste expulsus a sua Diœcesi, quo casu potest in locis vicinioribus suam jurisdictionem exercere, petita, licet non obtenta, licentia ab Ordinario loci, ut ex *cit. Clem. Quamvis.* V. Si Ordinarius illius loci consentit, ex *c. Nullus*, 9. *Q.* 2. Tunc tamen requiritur etiam consensus partium, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium; ita *Bon. p.* 11. *n.* 3. *Pal. p.* 5. *n.* 3. *Conc. et Tourn. ll. cc. ac Salm. n.* 105. *cum Avila, Candido, et Cornejo.* Notant autem *ibid. Salm.* cum *Candid.* bene posse Episcopum extra Diœcesim existentem sine strepitu judicii absolvere a censuris, non vero judicialiter.

22. Quæritur II. An Episcopus existens in sua Diœcesi possit ligare censuris subditum in aliena existentem, sed pro crimine in propria commisso? Negant *Basil.* et *Gabr. et alii;* Vide *Croix l.* 7. *n.* 46. Sed affirmandum cum communi, et vera sententia, quia alias talis delinquens a nullo puniri posset; ita *Bon. p.* 11. *num.* 13. *Conc. t.* 10. *p.* 421. *num.* 9. *Tourn. t.* 2. *p.* 402. *v. Quær. et Salm. c.* 1. *num.* 107. *cum Con. Cornejo, Diana, et Candido.* Et licet citatio rei non possit fieri extra territorium, sufficit tamen ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo, vel in loco publico proprii territorii citetur; ita *Salm. num.* 108. Et hoc currit, etiamsi subditus delinquat extra Diœcesim, si agatur de re quæ in illa sit, prout si excommunicentur Clerici omnes qui ad Synodum non accedunt, etc. Ita *Suar. D.* 5. *Sect.* 4. *n.* 8. *Bon. l. c. n.* 7. *et Salm. n.* 19. *cum Avila, Cornejo, et Candido.* Probabilius tamen est, quod si crimen extra territorium con-

summetur, reus censuram non incurrit; ita *Suarez l. c. n.* 7. *Bon. n.* 10. *et Salm. n.* 111. *cum Cornejo*, *Diana*, *et Candido* (contra *Villal. et Sayr.*) et probatur *ex cap.* 2. *de Constit. in* 6. Casus esset, ex gr. si sit lata censura contra stuprum committentes, eam non incurrit, qui virginem extrahit a proprio territorio, et extra illud stuprum consummat. Secus, si quis vulneret aliquem in Ecclesia, qui alibi moriatur. *Salm. ib.* Vel si vulneret in Diœcesi, et ille moriatur extra, ut *Tourn. p.* 403. *v. Sed si.*

23. Quær. III. Si Episcopus fert censuram in subditum suum per præceptum particulare, si delinquat (puta si furetur), utrum subditus delinquendo extra territorium, censuram incurrat? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Suar. D.* 5. *sect.* 5. *in fine*, *Sporer p.* 117. *n.* 12. *Croix l.* 7. *n.* 43. *Laym. c.* 4. *num.* 8. *cum Abb. Sa*, et *Ugol. ac Bon. qu.* 1. *p.* 9. *n.* 17. *cum Salas*, *et Fill.* Ratio, quia Statutum respicit territorium, et ideo extra illud neminem ligat; præceptum vero respicit personas, et ideo ligat etiam existentes extra territorium. *Secunda* sententia negat, et hanc tenent *Holz. t.* 1. *p.* 359. *n.* 103. *Contin. Tourn. t.* 2. *p.* 404. *Ronc. p.* 76. *q.* 3. *R.* 1. *cum Con. Hurt. et Ant. a Spir. S.* item *Avila*, *Sayr.*, *Henr. apud Laym. l. c.* Idque probat ex *c. Ut Animarum* 2. *de Constit. in* 6. ubi sic dicitur: *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Ergo sicut statutum non ligat, non eo quod non afficiat personas, sed quia non licet Episcopo jus dicere extra territorium, ita neque ligare

potest præceptum. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior; nam textui opposito respondetur, quod cum censura est lata per statutum, ideo Episcopus non potest jus dicere extra territorium, quia statutum immediate afficit locum; ac propterea quando subditus delinquit extra territorium, non agit contra legem, quæ tantum locum afficit; at cum præceptum particulare afficiat personam, et illi hæreat, quocumque discedat (ut fatetur ipse *Holzmann*), ideo subditus, cum extra territorium ligetur præcepto, ligatur etiam censura. Certum autem est ex præfato textu, quod si Episcopus nullum subdito antea dederit præceptum sub pœna censuræ, nequit eum censura punire, si delinquat in aliena Diœcesi. Et idem dicendum; si ille delinquat in loco exemto, quia in eo manet ac si esset in loco extra Diœcesim, ex *c. Cum Episcopus. De Officio Ordin. in* 6. et *c.* 1. *de Privil. in* 6. et *Clementin. Archiepiscopus. eod. tit.*

24. An autem Ecclesiæ, et Monasteria Regularium sint loca exemta? Vide Dicta *l.* 1. *n.* 256. *v. Not. II.* ubi diximus probabilem esse sententiam affirmativam cum *Bon. Sayr. Avila, Candido*, ac *Salm. c.* 1. *n.* 114. quibus adde *Ronc. p.* 76. *q.* 1. *v. Sententia*, *et Croix l.* 7. *num.* 26. qui ait cum *Avila*, *Henr. Hurt. Delbene*, *etc.* quod si Episcopus prohibeat statuto generali aliquid, puta lusum alearum sub censura, eam non incurrit ludens in loco exemto.

25. Notandum tamen hic, quod si agatur de damno alteri resarciendo, et fur ille in proprium territorium veniat, atque ibi conveniatur de furto extra commisso, bene potest illius Ordinarius eum cogere sub censura ad restituendum; ita

Suar. D. 5. *Sect.* 5. *n.* 5. *et Salm. cap.* 1. *n.* 112. *cum Candido*, *Soto*, *Avila*, *et Cornejo.* Ratio, quia, si postea ille delinquit, debitam restitutionem negligendo, recte Episcopus ratione delicti eum excommunicat.

26. Quæritur IV. An Episcopus possit censuris ligare alienum subditum in sua Diœcesi delinquentem? Affirma, quia quicumque delinquens sortitur forum illius loci, ubi delinquit, ex *c. fin. de foro comp.* Excipe 1. Si delinquens esset illius Episcopi superior, ut ejus Archiepiscopus, vel Patriarcha: secus; si Episcopus non esset illi suffraganeus; nam, licet par in parem jurisdictionem non habeat, ut notant *Salm. c.* 1. *n.* 40. *in fine* cum *Ugolin.* ratione tamen delicti ille Archiepiscopus fit Episcopi subditus, ut dicunt *Salm. c.* 1. *num.* 37. cum *Cornejo.* Ex qua ratione sentit *Croix l.* 7. *n.* 32. (contra *Salm. d. n.* 37.) cum *Pign.* et *Giball.* afferente Declarationem S. C. quod Episcopus etiam Archiepiscopum suum in Diœcesi Episcopi delinquentem possit excommunicare. Regulares autem sunt simpliciter exempti a jurisdictione Episcopali, ex *c. Ne aliqui. De Priv. in* 6. Vid. *Salm. ib.* Et in Religiosos exemtos, sive privilegiatos, ut Mendicantes, et Jesuitas (vide infra *num.* 241. *Dub.* 9:) nequit Episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tamquam delegatus Apostolicus, ut *Croix l.* 7. *n.* 30. cum *Pell. et aliis.* Excipe 2. Si reus, antequam ejus causa cognoscatur ab Ordinario loci, ab illius territorio exeat (ad differentiam delinquentis in sua patria, qui, etiamsi postea a proprio territorio discedat ante sententiam, et ante citationem, bene potest censura ligari a suo Ordinario, ut diximus supra *Qu. II.*). Secus, si delinquens in alieno territorio, antequam discedat, citatio-

ne præveniatur, tunc enim ratione judicii inchoati subjectus remanet Episcopo loci; ita *Conc. p.* 422. *num.* 11. *Ronc. p.* 77. *q.* 2. *cum Hurt. Laym. c.* 6. *n.* 7. *cum Abb. Henr. et Sayr. ac Con. Dian. Sylv. Avil. Corn.* etc. *cum Salm. c.* 1. *n.* 36. *et n.* 115.

27. Quæritur V. An censura alicubi lata, v. gr. contra furantes in Ecclesia, vel contra non revelantes furtum, liget etiam alienigenas ibi existentes? Si censura sit lata per modum præcepti particularis, seu sententiæ in casu particulari, nempe si sit lata excommunicatio contra non revelantes fures, hæc non ligat alienigenas quia præceptum particulare non potest non subditos adstringere. Ita *comm. Suar. Con. Dian. Sylv. Sayr.* etc. cum *Salm. c.* 1. *n.* 117. *ex c. A nobis.* 25. *De sent. exc.* Si autem censura sit lata per modum statuti generalis pro delictis futuris, puta contra furantes in Ecclesia, tunc ligat etiam alienigenas in illo loco existentes, si ibi sint animo commorandi majorem partem anni; secus si transeunter ibi commorentur. Ita *Sanch. de Matr. l.* 3. *D.* 18. *num.* 6. *et* 16. et *Salm. c.* 1. *n.* 116. cum *Suar. Bon. Sylv. Sayr.* etc. Hæc sententia probabilior mihi est, sed non puto improbabile, quod tam in primo, quam in secundo casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per breve tempus, quia satis probabile est, quod peregrini fiant subditi, si adhuc per breve tempus in aliquo loco morentur, juxta sententiam relatam *l.* 3. *n.* 332. *v. Non accusatur.*

28. Notandum hic I. Quod semel innodatus una censura potest et alias plures incurrere, etiam ejusdem rationis. Ita *comm. DD.* cum *S. Th.* 3. *p. q.* 22. *art.* 6. *et Salm. c.* 1. *n.* 173. ex *Clem.* 2. *De Sent. exc.* Notandum II. quod

propter idem delictum potest quis multipliciter ligari a diversis, scil. a jure et ab homine, a Papa et Episcopo; ita ut ab utroque absolvi debeat. Ita probabilius *Suar. D.* 5. *sect.* 2. *n.* 13. *Pal. p.* 6. *n.* 5. *Bon. p.* 5. *n.* 13. *et Salm. c.* 1. *n.* 176. *cum Fill. Corn. etc.* contra aliquos. Hoc tamen intelligendum, si secundus superior intendat vere novam pœnam imponere; alias regulariter secunda censura habetur, ut innovatio, seu publicatio primæ; *Bon. num.* 11. *et Salm. n.* 127. cum *Bon. Cand. Sayr.* et *Corn.* Notandum III. Quod is qui per unicum actum duo peccata committeret specie diversa, quorum unicuique censura est imposita, tunc duas censuras incurreret, prout si quis occideret Clericum in loco, ubi quodvis homicidium sit vetitum sub censura. Secus, si peccatum non haberet malitias plures specie diversas. Ita *Suarez sect.* 3. *n.* 13. *Bon. n.* 8. *et Salm. n.* 178. *cum Cornejo*, *Diana*, *et Candido.* Notandum IV. Quod, si quis reiterat idem crimen moraliter distinctum a primo, cui imposita est censura, toties censuram incurrit; secus, si moraliter actus non interrumpitur. Hinc unam censuram incurrit, qui pluries successive Clericum percutit; qui eodem actu duos homines extrahit ab Ecclesia; ita etiam, dicunt *Salm. c.* 1. *n.* 182. *cum Lugo, Rodr. etc.* Sacerdos excommunicatus, qui eodem tempore plures confessiones excipit; quia, sicut si Sacerdos ille una absolutione plures absolvit, unam irregularitatem incurrit, sic etiam, si plures absolvit successive; tunc enim una actio moralis reputatur (sed verius dicendum oppositum juxta dicta *de Pecc. lib.* 5. *n.* 50. *Qu.* 6.). Idem, si quis uno verbo blasphemaret 12. Apostolos, vel eodem impetu plures Sanctos; *Salm. n.* 183. *cum aliis;* et hoc probabile

est juxta *c. l.* 3. *n.* 47. Quid, si quis plures Clericos eodem actu vulneraret, an plures excommunicationes incurreret? Negant *Suar. D.* 5. *sect.* 3. *n.* 8. *Ben. p.* 5. *n.* 7. et probabile putant *Con. Candido*, *Diana apud Salm. c.* 1. *n.* 148. quia sicut unum peccatum iste committeret; sic unam incurreret excommunicationem. Et idem censet *Leander ib.* si læsio plurium accideret in eadem rixa et impetu. Sed nos oppositum sequimur cum *Salm.* qui citant *Cornejo*, *Machad. etc.* quia probabilius est (ut diximus eodem *lib.* 5. *n.* 46.) quod qui uno ictu plures homines occidit, plura peccata committat.

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri Censura?

29. *Quale peccatum incurrantur censuræ?*
30. *An ob veniale incurratur levis suspensio, vel interdictum?*
31. *An aliæ censuræ ob veniale sint nullæ? Et quid ex hoc inferatur.*
32. *An in dubio de gravitate materiæ incurratur censura?*
33. *An præceptum sub censura obliget sub gravi?*
34. *An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus?*
35. *An possit imponi censura contra Officium recitantes distracte?*
36. *An actus peccati debeat esse consummatus? An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante, etc.*
37. *An censura contra mandantem, etc. incurratur etiam effectu non secuto?*
38. *Observa distinctionem.*

39. *Utrum incurratur in dubio, an mandatum influxerit?*
40. *Quid si dans consilium pro uccisione illud revocet ante executionem?*
41. *An requiratur culpa propria?*
42. *Quid excuset a censura incurrenda?*
43. *An ad incurrendam censuram requiratur scire, crimen vetitum esse etiam ab Ecclesia?*
44. *An hoc valeat etiam pro suspensione, et interdicto?*
45. *An detur ignorantia excusans a censura, quæ excuset a mortali?*
46. *An metus gravis excuset a censura?*
47. *Quando excuset ignorantia etiam crassa?*
48. *An excuset ignorantia affectata?*
49. *An incurratur censura ob peccatum mere præteritum? An Episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris?*
50. *Censura est invalida I. Ob defectum ferentis?*
51. *II. Si præteritur Ordo judicii.*
52. *An in omnibus censuris requiratur monitio rei?*
53. *An censura sine monitione sit nulla?*
54. *Et quando sit nulla ob peccatum mere præteritum?*
55. *An requiratur monitio, si censura sit a jure ferendæ sententiæ?*
56. *An monitio debeat esse trina cum debito intervallo? Et an debeat fieri ab ipso Judice?*
57. *Quid si censura sit contra plures generaliter?*
58. *An censura sine trina monitione sit invalida?*
59. *Quid notandum quoad sententiam censuræ?*
60. *Quæ sollemnitates in ea sint servandæ?*

61. *Quando autem istæ sollemnitates non requirantur? Vide ibid. alia notanda.*

62. *An incurratur censura lata disjunctive, v. gr.* Si excommunicatus, vel suspensus?

63. *An possit ferri censura sub conditione?*

64. *An transacto termino incurratur censura, si creditor proroget?*

65. *Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuras?*

66. *III. Censura est invalida ob defectum justæ causæ.*

67. *Quomodo quis se gerere debeat in dubio, an incurrerit censuram?*

68. *An in dubio censura judicanda sit justa? Et reus teneatur parere Judici jubenti aliquid sub censura, si putet probabiliter ad id non teneri?*

29. » REsp. Ob solum peccatum externum, » censuræ proportionatum, et conjunctum cum » contumacia. Et quidem in interdicto locali » potest esse alienum, v. gr. Prælati, vel com- » munitatis, non tamen hominis privati, alias » requiritur proprium. *Bon. p. 3.*

Unde resolves.

» 1. Non possunt censurari infantes, vel a- » mentes, quia non peccant. *Bon. d. 2. q. 1.* » *p. 4. Laym. c. 4. n. 3. ex S. Thom.* » *Syar.*

30. » 2. Etsi ob peccatum veniale interdum » ferri possit levis suspensio, vel leve interdi- » ctum. * (*Nempe suspensio, aut interdictum* » *ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu,* » *secus, si sint ad omnem usum, vel ad longum*

» *tempus, tunc etiam habentur ut censuræ majo-*
» *res. Ita Suar. D. 4. sect. 4. n. 2. Pal. D. 1.*
» *p. 3. n. 2. Bon. p. 3. n. 6. Con. D. 13.*
» *n. 67. et Salm. c. 1. n. 124. cum Avil.,*
» *et Cand. Ideo suspensio ad longum tempus*
» *lata ob culpam levem censetur invalida, ut ait*
» *etiam Viva., vide infr. n. 321.*) * ; excom-
» municatio tamen major, suspensio gravis, et
» interdictum personale speciale, quicquid sit
» de generali, non potest ferri, nisi ob cul-
» pam mortalem, quia alioqui pœna non esset
» proportionata culpæ. Immo, cum sint pœnæ
» medicinales, non debent infligi pro quovis mor-
» tali, sed quibusdam tantum, ne censuræ con-
» temnautur, ut monet *Trid.*

31. Itaque invalida est censura gravis ob culpam tantum venialem imposita, ut communiter docent *Sanch. Dec. l. 1. c. 5. Suar. D. 4. Sect. 4. n. 2. Bon. p. 3. n. 6. Pal. p. 7. n. 2. et Salm. de Cens. c. 1. n. 126. et 127.* Et colligitur ex *c. Nullus 11. q. 3.* atque ex *Trid. sess. 23. c. 3. de Ref.* Ratio, quia de jure tam naturali, quam divino pœna debet esse culpæ proportionata. Ex quo infertur 1. quod non potest quis gravem censuram incurrere, nisi gravem culpam prius committat: et ideo, qui excusatur a gravi culpa, etiam excusatur a censura gravi. Infertur 2. quod, si aliquid præcipiatur; quod, inspectis omnibus, leve est, nec præceptum obligabit ad mortale, nec censura incurretur; ita *Suar. D. 4. S. 6. n. 6. Pal. l. c. et Salm. c. 1. n. 128. cum Con. Soto, Corn. et Cand.* Dixi, *inspectis omnibus*; nam materia in se levis potest reddi gravis ex adjuncta circumstantia scandali, aut periculi, aut finis intenti, ac similium, et tunc juste imponitur præceptum ac censura, ita ut

transgredientes graviter peccent, et censuram incurrant; uti incurritur excommunicatio ob levem Clerici percussionem, quæ, licet in se sit levis materia, erit gravis respectu reverentiæ debitæ statui Clericali. Sic pariter Prælatus potest imponere censuram gravem iis, qui non interveniunt publicæ Processioni pro aliqua re gravi ordinatæ. Item Clericis, qui contra præceptum comam nutriunt, et sic de aliis. Secus vero, si res sit de se levis, et in ordine ad finem intentum leviter conducat. Ita *Salm. c.* 1. *n.* 130. *et* 131. cum *AA. cit.*

32. Quæritur autem hic I. An in dubio de gravitate materiæ obliget Superioris præceptum, et censura incurratur? Respondetur affirmative cum *Salm. ib. n.* 132. *et Cornejo*. Ratio, quia in dubio possidet Superioris potestas; quamvis, ut recte notant *Salm. ib.* cum *Diana*, prælati sedulo cavere debent, ne subditos censuris gravent ob materias non tam graves, quando eis non constat illas valde conducere ad bonum finem.

33. Quæritur II. An eo ipso quod præceptum fiat sub censura obliget sub gravi? Intellige, quando res præcepta non est de se certe gravis nec certe levis, sed est talis, ut multum conducere potest ad finem intentum; et respondetur, quod si præceptum contineat censuram latæ sententiæ, tunc obligabit sub gravi, quia eo ipso quod Superior censuram vult ipso facto incurri, vult etiam, ut suum præceptum obliget sub mortali, sine quo censura incurri non posset. Ita *Ronc. p.* 74. *q.* 1. *R.* 2. *Suar. D.* 4. *Sect.* 9. *n.* 11. *Bon. p.* 6. *d.* 6. *n.* 8. *et Salm. c.* 1. *n.* 134. *cum Soto, Castro, Avila, et Cornejo*. Si vero materia de se non sit gravis, et censura sit tantum ferendæ sententiæ,

ita ut ad eam incurrendam requiratur monitio, ut dicemus hic infra *n.* 55. tunc transgrediens non peccabit graviter, nisi post monitionem, vel nisi in præcepto adsit clausula, *quod sine ulla monitione talis censura possit a Prælato applicari*; quia tunc ipsum præceptum habetur ut monitio. Ita *Bonc. l. c. et Sot. Avil. Sylv. Cajet.* etc. cum *Salm. l. c. n.* 135.

34. » 3. Actus peccati, ob quem censura » fertur, debet esse mortalis, non tantum quoad » actum internum, sed etiam quoad substantiam » operis externi. Hinc non excommunicatur le» viter percutiens Clericum, etsi intentionem » mortalem habuisset: uti nec qui interius tan» tum est lapsus in hæresim, quam exterius non » significavit: quia Ecclesia tantum judicat de » externis, *Bon. l. c.* ».

Invalida itaque est censura pro actu mere interno imposita: Ecclesia enim non judicat de internis, ex *c. Consuluit* 2. *q.* 3. Ratio, quia, cum Ecclesiæ potestas resideat apud homines, non possunt hi legem ferre, nisi de externis, de quibus tantum possunt judicare. Ita *S. Th.* 1. 2. *q.* 91. *ar.* 4. et *Con. Pal. Sayr.* etc. *comm.* cum *Salm. c.* 1. *n.* 136. Hinc, si quis percutiat mensam, aut dicat, *ita est*, intendens suam hæresim internam confirmare, non incurrit ideo censuram, quia talis actus, aut verbum non est de se aptum ad hæresim significandam; ita *Suar. D.* 4. *Sect.* 2. *n.* 20. *Croix l.* 7. *n.* 18. *Cont. Tourn. p.* 137. *v. Ex his*, *cum Sayr. et Salm. c.* 1. *n.* 142. *cum Turrian. Con. Castro*, *Diana*, *etc.* Item, si quis fornicetur, hæretica mente judicans fornicationes licere; *Salm. ib.* Immo ad censuram incurrendam actus non solum debet esse externus, sed etiam graviter externus; et ideo non incur-

rit censuram, qui leviter percutit Clericum, licet intenderit occidere. Ita cum *Bus. Suar. Sect. 3. n. 5. Sanch. Dec. l. 7. c. 8. n. 7. Tourn. l. c. et Salm. n. 143. cum Sot. Sayr. Henr. Portel.* etc. Excipitur tamen, nisi actus interior præceptus, aut vetitus, necessario cum exteriori conjungatur, prout cum fulminatur censura contra scienter transgredientes. Sic etiam Ecclesia punit simoniam mentalem, non quidem illam, quæ tantum interne consummatur, et non probatur externe, quæ nequit puniri, ex *c. fin. De Simon.* Sed illam, quæ ex pravo animo interiori producit largitionem pecuniæ, etc. *Salm. c. 1. n. 140.*

35. An autem incurrat censuram impositam contra Officium non recitantes, aut Sacrum non audientes, qui omnino distracte recitat, aut audit? Negat *Croix l. 7. n. 48.* et satis probabiliter; sed probabilius affirmandum, juxta dicta *T. I. l. 3. n. 313. v. Circa, et I. 4. n. 117.* in quibus locis tenuimus tam ad Officium, quam a Missam audiendam, probabilius requiri attentionem internam.

36. » 4. Actus peccati in suo genere debet » esse perfectus, et consummatus; nisi expresse » aliud sonent verba legis; quia pœnæ, et odia » sunt restringenda. * (*Ita Sanch. de Matrim.* » *l. 3. D. 2. n. 5. Suar. D. 4. Sect. 3. n.* » *7. Pal. p. 8. n. 10. Bon. p. 3. n. 12. et* » *Salm. c. 1. n. 134. cum Con. Hurt. Avila* » *etc.*) *. Hinc excommunicationem homicidæ » non incurrit favens, mandans, consulens, » juvans, nec vulnerans letaliter, nisi mors » sequatur.

37. » Item, quando excommunicatur man- » dans, consulens, etc. vel ferens suffragium » pro indigno, subintellige, efficaciter seu ef-

» fectu secuto, quia sine eo mandatum, con-
» silium, et suffragium non est completum;
» et perfectum in genere homicidii, furti, etc.
» Alii tamen attendendum esse putant, utrum in
» mandantes, consulentes, etc. principaliter,
» et per se feratur excommunicatio, an vero
» accessorie tantum: et dicunt priore casu esse
» excommunicatos, etsi non sequatur effectus;
» non item in posteriore. Quæ sententia in pra-
» xi est tutior. *Conc. l. c.* »

38. Et juxta hanc sententiam dicunt *Salm. c.* 1. *n.* 144. *Croix l.* 7. *n.* 59. *et* 60. *cum aliis*, quod, si censura est imposita contra mandantes, aut consilium dantes præcise ob mandatum, aut consilium, tunc incurritur etiam effectu non secuto; secus, si sit imposita, sed accessorie, nempe propter opus quod ex mandato, aut consilio causaretur. Qua de re sentiunt *Salm.* non incurrere excommunicationem mandantem percussionem Clerici, si percussio non accidat, quia tunc jam non influit in opus principaliter sub censura prohibitum. Sic pariter asserunt *Salm. d. n.* 247. et *Croix l.* 7. *n.* 65. *Nav. Dian.* etc. excusari a censura, qui simplex mandatum, aut consilium dederit ei, quia jam erat determinatus ad opus exequendum.

39. Quæritur I. Utrum in dubio, an meum mandatum, aut consilium influxerit, censuram incurram? Negant *Salm. c.* 1. *n.* 147. *in fine.* Quia pœna non incurritur, nisi constet de crimine, et de ejus effectu secuto. Sed affirmat *Croix l.* 7. *n.* 66. cum *Sanch. Dic. etc.* Utraque est probabilis, juxta dicta *de Rest. l.* 3. *num.* 562.

40. Quæritur II. An mandans, sive dans consilium pro occisione Clerici incurrat censuram, si ante executionem consilium pro viribus revo-

cetur? Affirmat *Conc. p.* 448. *n.* 14. *cum Nav. Con. et Bon.* quia malum consilium præstitum semper pergit influere. Sed communius et probabilius negant *Suar. D.* 44. *Sect.* 3. *n.* 11. *et* 13. *Pal. D.* 1. *p.* 7. *n.* 15. *Laym. l.* 5. *c.* 5. *n.* 7. *Viva q.* 1. *c.* 4. *n.* 10. *et Salm. c.* 1. *n.* 159. *cum Avil. Hurt. Tab. Dian. Giball.* et aliis, quia Ecclesia nequit ligare, censuris nisi contumaces. Et idem probabiliter dicunt *Viva*, *et Pal. ll. cc. Salm. n.* 152. *cum Fill. Giball.* et *Tab. ac Croix lib.* 7. *n.* 54. *cum Boss.* (contra *Con. Corn. Avila, etc. apud Salm. l. c.*) etiamsi revocatio consilii non potuerit innotesci executori, prout idem dicunt *Salm. n.* 153. de eo qui dedit venenum Clerico, et antequam incipiat operari, animum retractavit, et modo quo potuit procuravit effectum impedire; quia dum postea evenit læsio, ille *non* est contumax, unde non debet incurrere censuram, quæ est pœna medicinalis ad impedienda peccata. Idque videtur satis probabile, juxta dicenda *num.* 480. *Dub.* 2. ubi probabilius est, quod præbens Clerico venenum non incurrit censuram, nisi illud incipiat parere effectum, idest lædere. Et quod dictum est de consulente, idem affirmandum de mandante. Advertendum tamen 1. quod consulens, sive mandans in tali casu, etsi excusatur a censura, non ideo tamen excusatur a restitutione, ut *Salm. n.* 148. *in fine*, juxta probabiliorem sententiam relatam *l.* 3. *n.* 559. An autem consilium dans, aut mandans, vel qui dedit venenum, revocando consilium, aut mandatum, aut pœnitendo veneni dati, antequam mors sequatur, irregularitatem incurrat? Vide dicenda *de irregular. n.* 370. Advertendum 2. quod, qui consilium præ-

buit, si executionem nequeat impedire, tenetur nihilominus ex justitia monere lædendum, ut se caveat, alias nec a censura excusatur, quia omittit modum quo ille possit vitare damnum, in quod jam suo consilio influxit; *Salm. n.* 157. *in fin.* nam tenetur ex justitia avertere homicidium, unde si non avertit, illud ejus culpæ imputatur.

41. Item hic notandum, quod non incurritur censura, prout excommunicatio, suspensio, interdictum personale, nisi ob culpam propriam, ut *Salm. c.* 1. *n.* 121. cum *Suar Bon. Corn.* etc. *ex c. Si sententia, De Sent. exc.* Secus autem, si fulminetur interdictum generale, quo ligantur etiam innocentes; ita tamen, quod si hi mutent domicilium, et exeant ab Oppido interdicto, aut Collegio, non remanent interdicti, *ex c.* 2. *de Const.* Quod vero non currit pro specialiter interdictis, qui ubique interdicti sunt: ex *c.* 24. *Si habes. Quæst.* 3.

42. » 5. Qnicquid excusat a peccato mor-
» tali, excusat etiam a gravi censura, verbi
» gratia, materiæ parvitas, impotentia legem
» implendi, defectus advertentiæ, et delibera-
» tionis, ignorantia invincibilis, sive ea sit fa-
» cti, ut verbi gratia, si nescias, quem per-
» cutis, esse Clericum, sive juris, ut si scias
» esse Clericum, teque mortaliter peccare per-
» cutiendo, nescias tamen percussionem illam
» sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio
» est, quia talis non est contumax.

43. Ut quis censuram incurrat, non solum debet scire crimen illud esse vetitum jure Divino, sed etiam Ecclesiastico, quia alioquin deest contumacia contra Ecclesiam, a qua puniri debet. Ita *comm. Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 9. *et* 24. *Viva de Cens. Q.* 1.

Art. 3. *n.* 5. et *Salm. c.* 1. *n.* 192. *cum Suar. Sot. etc.* vide *infr. n.* 350. *Q. II.* Immo scire debet, illud sub censura prohibitum esse, alias eam non incurrit; quia alias tunc deest adhuc contumacia, et contemptus censuræ. Ita pariter comm. docent DD. cum *Sanch. n.* 13. *Con. Henr. Dian.* etc. cum *Salm. n.* 193. *et Croix l.* 7. *n.* 95. (contra *Avil. Cov.* etc.). Ideo excusat ignorantia invincibilis, non solum si sit antecedens, sed etiam si sit concomitans. Unde si quis occidit Clericum ignorans esse Clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis, si scivisset, etiam occidisset, aut si factum scienter approbat. Quia nec ille pravus animus, nec ratihabitio (nisi occisio sit facta nomine suo, vide *n.* 207.) de facto influunt in illam Clerici occisionem; secus vero esset, si diceret: *Volo hunc occidere, etiamsi sit Clericus*; nam, si vere Clericum occidit, tunc excommunicationem non effugiet. Ita *Fill. Suar. Pal. Caj.* etc. comm. cum *Salm. c.* 1. *n.* 202. *Suar. D.* 4. *s.* 8. *n.* 9. *Bon. q.* 2. *p.* 1. *n.* 14. *et Salm. c.* 1. *n.* 202. *cum Caj. Montesin. Condido, Fill. Cornejo, etc.* Vide dicenda *n.* 275. *infra n.* IV. *Dub.* 1.

44. Quod autem dicitur de excommunicatione, idem dicendum putant *Salm. c.* 1. *n.* 193. de suspensione, et interdicto. Et idem probabiliter asserunt de irregularitate, quæ ob delictum incurritur, si delinquens nesciat invincibiliter illud esse jure Ecclesiastico prohibitum, ex *cap. Cognoscentes. De Const.* et *c. Proposuisti Dist.* 82. ubi excusatur depositione imposita in incontinentes qui illam ignorans peccavit incontinentiæ; vide *Salm. ib.* et vide *infr. n.* 350. *Q. II.* An autem incurrat qui scit jus prohibens,

sed non irregularitatem impositam? Adest duplex satis probabilis sententia, vide dicenda *de Irregul. c.* 5. *D.* 4. *n.* 351.

45. Quær. 1. An possit dari aliqua ignorantia vincibilis, quæ excuset a censura, licet non excuset a peccato gravi? Affirmat *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 31. *ac Pal. Dian.* etc. *apud Salm. c.* 1. *n.* 196. dicentes posse dari ignorantiam, quæ non sit crassa, seu supina, et tamen sit graviter culpabilis: nam ignorantia crassa involvit summam negligentiam; ergo (ut ajunt) ignorantia, quæ accidit ob magnam, sed non summam negligentiam, erit mortalis, sed non crassa, et ideo excusabit a censura, ut inferunt ex *c. De condit. in* 6. ubi ignorantes excusantur a censura. *Dum tamen ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Verumtamen merito contradicunt *Laym. c.* 20. *n.* 20. *Bon. p.* 1. *n.* 10. *Boss. de usu Matr. c.* 5. *n.* 85. *cum Suar.* et communi; *ac Salm. cap.* 1. *n.* 191. *cum Vasq. Con. Corn. etc.* qui asserunt prædictam sententiam vix esse practice probabilem, cum vix inveniri possit ignorantia graviter culpabilis, quæ non sit etiam crassa. Crassa enim evenire potest, non solum quando nulla diligentia, sed etiam quando valde parva adhibetur.

46. Quær. II. An metus gravis excuset a censura? Resp. Si res est vetita jure tantum Ecclesiastico; certe excusat, quia præcepta humana non obligant cum incommodo gravi. *Salm. c.* 1. *n.* 203. Hinc notat *Croix. lib.* 7. *n.* 102. quod, si præcipiatur detectio criminis sub censura; nemo tenetur prodere seipsum, vel complicem, vel alium, si crimen probari nequeat, vel si proditio ipsi grave damnum afferret. Immo gra-

vis metus excusat ab incurrenda censura, etiamsi res alias jure divino sit prohibita; et ideo, qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra jus Ecclesiæ, contra cujus potestatem specialis injusta contumacia ad censuram requiritur; ita *Pal. D.* 1. *p.* 8. *n.* 9. *Suar. D.* 4. *Sect.* 3. *n.* 14. *Bon. q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. *et Salm. c.* 1. *n.* 204. *cum Con. Cand. Henr. etc.* Nec obstat textus in *c. Sacris, de his, quæ vita*, etc. ubi dicitur metus, qui non excusat a mortali, nec etiam excusare a censura; nam respondent *DD. cit.* textum loqui, vel de metu levi, vel quando agitur in contemptum; vide *Salm. ib.* Incurrit autem censuram, aut aliam pœnam, qui metu gravi cogitur aliquid agere in contemtum præcepti Ecclesiastici, vel qui ob metum perpetrat malum gravissimum, v. g. si Episcopum occideret, vel sine jurisdictione absolutionem Sacramentalem præberet; secus, si impeditus ob metum ministraret in Sacris, tunc enim non incurreret irregularitatem; ita *Bon. et Pal. ll. cc. et Salm. n.* 206. *cum Machado, Con. Henr. et Corn.* Ratio, quia in dictis primis casibus metus non excusat a culpa, etiam contra præceptum Ecclesiasticum: secus in aliis.

47. Dixi *invincibilis*, quia ignorantia culpabilis, et crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v. gr. qui hoc fecerit, *scienter, consulto, vel qui præsumpserit ausu temerario violare*; quæ verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt stricte; talis autem non potest dici temere præsumere, nisi ignorantia esset talis ut formalem dolum includeret; *Escob. t.* 4. *c.* 6. *n.* 37. *Sanch. de Matr. c.* 3. *l.* 9. *d.* 32. *n.* 1.

48. Quæstio est, an si censura sit imposita scienter peccantibus, excuset ignorantia affectata? *Prima* sententia communior negat, et hanc tenent *Suar. D.* 4. *s.* 14. *n.* 3. *Pal. de Pecc. tr.* 2. *D.* 1. *p.* 18. *n.* 10. *Cont. Tourn. de Cens. c.* 1. *p.* 433. *Conc. c.* 19. *p.* 434. *n.* 6. *Viva de Cens. q.* 1. *art.* 6. *n.* 7. *Auct. addit. ad Spor. p.* 122. *n.* 39. *Boss. de usu Matr. c.* 5. *n.* 163. *cum S. Antonin. Pont. Per. Fill. Salas, Reg. etc.* item *Avil. Henr. Led. Vill. etc. apud Salm. c.* 1. *n.* 198. Ratio, tum quia ignorantia affectata includit dolum formalem; tum quia talis ignorantia æquivalet scientiæ, ut probatur ex *c. Eos qui, de Temp. Ordin. in* 6. ubi: *Eos qui Clericos Parochiæ alienæ absque Superioris Ordinandorum licentia scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumserint ordinare, per annum a collatione Ordinum decernimus esse suspensos.* Et ibi Glossa verb. *Affectata*, dicit: *Æquipollent ergo scientia, et affectata ignorantia.*

Secunda vero sententia affirmat, eamque tenent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 38. *Bon. q.* 2. *p.* 1. *n.* 11. *Ronc. p.* 78. *q.* 1. *R.* 2. *et Salm. c.* 1. *n.* 199. *cum Sylv. Tan. Hurt. Dian. Cælestin. Corn. Duard. etc.* Ratio, quia ignorantia affectata in rigore non est vera scientia, qualis requiritur in pœnis impositis scienter peccantibus, cum pœnæ stricte sint intelligendæ; licet autem talis ignorantia includat dolum virtualem, non tamen formalem; qui enim peccat scienter contra legem, vere contemnit eam; qui vero peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare ut liberius peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quærit ipsam ignorare ex timore, quod, si

ipsam sciret, retraheretur a peccando. Ad textum autem oppositum responderi potest, quod ibi per specialem dispositionem legis suspenditur Episcopus sic injuste ordinans, non solum si sciat, sed etiam si affectate suspensionem ignoret. Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem, sed primæ magis adhæreo saltem ut communiori. Recte autem *Sanch. n.* 41. *et Salm. n.* 202. *cum Covarr.* minime approbant sententiam *Panormitani* (quamvis probabilem eam putent *S. Anton. Sylv. Rodriq.* etc.), scilicet quod si quis cum ignorantia crassa, et etiam affectata Clericum occidit, excusatur a censura Canonis, cum ibi dicatur : *Si quis suadente Diabolo*, etc. nam respondetur, quod hæc verba non important scientiam formalem censuræ, sed tantum peccati.

Notandum hic cum *Viva de Cens. Q.* 1. *Ar.* 1. *num.* 5. *cum Fill.* quod, ut incurratur censura pro foro interno, requiritur contumacia vera, pro foro autem externo, sufficit præsumpta.

49. » 6. Non incurritur censura ob peccatum » soli naturali, vel divino juri repugnans, sed » requiritur præceptum Ecclesiæ, quod contu- » maciter violetur. Item nec ob peccatum me- » re præteritum potest censura infligi ab homi- » ne, nisi aliquo modo pendeat in futurum, » ratione scandali, vel restitutionis non factæ, » vel perseverantiæ in peccato post monitionem, » quia abest contumacia. * (*Ita S. Th. Suar.* » *Con. Pal. et Salm. c.* 1. *n.* 120. *comm.*)*. » Nec refert quod quis ob peccatum præteritum, » vel etiam sine peccato (modo justa causa sub- » sit) possit ad tempus arceri ab aliorum con- » sortio, altari, communione etc. ut subinde » fit in religionibus; et in jure etiam vocatur

» excommunicatio, vel suspensio, sed late, quia
» non est censura proprie dicta, cujus violatio
» inducat irregularitatem, sed simplex tantum
» pœna. *Fill. t.* 11. *c.* 6. *n.* 186.

» Non incurrit censuram, qui legem transgre-
» ditur ex gravi metu, licet quandoque non
» excusetur a gravi culpa: quia non censetur
» contumax. *Laym. l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.*
» 9. *Bon. d.* 1. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. *ex Suar.*
» *Con.* etc.

7. Dubitatur, an Episcopus possit per sententiam ferre censuram pro crimine futuro? Negat *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 380. *v. Censura*; et probat ex *c. Romana, de Sent. exc. in* 6. ubi dicitur; *Caveant Prælati, ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter sive generaliter, in aliquos pro culpis futuris, videlicet si quid tale fecerint, proferre præsumant, nisi culpa seu offensa præcesserit.* Sed affirmat *Laym. de Cens. c.* 2. *n.* 2. *cum Abb. Cov. et Ugol. Spor. ac Viva q.* 1. *ar.* 1. *n.* 5. *cum Suar. et Con.* Et hoc est valde probabile, quando adest justa causa; atque hic est usus communiter receptus in Ecclesia. Respondent autem præfati AA. ad textum oppositum, illud intelligi quando sine causa fertur hujusmodi censura.

8. Censura invalida est ex triplici capite.

50. » Primo ob defectum ferentis, si scilicet
» careat jurisdictione, vel eam habeat impedi-
» tam per censuram, vel suspensam per legiti-
» mam appellationem, de qua vid. *Laym.*

51. » Secundo, si substantialis ordo judicii
» prætereatur, ut si reus non citetur, nec mo-
» neatur sub comminatione censuræ. Ratio, quia
» non est contumax, qui ante non fuit moni-
» tus de præcepto, et pœna annexa. Quod ta-

» men intellige de censura ab homine lata per
» sententiam particularem ; quia quæ fertur a
» jure , vel per sententiam generalem , vel et-
» iam specialem , respectu tamen actus futuri ,
» non eget alia monitione ; cum lex , aut sen-
» tentia reipsa satis monet. Idem est de senten-
» tia non illativa censuræ, sed declaratoria tan-
» tum : quia absque alia monitione declarari
» potest censura incursa , quando crimen , cui
» est annexa , commissum esse evidenter constat.
» Porro , ut censura sit licita , requiritur pri-
» mo , ut dicta monitio sit canonica , id est ,
» trina , juxta Canones , etsi aliquando ex ju-
» sta causa sufficiat una tribus æquivalens , v.
» gr. moneo te semel pro tribus vicibus. 2. ut
» ex scripto recitetur. 3. ut causa censuræ ex-
» primatur. 4. ut reo petenti exemplum scri-
» pturæ intra mensem tradatur , alioqui judex
» ipse suspenditur a divinis. *Fill. t.* 15. *c.* 4. *n.*

52. Prænotandum est hic , quod non in omnibus censuris requiritur monitio rei ; nam in excommunicatione , quia ibi omnino requiritur rei contumacia , requiritur etiam monitio ; in suspensione autem , et interdicto particulari (secus generali) , quia hæ censuræ feruntur aliquando per modum non censuræ , sed puræ pœnæ ad punitionem peccati præteriti , ideo non semper monitio requiritur , ex *c. Tum litteris.* 33. *De testib. c. Cum in cunctis.* 7. *De Elect. c. Sacro* 48. *De Sent. exc. et cap.* 2. *eod. tit. in* 6. ita *Pal. D.* 1. *p.* 5. *n.* 5. *Bon. qu.* 1. *p.* 9. *n.* 8. *et Salm. c.* 1. *n.* 80. *cum Con. Gibal. et Diana.*

53. Sed quæritur I. An censura sine monitione prolata sit valida ? Quod monitio sit necessaria de necessitate præcepti, nemo dubitat ex *c. Reprehensibilis. De Appell.* etc. Vide *Salm. c.* 1.

n. 82. Et hic notandum, quod monitio debet specialiter fieri de censura, cujus fit comminatio; ut *Suar. D.* 3. *Sect.* 11. *n.* 7. *et Salm. c.* 1. *n.* 83. cum *Sot. Con. Suar.* etc. *comm.* Utrum autem monitio sit necessaria de essentia; adest duplex sententia probabilis. *Prima* sententia, quam tenent *Suar. D.* 3. *Sect.* 8. *n.* 8. *Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 4. *v. Secundo*, item *Cajet. Diana, etc. apud Salm. c.* 1. *n.* 85. (qui putant probabilem) dicit Ecclesiam, sive Papam ex plenitudine potestatis posse censuras ferre, nulla præmissa monitione. Et probant ex *c. Duo sunt*, *Dist.* 96. ubi Innocentius excommunicavit Arcadium ob delictum præteritum. Et *cap. Tanta*, *Dist.* 86. ubi S. Gregorius excommunicavit quosdam sine monitione ob crimen jam factum. *Secunda* vero sententia communior et probabilior, quam tenent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 13. *et* 21. *Anael. p.* 488. *q.* 2. *n.* 19. *Cont. Tourn. t.* 2. *pag.* 411. *v. Dico* 1. *et Salm. cap.* 2. *num.* 84. *cum Soto*, *Con. Avila*, *Corn. Giball. etc.* docet omnino præmittendam esse monitionem canonicam, nisi censura sit jam lata a jure. Probatur ex *cap. Statuimus* 3. *de Sent. excomm.* ubi dicitur quod canonica monitio necessario præmittenda est, *aliter excommunicatio prolata non teneat.* Et idem dicitur in *cap. Constitutionem* 9. *eodem tit.* Præterea probatur ex *Matth.* 18. ubi: *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus.* Ergo Ecclesia non habet facultatem ferendi censuras, nisi contra contumaces qui nolunt Ecclesiam audire; censura enim est pœna medicinalis, quæ tantum in eum fulminanda est, qui ob suam contumaciam aliter sanari non potest: nullus autem contumax dici potest, nisi prius de pœna infligenda fuerit admonitus. Nec

obstant textus oppositi; nam ad *c. Duo sunt*, respondent *Salm. n.* 86. quod Arcadius ibi excommunicatus fuit, quia Chrysostomum injuste prius ejectum noluit revocare. Ad textum autem in *cap. Tanta*, respondetur non esse ibi proprie sermonem de excommunicatione, nisi tantum de privatione Eucharistiæ. Dixi autem, nisi censura sit a jure jam inflicta latæ sententiæ; quia tunc ipsa lex monet; excipitur tamen 1. suspensio lata contra Religiosos usurpantes decimas, vel prohibentes, aut non permittentes eas solvi, ex *Clement.* 1. *de Decim.* Excipitur 2. excommunicatio lata in Religiosos impedientes Visitationem Episcopi; ex *Clement. un. §. fin. de Statu Monachor.* in utroque enim casu in præfatis textibus requiritur monitio.

54. Stando autem in jure communi; proculdubio invalida est censura lata ob peccatum mere præteritum, nisi habeat tractum successivum in futurum, ut docet *Anacl. pag.* 488. *n.* 17. *Conc. pag.* 422. *n.* 1. *et Salm. c.* 1. *n.* 120. *ex c. Ex parte. De Sign. verb.* Nulla enim esset censura lata ob blasphemiam, vel furtum mere præteritum. Quando ergo excommunicatur aliquis ob furtum, excommunicatur ratione contumaciæ, vel quia fur sciebat furtum esse ab Ecclesia vetitum sub censura, vel quia monitus sub pœna censuræ, renuit restituere; ita *Viva de Cons. q. I. Art.* 4. *n.* 5. (Vide dicta *n.* 33. *in fin.*). Tunc enim incurritur censura sine alia sententia declaratoria: Ad differentiam aliarum pœnarum Ecclesiasticarum, ut sunt privatio officii, inhabilitas ad officia, etc. quæ semper sententia saltem declaratoria indigent: *Croix l.* 7. *n.* 77. cum *Less. Barb. Pell. etc. comm.*

55. Quæritur II. An requiratur monitio, si censura sit comminata a jure ferendæ sententiæ?

Si censura sit comminata ab homine, certum est non requiri monitionem, quia per illud præceptum jam etiam habetur monitio ab ipso Judice facta, ut *Sanch. de Matr. l. 2. D. 24. n.* 28. et *Salm. c.* 1. *n.* 90. Dubium ergo est, si sit a jure? Duæ sunt sententiæ. *Prima* dicit omnino requiri monitionem, et hanc tenent *Pal. p.* 5. *n.* 7. *Suar. D.* 3. *Sess.* 10. *n.* 19. *Laym. c.* 5. *n.* 6. *et Salm. c.* 1. *n.* 91. *cum Cajet. Corn. Diana, etc.* quia (ut dicunt) cum sententia censuræ ferenda est ab homine, sicut censura lata a jure petit monitionem a jure, sic ferenda ab homine petit monitionem ab homine. *Secunda* tamen probabilior sententia dicit non requiri monitionem, eamque tenent *Busemb.* ut supra *n.* 51. *Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 4. *Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 24. *n.* 28. item *Fill. Abb. et Avila apud Pal. n.* 6. qui probabilem putat. Ratio, quia ad hanc censuram jam habetur utrumque, monitio, et contumacia: monitio, quæ facta est ab ipsa lege, tam enim monet lex infligens ceusuram latæ sententiæ, quam ferendæ: et contumacia, quia ille jam monitus noluit obtemperare. Nec obstat ratio opposita, quia tunc Superior cum teneat locum primi Legislatoris, sicut posset Legislator, sic etiam ipse Superior potest censuram exequi. Bene tamen advertunt *Suar. D.* 3. *Sect.* 14. *n.* 6. *Tolet. l.* 1. *cap.* 45. *n.* 3. *et Bon. d. n.* 4. *v. Quarto, et p.* 13. *n.* 6. *cum Nav. Fill. Felin. etc.* quod eo casu requiritur citatio Rei ad censuram declarandam, cum bene fieri possit quod Reus probabilem sui facti excusationem afferat; Nisi forte excipit *Bon. eod. n.* 4. crimen sit adeo notorium, ut evidenter constet nullam Reo competere defensionem.

56. Notandum autem I. Quod monitio cano-

mica proprie est trina, sed etiam canonica est, si fiat una pro tribus (adhuc sine causa); Dummodo ista una æquivalens tempus designetur, nempe sex dies (nam pro unaquaque monitione requiritur spatium saltem duorum dierum, ut dicunt *Suar. D.* 3. *sect.* 9. *n.* 3. et *Salm. c.* 1. *n.* 93. et colligitur ex *c. Constitutionem. De Sent. exc. in* 6.); Et dummodo terminus sex dierum assignetur, ut peremtorius, et ultimus, alias reus contumax non constitueretur. Ita *Salm. ib. Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 5. Sufficit tamen, si dicatur: *Mandamus, ut infra sex dies restituat, alias excommunicatur ipso facto;* Quia tunc virtualiter terminus peremtorie assignatur; *Suar. D.* 3. *sect.* 12. *n.* 6. *Pal. p.* 5. *n.* 8. *et Salm. dict. n.* 93. Notandum II. Quod ex justa causa tria illa intervalla redigi possunt ad unum diem vel brevius tempus, modo tria spatia assignentur, ut *Bon. p.* 9. *n.* 7. *Suar. D.* 3. *sect.* 9. *n.* 3. *et Salm. c.* 1. *n.* 94. cum *Con. et Giball.* Et aliquando, si periculum sit in mora, ut si Clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimenda violentia, et turbatione jurisdictionis, sufficit tunc una monitio sine illis competentibus tribus spatiis, modo terminus designetur, ut *Salm. ib.* cum *Corn. et Croix l.* 7. *n.* 82. Notandum III. Quod monitio debet fieri ab ipso Judice, vel ab alio ejus nomine; Et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet; ita *Suar. D.* 1. *sect.* 12. *n.* 1. *Bon. n.* 4. *et Salm. c.* 1. *n.* 95. *cum aliis.* Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi Judex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune, ex *cap. Venerabilibus. §. Porro de Sent. exc. in* 6. Quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen, ut probari possit in foro. Ita *Salm. c.* 1.

n. 95. cum *Giball.* et *Corn. ex c. Sacro, De sent.* etc.

57. Notandum IV. Quod, si censura ferenda sit contra plures generaliter, sufficit, ut fit monitio in Ecclesia coram Populo; Si vero ponatur interdictum contra Communitatem, sufficit, ut moneantur ii ob quorum culpam fertur: ita *Suar. D.* 3. *sect.* 8. *n.* 2. *Bon. p.* 9. *n.* 11. *et Salm. c.* 1. *n.* 96. cum *Giball. etc.* Si autem fulminetur censura contra particularem personam, tunc ipsa specialiter monenda est. Excipe tamen tres casus sequentes, in quibus sufficit fieri monitio in ejus domo, vel si domum non habeat, in Ecclesia, vel loco publico. Casus I. est quando Reus absconditur, aut fraude impedit monitionem, ut *Salm. ibid.* cum *Avil. ex c. final. De Dolo, et contum.* Dolus autem debet constare testibus, aut manifestis indiciis; *Gon. n.* 9. *et Cornejo cum Salm. ib.* Casus II. quando Reus est semel personaliter citatus; tunc enim aliæ citationes fieri possunt domi, aut in Ecclesia, aut Tribunali; *Salm. ib. num.* 96. cum *Bon. ex Decis. Rotæ Rom.* Casus III. est quando probari potest citatio domi facta jam ad notitiam Rei pervenisse; tunc enim reliquæ citationes etiam domi fieri possunt: *Suar. Bon. Corn.* etc. cum *Salm. ib.* et colligitur ex *Clem.* 3. *de Elect.*

58. Notandum V. Quod licet de necessitate præcepti trina monitio sit necessaria, alias Judex letatiter peccabit (nisi urgentissima causa, ut supra, excusaret), uti apud omnes est certum; Sine tamen illa trina monitione minime equidem censura erit invalida, cum *in c. Romana. De Sent. excom. in* 6. censuræ sine monitione debita inflictæ vocentur injustæ, sed non invalidæ: immo in *c. Sacro de Sent. excom.* di-

cuntur justæ, intellige, eo quod saltem non sunt contra justitiam commutativam, aut distributivam, quamvis sint contra legalem; ita *Pal. p.* 5. *n.* 7. *Bon. p.* 9. *n.* 5. *et Salm. cap.* 1. *num.* 97. *cum Con. Gibal. Corn. et Diana.* Excipiuntur tamen duo casus, in quibus, nisi præcedat trina monitio, vel una pro tribus, ut supra, invalida est censura: I. Quando Judex excommunicat aliquem (vel suspendit, aut interdicit) communicantem cum excommunicato a se, ex *c. Statuimus*, et *c. Statutum*, *De sent. excom.* II. Quando constat, Delegatum non aliter accepisse facultatem ferendi censuras, quam trina monitione præcedente. *Salm. ibid. n.* 98.

59. Hæc quoad monitionem censuræ. Quoad autem censuræ sententiam, notandum I: Quod ad censuram incurrendam non sufficit simplex voluntas Superioris, sed requiritur, ut sensibiliter ipse eam manifestet scripto, aut verbis, ut est certum *apud Salm. c.* 1. *n.* 61. aut etiam alio externo signo, ut communiter *Suar. D.* 3. *Sect.* 2. *n.* 3. *et Salm. c.* 1. *n.* 65. *cum Corn. Villal. Candido, etc.* contra aliquos. Notandum II. Quod liceat pro censuris valide ferendis non sint necessaria verba, aut signa determinata, oportet tamen, ut sufficienter determinetur persona, crimen, et censura; *Salm. n.* 66. *ex D. Th. in* 4. *D.* 27. *q.* 1. *art.* 2. Et idem dicitur de censuræ absolutione; *Salm. ib.* cum *Cand. Corn.* et *Gibal.*

60. Notandum III. Quod ad censuras licite ferendas, observandæ sunt sollemnitates assignatæ ab Innoc. IV. in *c. Cum medicinalis.* 1. *de Sentent. excom. in* 6. ubi sic habetur: *Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis*

expresse conscribat. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur tradere excommunicato infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimaniales confici, sigillo authentico consignatas. Postea additur: *Si quis autem judicum hujusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, et Divinis Officiis noverit se suspensum.* Et idem: *Et hæc eadem in suspensionis, et interdicti sententiis volumus observari.* Ratio Pontificis hæc omnia præscribendi fuit, ne festinanter, et temere, et imprudenter censuræ fulminentur. Ultra autem has pœnas ipso facto incurrendas, alias assignat Pontifex a Superioribus inferendas, nempe 1. Ut Reus protinus a censura absolvatur. 2. Ut, si Judex in eo mense, in quo suspenditur ab Officiis, et ingressu Ecclesiæ, illis se ingesserit, tunc irregularitatem incurrat. 3. Ut idem Judex teneatur solvere expensas omnes, et insuper arbitrio Superioris alias pœnas subire. Ex quo infertur, quod licet censura sine præfatis sollemnitatibus sit valida, ut verius tenent *Pal. D. 1. p. 4. n. 10. Salm. c. 1. n. 73. cum Avila, Leand. Gibal. Candido, etc.* contra *Ripa*, et *Sayr.* dum ex ipso *c. cit.* præcipitur, ut Judex censuram relaxet, ergo valida censetur; attamen Judex proculdubio graviter peccabit, si aliquam ex dictis sollemnitatibus omittet, nempe si non ferat censuram in scriptis; si causam non assignet: si exemplum postulanti non concedat: ita *Bonac. p. 9. n. 1. et Salm. c. 1. n. 72. cum Sayr. Gibal. etc.*

61. Advertendum tamen 1. Quod hoc currit, quando censura fertur per modum sententiæ, cognita causa, cum citatione, ut patet ex ver-

bis in *cit. c. Cum Medicinalis*, *Si quis judicium* etc. Secus, si censura fertur a jure, vel etiam ab homine, sed per modum legis generalis, sive præcepti particularis, v. gr. alicui, ne aliquid agat: tunc enim tales sollemnitates non requiruntur. Ita *Salm. c. 1. n. 74.* cum *Gibal. Sayr. et Cor.* Advertendum II. Quod in scriptura debet exprimi causa censuræ, non in genere, sed in specie; Et insuper scriptura debet esse authentica, ita ut sit sigillo obsignata, et subscripta a Judice, vel alio ejus nomine: aut saltem, quæ idoneis testibus probari possit; *Salm. c. 5. n. 65.* cum *Gib. Corn.* etc. Advertendum III. Quod, si Judex sit Episcopus, sufficit si proferat censuræ sententiam per alium; Si vero sit Episcopo inferior, debet per seipsum proferre, vel saltem per Notarium, aut alium Ministrum; *Salm. n. 76. cum Villal. Corn. Mach.* etc. Advert. IV. Non incurrere pœnas, qui dictas sollemnitates omitteret ex causa urgenti, quæ moram non pateretur, cum in textu dicatur: *Si quis temerarius*, etc. Ex quo infertur quod non solum non incurrit pœnas Episcopus, etiamsi culpabiliter sollemnitates omittat, dum in pœnis suspensionis et interdicti debet specialis mentio fieri de Episcopis, ut ex *c. Quia periculosum. De sent. excom. in 6.* Unde, dum in *cit. c. Medicinalis*, inter alias pœnas indicitur suspensio, apparet quod sanctio illa, sicut non respicit Episcopos quoad suspensionem, neque quoad alias pœnas; ita *Palaus tr. 29. D. 1. par. 5. n. 9.* et *Salm. cap. 1. n. 77. cum Cand. et Mach.* Sed nec etiam quivis alius ex ignorantia culpabili omittens, quia temeritas veram scientiam requirit; juxta dicta *tom. I. lib. I. n. 174.* Advertendum V. Quod pœnæ incurruntur, etiamsi cen-

sura non habeat effectum, puta, si Judex jurisdictionem habeat impeditam, vel si Reus solvat aut appellet. Quia a Pontifice non punitur prolatio injustæ censuræ, sed prolatio sine sollemnitatibus præscriptis. Ita *Salm. cap.* 1. *n.* 79. cum *Gibal. Felin.* etc. contra aliquos.

62. Sed dubitatur hic 1. An incurratur censura lata sub distinctione, v. gr. si dicatur *Maneat excommunicatus, aut suspensus.* Adsunt duæ sententiæ, ambæ probabiles. Negant *Sylvest. Nav. Henriq.* etc. quia ad censuram incurrendam requiritur, ut ipsa in specie individue determinetur. Affirmant autem *Sayr. D.* 3. *s.* 2. *n.* 12. *Bon. p.* 7. *n.* 4. *et Candido, Corn. cum Salm. cap.* 1. *n.* 63. *et* 64. Quia vi illius propositionis copulativæ tantum optio datur Reo eligendi censuram, qua malit ligari; Si autem nullam eligat, dicunt *Bon.* et *Cand.* utramque incurrere; sed melius tenent *Salm.* cum *Suar.* quod si unam frangat, alteram eligeret.

63. Dubitatur 2. An possit ferri censura sub conditione? Potest sine dubio ex *c. Preterea* 2. *De Appel.* Sed censura postea non incurritur, nisi conditione impleta; Quare non incurritur, si ante impletionem appelletur, ex *eod. c.* 2. vide *Salm. c.* 1. *n.* 68. (Advertendo, quod appellatio ante sententiam censuræ eam suspendit; secus si fiat post sententiam, *Croix l.* 7. *n.* 109.). Vel si creditor, pendente conditione, proroget terminum pro censura a Judice assignatum. Quia sicut potest creditor debitum remittere, ita et terminum prorogare, ut docent *Pal. p.* 9. *n.* 5. *Salm. c.* 1. *n.* 69. *cum Nav. Sylv. et Corn. ac Tourn. pag.* 439. *R.* 2. *ex c. Pastoralis del Appel.*

64. Sed hic dubitatur 3. An transacto termino prorogato a creditore, Judice inconsulto, si de-

bitor non solvat, censura incurratur. Negant *Ugol. Henr. Sayr. Nav. apud Salm. c. 1. n. 70.* Quia suspendere, et prorogare censuram est actus jurisdictionis, quam non habet creditor. Sed probabilius affirmant *Suar. D. 3. sect. 2. n. 11. Pal. p. 8. n. 6. Tournely pag. 438. v. Ceterum, et Salm. l. c. cum Cov. Corn. et Leand.* Ratio, quia ille terminus non assignatur ad finiendam obligationem, sed ne solutio ultra prorogetur sine creditoris consensu; Quare transacto termino a creditore prorogato, eadem censura manet, et incurritur.

65. Incurrit etiam censuram qui, pendente conditione, mutat forum, quia adhuc primus forus retinet jurisdictionem. Ita *Ugol.* et *Con. apud Salm. n. 68.* Limitant tamen *ibid. Con.* et *Suar.* nisi ex justa causa, et non in fraudem domicilium cum foro mutaretur.

Hic deinde notandum I. Quod censura ferri debet diebus non feriatis, quando ipsa per modum sententiæ profertur, ex *c. final. De Feriis.* Si vero diebus feriatis feratur, erit illicita quidem, sed non invalida, ut *Pal. p. 5. n. 13. et Salm. c. 1. n. 100. cum Say.* et *Corn.* Verum bene possunt ferri diebus feriatis censuræ, quando imponuntur per modum legis, aut præcepti; et etiam illæ quæ feruntur per modum sententiæ, quando contumacia ita patet, ut cognitione causæ non egeat, ex *c. Evidentia, De Accus.* Monitio autem censuræ frequenter fieri solet die non feriato, si causæ cognitio non præcedat; Secus, si præcedat. *Salm. ibid. cum DD. cit.* Notandum II. Quod, si Judex sciat censuratum esse absolutum pro foro interno, docent *Henr. Fill.* et *Dec. apud Croix l. 7. n. 70.* non esse puniendum pro foro externo. Notandum III. Quod, qui semel censuram incurrit, debet

denuntiari, et publicari, ut sic citius resipiscat, ex c. *Pastoralis*. §. *fin. De Appell.* et *Clem. fin. De Cen.* Hæc autem, si lata fuit ab homine, sive per modum statuti, sive per modum sententiæ particularis, ab ipsomet debet denuntiari. Si vero lata fuerit a jure communi, denuntiatio debet fieri ab Ordinario loci, ubi censura incursa fuerit, ex *Clem.* 1. *De Privil.* Sed tunc ante denuntiationem præcedere debet citatio Rei, facienda a Superiore proprio, dato ei termino ad jus suum dicendum, alias denuntiatio erit nulla ex *Clem. Sæpe, de Verb. sign.* Ita *Croix l.* 7. *n.* 76. cum *Nav. Cov. Pal. et aliis comm.* apud *Salm. c.* 1. *n.* 101. *et c.* 3. *num.* 16. Si autem Reus satisfactionem offerat, statim est absolvendus, *Salm.* cum *Suar.*

66. » Tertio, ob defectum justæ causæ. Hæc » autem deficere potest tripliciter, 1. Si nec a parte rei, nec secundum allegationem fori externi subsistat. 2. Si a parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad judicium, quia reus de eo non confitetur, nec » legitime de eo convincitur. 3. a parte rei non » subsistat crimen, etsi juridice probetur, ideoque titulum, seu causam præsumptam habeat » judex. In quo casu etsi sententia a parte rei » sit injusta, ideoque probabilius censura non » liget in foro conscientiæ, in foro tamen externo servari debet propter scandalum. Vide » *Laym. p.* 1. *c.* 6.

67. In dubio an censura sit incursa, vel ne, in foro conscientiæ non tenemur nos gerere ut censuratos. Et hoc sive dubium sit facti, idest circa crimen, puta si dubitetur an percussio Clerici fuerit graviter injuriosa, ut docent *Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 19. *n.* 55. *Bon. D.* 2. *q.* 1. *p.* 6. §. 2. *n.* 49. *Holz. de Cens. c.* 4. *n.* 151.

Mazz. t. 1. p. 63. *Pal. D.* 1. *p.* 8. *num.* 8. *Laym. c.* 5. §. 4. *n.* 38. *Ronc. de* 5. *præc. c.* 2. *q.* 6. *et Salm. c.* 1. *n.* 209. *cum Cand. Tanner. et Diana* contra *Sayr. Azor. etc. Bon.* Sive dubium sit juris, idest circa sententiam, puta si dubitetur an censura fuerit latæ, an ferendæ sententiæ, vel an conditio apposita in sententia sit impleta vel non, ut *Sanch. Bon. Holz. Ronc. ll. cc. et Salm. num.* 208. *cum Val. Cov. et Diana ex D. Thoma*, qui *Quodl.* 4. *ar.* 14. docet, quod post determinationem Judicis standum est ejus sententiæ, secus ante determinationem. Ratio pro dubio facti est, quia in dubio nemo est expoliandus jure suo communicandi, quod possidet; pro dubio autem juris ratio est, quia pœnæ sunt restringendæ; unde in dubio non incurruntur. Si vero post censuram incursam dubitetur de absolutione obtenta, vel de appellatione interposita et similibus, tunc omnino Reus debet se habere ut censuratum, quia tunc possessio stat pro Superiore, ut recte dicunt *Sanch. l. c. n.* 67. *et* 59. *Pal. l. c. et Salm. n.* 210. *cum Cov.* Et idem dicendum *cum Sanch. n.* 60. *et Salm. ib.* si dubium sit de potestate Superioris, quando hic pacifice eam possidet.

68. Dubitatur 1. In dubio, an censura fuerit justa vel ne, an ut justa sit judicanda? Negat *Dicastillus apud Croix lib.* 7. *n.* 127. dicens Superiorem esse quidem in possessione ferendi censuras justas, sed cum de justitia dubitatur, potius dicendum est possidere libertatem subditos. Et idem sentiunt *Vasq. Sancius, etc. apud Viva de Leg. q.* 1. *art.* 3. *n.* 4. loquendo de lege dubie justa, probabile putat *Tamb. Dec. l.* 1. *c.* 3. *verb. Subditus* Sed verius affirmant *Sal. de Legib. c.* 1. *n.* 15. *Viva l. c. Bo-*

nav. eod. tit. D. 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 3. *n.* 11. *cum Vasq. Suar. et Salas*; item *Palaus*, et alii communiter *cum Croix d. n.* 127. Quia in dubio possidet potestas Judicis.

Dubitatur 2. An si Reus habet opinionem probabilem pro se, teneatur, parere Judici aliquid præcipienti sub censura, puta solutionem pecuniæ? Affirmandum etiam cum communi, sive dubium sit juris, sive facti, quia alias numquam lites finirentur; ita *Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 6. *cum Soto*, *Diana*, *Vasq. et Avila*. Bene tamen advertunt *Salm. ibid. cum Avila*, quod in dubio facti id procedit durante dubio, nam si postea censuratus fieret certus de sua innocentia, tunc non tenetur nec solvere, nec se gerere ut censuratum; tunc enim sententia non potest obligare, cum nitatur præsumptione certe falsa. Sed si talis censuram in publico violaret, v. gr. Sacris ministrando, licet irregularitatem non incurreret, peccaret tamen ob scandalum; et tunc in foro externo gerere se deberet ut irregularem ita *Suar. D.* 4. *sect.* 7. *a n.* 11. *Pal. p.* 8. *n.* 15. *et* 16. *Croix l.* 7. *n.* 84. *et Salm. c.* 1. *n.* 212. *cum Coninck.* Hoc tamen intelligendum, nisi publice constet censuras esse nullas, ita ut omnino absit scandalum; *Salm. c.* 3. *n.* 5. *cum Nav. Avila*, *etc.* ex *Clement. Pastoralis de re judicata.* Præterea advertit *Cont. Tourn. cum D. Thoma* ex *c. Pastoralis de Offic. et pot. Jud. del.* quod executor sententiæ, quæ sit justa secundum allegata, et probata, tenetur eam executioni mandare, etiamsi ex privata sententia noverit esse injustam; secus vero, si sententiam etiam secundum probata esset omnino injusta, ex *c. Super eo. De Crim. falsi.*

DUBIUM V.

Qui possint absolvere a Censuris?

69. *Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine, et inter latam a jure, vel ab homine per sententiam generalem?*

70. *Quis potest absolvere a censuris latis a jure?*

71. *An omnes confessarii possint absolvere ab exconmunicatione minori? An simplex Sacerdos?*

72. *Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem?*

73. *Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas?*

74. *Quæ censuræ reservatæ possint absolvi ab Episcopo per Cap.* Liceat?

75. *Vide verba Capituli.*

67. *Not. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitate propter hæresim. Not. II. Quando crimen dicatur occultum, vel deductum ad forum?*

77. *Dub.* 1. *An possit absolvi ab Episcopo qui fuerit punitus in foro alterius Episcopi?*

78. *Dub.* 2. *An crimen publicum in uno loco possit absolvi ab Episcopo in alio, ubi est occultum?*

79. *Not. III. Qui veniant nomine Episcoporum? Not. IV. Qui veniant nomine Subditorum? Not. V. Episcopi possunt absolvere a casibus Papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum (Remissive ad lib. VI. n.* 594.).

80. *Not. VI. An Episcopi gaudeant hac facultate ubi Tridentinum non est receptum?*

81. *Qu. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus, et suspensionibus cum suo subdito in aliena Diœcesi morante?*
82. *Qu. II. An facultas concessa in cap.* Liceat *fuerit revocata per Bullam Cœnæ?*
83. *Verior sententia.*
84. *Qu. III. An Episcopi possint absolvere a censuris Bullæ Cœnæ impeditos adire Romam?*
85. *Qu. IV. Quinam vocantur impediti?*
86. *Quid si impedimentum sit ad breve tempus, et quid si ad longum?*
87. *An teneatur Reus absolutus deinde se præsentare Pontifici, si jam sit emendatus, et parti satisfecerit.*
88. *Quid si impedimentum sit perpetuum? Et qui dicantur perpetuo impediti?*
89. *Qu. V. An impediti teneantur adire Romam per Epistolam, aut procuratorem?*
90. *Qu. VI. An Episcopus possit absolvere Hæreticum impeditum, etiam per alium?*
91. *Qu. VII. An cum inferior absolvit impeditum a casu reservato sine censura, teneatur Pœnitens se præsentare Superiori?*
92. *Qu. VIII. An impediti adire Episcopum possint a quocumque absolvi?*
93. *Q. IX. An possint Episcopi generaliter delegare aliis facultatem eis concessam in c.* Liceat?
94. *De facultate Mendicantium absolvendi reservata.*
95. *Quas censuras possint Regulares absolvere quoad sæculares?*
96. *An possint eos absolvere a casibus Papalibus occultis?*
97. *An pro foro externo?*
98. *An a casibus ab Episcopis sibi reservatis.*

99. *An a censuris Episcopis reservatis a Jure, vel a consuetudine?*
100. *An a casibus Clementis occultis?*
101. *An Regulares possint absolvere subditos ab omnibus casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ?*
102. *An etiam Novitios?*
103. *An Novitios etiam a censuris ab Episcopo sibi reservatis?*
104. *An Prælati Regulares possint absolvere subditos a casibus Bullæ Cœnæ? Usque ad n.* 106.
107. *An subditos a censura ob percussionem alterius Religiosi, aut clerici secularis.*
108. *Quid circa recipientes Bullam Cruciatæ? Remissive.*
109. *Regulæ pro absolvendis censuris.*
110. *An, data facultate absolvendi a Papalibus, comprendantur censuræ Bullæ Cœnæ.*
111. *An in Jubilæa, data potestate absolvendi, omnes censuræ comprehendantur, etiam latæ ab Episcopo speciuliter?*
112. *An habens facultatem circa casus Bullæ Cœnæ possit absolvere etiam ab Hæresi? Usque ad n.* 113.
114. *Quid amplius notandum circa facultates Regularium?*
115. *Quid amplius circa facultatem concessam in Jubilæis?*

69. » REsp. 1. A censura lata per senten-
» tiam particularem ordinarie is tantum potest
» absolvere, qui eam tulit, vel ejus superior,
» vel successor, vel delegatus. Ab ea, quæ la-
» ta est a jure communi, vel ab homine per
» sententiam generalem, si non sit reservata,
» potest absolvere quivis, qui censuratum pot-

» est absolvere a mortalibus: si vero sit reser-
» vata, ordinarie, et per se, potest tantum vel
» relaxari ab auctore legis, vel ejus successore,
» vel delegato.

» Dixi 1. *Ordinarie*, quia in articulo mortis
» quivis Sacerdos absolvere potest a quavis cen-
» sura.

» Dixi 2. *Per se*: quia per accidens, et ex
» privilegio possunt etiam alii. *Laym. l.* 1. *t.* 5.
» *p.* 1. *c.* 7.

70. Universe loquendo, ad tollendas censuras ex parte absolventis requiruntur eædem conditiones, quæ requiruntur ad ferendas, juxta dicta *n.* 12.

Ceterum dicendum I. A censuris latis *a jure* non reservatis certum est, Episcopum, vel proprium Sacerdotem absolvere posse, ex *c. Nuper. De Sent. excom.* Ubi, licet sermo sit de excommunicatione minori, idem tamen de omnibus aliis censuris communiter DD. intelligunt; ut *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 5. *Rone. de Cens. c.* 6. *q.* 3. *R.* 111. *Suar. D.* 7. *Sect.* 3. *n.* 5. *et Salm. c.* 2. *n.* 24. *cum Henr. Ugol. Corn. et Gibal. ac Salm. c.* 2. *n.* 42. cum *Henr. et commun.* Et idem concedunt Capitulo, Sede vacante, Prælatis Religionum, et habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem. An autem ab hujusmodi censuris omnes Confessarii possint absolvere? Negant *S. Antonin. Cov. Palud.* etc. apud *Salm. ib. n.* 42. quia, ut dicunt, sicut ad ferendas censuras, ita ad absolvendas requiritur jurisdictio in foro externo, qua carent simplices confessarii, et etiam Parochi. Affirmandum est tamen cum communi sententia, quam tenent *S. Th. Supp. q.* 24. *art.* 1. ubi ait: *Si excommunicatio sit major, aut est lata a Judice: et sic ille qui tulit, vel ejus Su-*

perior potest absolvere; vel est lata a jure, et tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos potest absolvere. Ita etiam *Tourn. p.* 497. *R.* 3. *Conc. p.* 441. *n.* 3. *Pal. l. c. Ronc. ut supra, Salm. n.* 45. cum *Soto, Vasq. Con. Avila,* etc. Ratio, quia, licet ex jure ordinario nec Confessarii, nec Parochi hanc facultatem habeant, habent tamen ex concessione speciali Innocentii III. qui in *d. c. Nuper* 29. sic inquit: *In secundo casu* (scilicet quando excommunicatio non sit reservata) *a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim et tunc non juris, sed judicis sententia sit ligatus, quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Quoties igitur censura non reservatur a jure, ab ipso jure datur potestas absolvendi cuilibet Confessario, ut intelligitur sub nomine *proprii Sacerdotis*, prout probavimus *l.* 6. *de Euch. n.* 564. Et hic advertendum 1. quod hæc absolutio valebit etiam pro foro externo, ut dicunt *Pal. n.* 4. et *Gibal. Ugol.* apud *Salm. l. c.* Advertunt 2. *Ronc. p.* 80. *q.* 3. *R.* 3. *cum Con. Pal. D.* 2. *p.* 11. §. 5. *num.* 3. *cum Suar. et Ugol. Sporer Suppl. p.* 124. *num.* 55. *cum Avila, et Salm. dict. n.* 44. *cum cum Con.* quod hanc absolutionem Parochi, et alii confessarii impertiri possunt tam infra, quam extra confessionem. Ratio, quia decreta Pontificum præcipue forum externum spectare solent, et cum favores Principis ampliari debeant, non est cur tantum ad forum internum restringantur. Advertunt 3. *Salm. c.* 2. 2. *n.* 49. *cum D. Thoma, Pal. Sot. Vasq. ac aliis citatis n.* 45. contra *Candid.* quod confessarii possunt absolvere non solum ab excom-

municatione, sed ad omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione, et interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio, quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras.

71. Certum est autem, et commune inter DD. omnes Episcopos, et confessarios absolvere posse innodatos excommunicatione minori. Vide *Salm. c.* 2. *n.* 164. Sed valde dubitatur, an simplex Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione minori? Affirmant *Salm. c.* 3. *n.* 166. *cum Nav. Arm. et Hurt.* ac probabile putant *Bon. q.* 3. *n.* 15. *et Viva q.* 2. *art.* 2. *n.* 5. quia (ut ajunt), cum Sacerdos probabiliter possit absolvere a culpis venialibus, potest etiam a censuris eis annexis, juxta id quod dicit *D. Thomas in* 4. *D.* 28. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. ibi. *A minore excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccatis.* Sed omnino negandum cum *Suar. D.* 7. *sect.* 4. *n.* 17. *Pal. D.* 2. *p.* 21. *n.* 22. *et Soto, Cajet. Cornejo, et Lud. apud Salm. c.* 3. *n.* 165. tum quia in *c. Nuper de Sent. excomm.* dicitur excommunicatio minor absolvenda esse vel ab Episcopo, *vel a proprio Sacerdote*, qui sane intelligi nequit simplex Sacerdos; tum quia juxta Decretum Innocentii XI. relatum in tr. *de Pœnit. n.* 553. *v. Quæritur*, hodie vetitum est Sacerdotibus simplicibus absolvere a venialibus. Hæc reddunt primam sententiam omnino improbabilem.

72. Dicendum II. quoad censuras *ab homine* latas, quod si censura feratur per modum sententiæ particularis contra determinatam personam, non potest illa absolvi, nisi ab ipso ferente, vel ab ejus Superiore, vel ab ejus suc-

cessore, aut delegato. Est certum et commune; vide *Croix l.* 7. *n.* 121. *et Salm. t.* 2. *n.* 50. Quod si autem Judex in foro externo testetur censuratum jam satisfecisse partibus, vel esse emendatum, tunc censetur vel ipse jam absolvere, vel cuilibet absolvendum remittere; *Salm. ib.* Et hic obiter notandum I. Quod Episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo, quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali ut *Sylv. Henr. Avil.* cum *Salm. c.* 2. *n.* 36. Notandum II. quod si quis in alieno territorio delinquit, et ab illius Episcopo specialiter excommunicatur, non potest absolvi ab Episcopo proprio, nisi de Episcopo loci licentia. Ita *Contin. Tourn. Diana, Cand.* et cum *Salm. num.* 37. Dixi *specialiter*, nam si excommunicatus sit per sententiam generalem, potest a quocumque absolvi, ut mox dicetur.

73. Si vero censura feratur ab homine per modum statuti, sive sententiæ generalis contra personas indeterminatas, sive in futurum, v. gr. in omnes, qui hoc crimen patrabunt, sive in præteritum in omnes, qui hoc crimen commiserunt (posita contumacia, juxta dicta *n.* 54.) tunc alii, ut *Suarez D.* 7. *sect.* 2. *n.* 23. *et Vasq. Fill.* etc. apud *Salm. c.* 2. *n.* 59. tenent non ab alio, quam ab ipso ferente absolutionem impendendam esse, quia censura ab homine, juxta regulas juris, ab eo dumtaxat auferri potest, a quo est lata. Sed probabilius dicendum, absolutionem tunc a quocumque confessario impertiri posse, si censura non sit reservata, ut cum *Bus.* tenent *Palaus* §. 4. *n.* 10. *Laym. cap.* 7. *num.* 3. *Ronc. Qu.* 3. *Resp.* 11. *Concina pag.* 443. *n.* 6. *Holzm. pag.* 365. *num.* 127. *Sporer Supp. pag.* 124. *n.* 53. *et Salm. c.* 2.

n. 51. cum *Con. Sayr. Tol. Sot. Avil. Bon. et Croix lib.* 7. *n.* 128. Cum communi. Ratio, quia hæ censuræ æquiparantur censuris latis a jure, et ideo a quocumque absolvi possunt, cum agatur de re favorabili, quæ amplianda est, quantum res patiatur, ex *cit. cap. Nuper, de Sententia excommunicationis.*

74. » Resp. 2. Episcopi secundum *Trident.* » *sess.* 24. *c.* 6. possunt 1. absolvere in foro » conscientiæ per se, Vel Vicarium ob omni- » bus censuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ » Papæ reservatis, excepta hæresi, a qua per » seipsos tantum absolvere possunt, quantum » est ex vi hujus decreti. Dicitur autem censura » occulta, quæ contracta est ob delictum non » publicum, nec ad forum contentiosum dedu- » ctum fuit, a quo reus ob defectum probatio- » nis fuit absolutus. *Bon. dub.* 1. *q.* 3. *part.* » 1. *n.* 15. et *part. secunda n.* 1. *ex declar.* » *Cardin.* etc. 2. Possunt etiam sæpe absolvere » a censura Papæ reservata, propter impedi- » mentum ejus qui incurrit, vel quando pro- » pter senium, morbum, sexum, pauperiem » Pontifex non potest adiri. *Bon. l. c. ex Nav.* » *Sanch. Avila, Con.* etc.

75. Quoad facultatem, quam habent Episcopi circa peccata reservata Pontifici, ante omnia notanda sunt verba *Trident. in Cap. Liceat* 6. *sess.* 24. *Liceat Episcopis in irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, Et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœniten-*

tia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.

76. Hinc notandum I. quod Episcopi, licet non possint absolvere ab hæresi occulta, juxta sententiam, quam mox exponemus, possunt tamen dispensare in irregularitate ex hæresi occulta contracta. Ita *Potestas tom.* 1. *n.* 3338. *Salm. de Cens. cap.* 2. *n.* 54. Notandum II. quod, ut crimen dicatur non occultum, requiritur, ut vel sit deductum ad forum contentiosum, vel sit notum fere omnibus, ut ait *Viva cum Suar.* aut saltem majori parti Oppidi, Viciniæ, Parochiæ, Collegii, seu Monasterii, ut dicunt *Bon.* §. 4. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 34. *n.* 55. *Salm. c.* 2. *n.* 39. cum *Pal. Pell.* etc. Ita ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciant quinque vel sex personæ, ut ait Auctor cit. (*Istr.* etc.) *p.* 2. *c.* 13. *n.* 300. Vide dicta *l.* 6. *n.* 593. *vers. Hic autem, et n.* 1111. Tunc autem crimen censetur ad forum deductum, cum ibi est probatum saltem per unum testem. Secus, si nullo modo fuerit probatum, etsi Reus malis artibus hoc obtinuerit, et ibi absolutus fuerit, quia tunc adhuc censetur occultum; ita *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 34. *n.* 47. *Bon. q.* 3. *p.* 2. *n.* 2. *et Salm. cap.* 2. *n.* 60. *cum Con. Avila, Henr.* etc. Immo dicitur occultum, etiamsi crimen complicis sit ad forum deductum, quia ex *lib.* 1. *C. res inter, etc. Res inter alios acta, non potest afferre præjudicium aliis, quibus res judicata non nocet.* Ita *Salm. ibid.* cum *Nav. Bon.* et *Sanch.*

77. Sed hic dubitatur 1. An possit absolvi ab Episcopo Reus alicujus casus Papalis, qui jam punitus sit in foro alterius Episcopi, ubi judicium sit finitum? *Prima* sententia affirmat, et

hanc tenent *Sanch. lib.* 2. c. 11. *n.* 21. *et Salm. cap.* 2. *n.* 62. *cum Reg. Avila, Leandro etc.* Ratio, quia intentum Concilii fuit servare auctoritatem Judicum, et vitare scandalum, si publica crimina publice non punirentur; at eo casu neque scandalum adest, neque auctoritati Judicium præjudicatur. *Secunda* vero sententia communior et verior negat, eamque tenent *Suarez D.* 4. *sect.* 2. *n.* 6. *Pal. tom.* 1. *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 3. §. 1. *n.* 17. *Barb. All.* 39. *n.* 3. *Concina p.* 445. *n.* 12. *Bon. de Irreg. q.* 5. *p.* 1. *n.* 6. *cum Garcia, et Rodr. ac Croix lib.* 6. *p.* 2. *cum Mascard. Menoch. etc.* Ratio quia, licet tunc Judici sit satisfactum, tamen cum crimen juridice publicum factum fuerit, manet simpliciter publicum, et ut tale omnino est Pontifici reservatum.

78. Dubitatur 2. an crimen in uno loco publicum possit absolvi ab Episcopo in alio, ubi est occultum? Negant *Bon. D.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 3. *et Suarez tom.* 4. *D.* 30. *sect.* 2. *n.* 3. Sed probabiliter affirmat *Sanch. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 20. *Cont. Tournely tom.* 2. *pag.* 115. *cum Piasce. Barb. All.* 35. *num.* 28. *cum Gutt. et Salm. c.* 2. *n.* 62. cum *Trull. Leand. Avila, et aliis apud Croix lib.* 7. *n.* 144. Dummodo locus, ubi crimen est notum, ita distet, ut non sit timor, quod publicetur ubi est occultum.

79. Notandum III. quod nomine Episcoporum veniunt Abbates, et alii jurisdictionem Episcopalem habentes, ut *Sanch. n.* 6. *et Salm. n.* 55. *cum Henr. Dic.* et *Avers.* (contra *Bon. et Suar. apud Croix lib.* 7. *n.* 141.) vide dicta *l.* 6. *n.* 543. *v. Eamdem.* Venit etiam Capitulum, Sede vacante, ut *Bon. n.* 1. *Sanch. n.* 4. et *Salm. ibid.* Notandum IV. Nomine subditorum veniunt etiam vagi, et omnes habentes

animum permanendi in loco illo per majorem partem anni, ut *Croix lib. 7. num.* 136. cum *Sanch. Suarez*, *Bon. Barb.* etc. Notandum V. quod Episcopi vi concessionis in dict. *cap. Liceat*, possunt absolvere a casibus Papalibus etiam post Tridentinum reservatis, ut probabile esse diximus *lib.* 6 *n.* 594. *Dub.* 9.

80. Notandum VI. circa facultatem a Tridentino concessam Episcopis in *c. Liceat*, absolvendi, aut dispensandi a casibus Papalibus, vel ab irregularitatibus occultis, id quod dicit *Fagnanus in c. Dilectus* 15. *de Temp. Ordin.* ubi ait: *Ex sententia Sancti Concilii Episcopi illarum Regionum, in quibus Concilium adhuc receptum non est, non possunt uti facultate in hoc decreto concessa.* Notat deinde ibidem declaratum fuisse a Gregorio XIII. prædictam facultatem nec etiam Cardinalibus competere, etsi Ecclesiarum Urbis Titulum habeant.

81. Quæritur I. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus et surpensionibus occultis cum suo subdito, qui in aliena Diœcesi moratur? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Avila*, *Henriq. et Ugolin. apud Barb. in Trid. Sess.* 24. *cap.* 6. *n.* 44. Ratio (ut ajunt), quia Concilium tribuit Episcopis facultatem dispensandi tantum in sua Diœcesi. *Secunda* vero sententia communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 11. *n.* 12. *Suar. D.* 41. *sect.* 1. *n.* 10. *et* 12. *Bon. D.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 1. *v. Tertio*, *et* 7. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 4. *Diana p.* 4. *tr.* 4. *R.* 96. *Cont. Tourn. p.* 448. *R.* 3. *Salm. c.* 2. *n.* 53. *et Barb. l. c. cum Boss. Marchin. Fag. etc* Ratio, quia Dispensatio per se potest concedi absenti; ergo non oportet, ut dispensandus adsit in Diœcesi, cum actus jurisdictionis voluntariæ

bene possit exerceri etiam extra territorium. Nec obstat quod in Tridentino dicatur *in Diœcesi sua*; nam respondetur, quod vel particula illa satis verificatur, cum aut Episcopus aut subditus existit in propria Diœcesi, ut dicunt *Cont. Tournely p.* 448. *R.* 3. *et Salm. n.* 53. Vel quod prælata particula refertur tantum ad secundam partem, ubi agitur de absolutione casuum, ut respondent *Suarez n.* 10. *et Sanch. n.* 13. *Holzm. p.* 413. *n.* 227. *cum. Pal. Pignat. et Croix n.* 470. Ex quo hi Auctores inferunt, quod etiamsi uterque tam Episcopus quam subditus sint extra Diœcesim, bene poterit Episcopus dispensare ab irregularitate, et absolvere a suspensionibus. An autem Episcopus possit absolvere, et delegare facultatem absolvendi casus Papales occultos extra Sacramentum Pœnitentiæ? Affirmat *Sanch. Suar. Bon. Salm.* Sed id hodie omnino negandum ex Declaratione Gregorii XIII. relata *lib.* 6. *n.* 593.

82. Quæritur II. An prædicta facultas a Tridentino Episcopis concessa fuerit revocata per Bullam Cœnæ quoad hæresim, et alios casus in ea reservatos? Adest duplex sententia. *Prima* negat, et hanc tenent *Nav. Man. c.* 27. *n.* 260. *ac Bannez, Vega, Sa, Arag. Angl. Henriq. Fag. etc. apud Barb. All.* 40. *n.* 21. item *Coninck, Avila, Becan. Granad. P. Led. etc. ap. P. Milant.* in Prop. 3. Alex. VII. et probabilem putant *Salm. tr.* 18. *c.* 4. *n.* 163. Ratio (ut ajunt) quia in Bulla Cœnæ nulla fit mentio concessionis factæ Episcopis per Tridentinum, sed per clausulam generalem minime revocantur facultates a Concilio Generali alicui tributæ, ut habetur ex *c. Ex parte de Capell. Monach. cum Glossa ib.* verbo: *Nulla mentio*, et ex *c. Nonnulli de Rescriptis*, et ib. Glossa verbo: *Fecerit mentionem.* Et juxta hanc primam sententiam notant

Salm. c. 2. n. 54. cum Nav. Henr. et Gran. ac Felix Potestas, *cum Dic. et Diana*, quod Episcopus circa crimen hæresis, licet non possit concedere alteri generalem facultatem absolvendi ab illa, cum talis facultas fuerit tributa a Concilio *Episcopis tantum*, *non eorum Vicariis*, bene tamen eam potest delegare alteri in casu particulari; quia cum ipsa sit annexa dignitati Episcopali, competit Episcopis jure ordinario, et ideo potest ab eis delegari omni modo quo eisdem expresse non est vetitum.

83. *Secunda* vero sententia verior affirmat, et hanc tenent *Sanch. Dec. l. 2. c. 11. n. 27. Pignatell. tom. 1. Cons. 291. Lugo de Pœnit. D. 23. sect. 2. §. 1. Anacl. de Fide D. 4. p. 124. n. 30. Tolet. in explic. B. Cœnæ n. 14. in fin. Diana p. 7. tr. 2. R. 23. Ronc. de Cens. tr. 4. q. 1. c. 6. q. 4. Croix l. 6. p. 2. n. 1617. Viva in Prop. 3. Alex. VII. n. 7. Vidal in ead. Prop. Holzm. tom. 1. p. 386. n. 218. Mazz. tom. 3. p. 460. n. 2. Elbel to. 2. p. 486. n. 253. Barb. All. 40. n. 23. cum Say. Molin. Philiarch. Homob. Ugol.* et pluribus aliis; item *Fagn. l. 1. in c. Quoniam de Constit. n. 28.* ubi id affert decisum a S. C. Duasque similes Declarationes affert *Pitton. de Episcop. n. 960. et n. 1026.* unam emanatam die 4. Dec. 1642. alteram 28. Octob. 1741. Eamdem sententiam omnino tenendam docet Benedictus XIV. *de Synodo lib. 7. c. 32. cum Card. Petra*, *Duard. Cleric. etc.* ibique testatur quod *P. Suarez* prius censuit probabilem primam opinionem, sed deinde in *tr. de Fide D. 1. §. 4. n. 13.* ab illa recessit, et asseruit ipsam revera omni probabilitate esse destitutam. Probatur nostra sententia ex verbis ipsius Bullæ Cœnæ, ubi dicitur *Nullus per alium*

quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo, absolvi possit, prætextu quarumvis facultatum et indultorum; quibuscumque personis, etiam Episcopali vel majori dignitate præditis... per Nos et dictam Sedem, ac cujusvis (nota) *Concilii Decreta concessorum, vel concedendorum.* Per quæ ultima verba jam apparet derogatum concessioni Tridentini. Nec obstat ratio opposita, quod per clausulam generalem non revocantur facultates concessæ per concilium Generale. Nam respondetur 1. id locum habere, quando revocatio fit per Rescripta, non vero cum fit per Constitutiones Pontificias; in præfatis enim textibus adductis (ut legenti patet) tantum de Rescriptis habetur sermo. Valde autem dispar est ratio inter Rescripta, et Pontificias Constitutiones; nam Rescripta, quia sunt contra jus, et propter importunitatem ac multitudinem petentium non fiunt ea maturitate et consilio, quo Constitutiones Pontificum et Decreta Conciliorum emanantur, ideo id quod dicitur de Rescriptis, non procedit de Constitutionibus, ut bene advertunt *Fagnanus. in d. c. Nonnulli, de Rescript. et Ronc. de Leg. pag. 47. q. 4. cum Card. de Luca*, et communi. Ac propterea observat *Fagn. n.* 24. Tridentinum derogasse pluribus Decretis Conciliorum Generalium, nulla ipsorum facta mentione; immo testatur idem *Fagnan. l.* 3. *in c. Nulla de Concess. præb. n.* 86. S. Pium V. in quodam Motu proprio (relato ad litteram a *Nic. Garcia*) declarasse, satis esse ad revocandum Concilium, quod Papa contrarium disponat, supplicationem manu propria signando. Insuper laudatus Bened. XIV. testatur, S. Pium V. et Gregorium XIII. (et idem asserit *P. Viva l. c. p.* 4. ac alii *apud Barb.*) de hac re signanter

interrogatos, respondisse; nulli præter Papam hodie integrum esse absolvere ab hæresi etiam occulta. Item in Vita S. Francisci Salesii descripta a Petro Galitia *l.* 2. *c.* 32. narratur (ut notat idem Benedictus) quod, cum Papa Clemens VIII. Salesium pro examine ad Episcopatum præsentatum interrogasset, an posset Episcopus ab hæresi absolvere; respondit affirmative. At Papa subjunxit: *Sed Nos non ita sentimus.* Et tunc S. Franciscus dixit: *Beatissime Pater, si S. V. non ita sentit, nec ego deinceps sic sentiam.*

Respondetur 2. quod, etiamsi ad derogandum Decreto Tridentini fuisset requisita specialis illius mentio, hæc jam adfuit in præfata Bulla Cœnæ, cum ibi dictum fuerit Episcopum non posse absolvere a casibus Bullæ, *prætextu facultatum per cujusvis Concilii Decreta concessarum;* Quænam hic expressior mentio fieri debebat? Tanto magis quod solum Concilium Tridentinum, et non aliud talem facultatem Episcopis concesserat.

Accedit ad hæc damnatio Propositionis 3. ab Alex. VII. quæ dicebat: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum quando publica sunt; et id non derogare facultati Tridentini, qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. 18. *Junii in Concistorio S. C. Eminentiss. Card. visa et tolerata est.* Merito hinc dicunt *Viva, Holzm. Elbel, et Bened. XIV.* quod per hanc damnationem prima sententia ita a sua probabilitate (si quam habeat) deturbata est, ut nunc probabilis non amplius videatur. Nec obstat dicere cum *Coreglia, Concina, Salm. et Milante*, quod Pontifex non damnavit sententiam, sed

tantum quod ipsa in Concistorio visa et tolerata fuerit; et ideo putant, illam in sua probabilitate reliquisse. Nam respondetur, quod licet Pontifex directe solum damnaverit factum, nempe quod visa fuerit, et tolerata, indirecte tamen aperte ipsam sauciavit opinionem; nisi enim falsam existimasset, non utique tam sollicitus fuisset de mendacio illo damnando; cum igitur declaravit eam non fuisse toleratam, implicite declaravit non esse dignam ut toleretur. Ex his omnibus concludit præfatus Benedictus XIV. *loc. cit. n.* 4. hodie *Episcopos non sine temeritatis nota hanc auctoritatem* (nempe absolvendi ab hæresi) *posse sibi ostentare, et tanto minus delegandi.* Poterit ergo solummodo Episcopus ut Delegatus Apostolicus hæreticum notorium pro foro externo absolvere, ut dicit *Roncaglia l. c.* cum *Palao*, *et Farinac.* Postquam autem ab Episcopo sublata fuerit excommunicatio, a quovis Confessario peccatum hæresis absolvi poterit.

84. Quæritur III. An Episcopi absolvere possint a censuris Bullæ Cœnæ impeditos Romam adire? Adsunt tres sententiæ. *Prima* absolute negat cum *Bonac. de Censur. Disp.* 1. *Q.* 22. *pun.* 2. *n.* 22. qui citat *Suarez*, *et Innoc.* (sed dicit *in simili*, ergo prædicti DD. non loquuntur proprie de hac sententia). Ratio *Bonacinæ*, tum quia in Bulla excipitur tantum articulus mortis, tum quia contrarium nullo jure probatur; Non autem suffragatur epikeja (ut ait) in hoc casu, ubi constat de contraria intentione Pontificis; Nec obstare addit textus infra citandos, quia vel ibi non datur facultas absolvendi Episcopis, vel ibi non datur facultas absolvendi Episcopis, vel, si datur, hæc revocata fuit per Bullam Cœnæ;

sicut fuit revocatum Decretum Tridentini. Excipit tamen *Bonac. num.* 23. casum gravis necessitatis, verb. gr. celebrandi, communicandi, et similis. *Secunda* sententia concedit Episcopis absolvere a ceteris casibus, sed negat ab hæresi. Ita *de Alex Conf. Mon. cap.* 6. §. VIII. *Q.* 3. *et* 4. Ratio, cur excipit hæresim, quia in generali concessione (puta in Jubilæo) absolvendi a casibus Bullæ, non datur facultas absolvendi ab hæresi, ut declaravit Gregorius XIII. Sed hæc ratio debilis est, nam ex infra dicendis, hæc facultas non oritur ex concessione, sed ex epikeja, et præsumpta mente Pontificis. *Tertia* communis sententia, cui subscribo, docet Episcopos posse per se, vel per alios ab eis specialiter delegatos, absolvere in utroque foro legitime impeditos ab omnibus casibus, et etiam ab hæresi, præstito tamen juramento ab eo, qui absolvitur, de se præsentando postea Superiori, ut infra dicetur. Ita *Pal. Disp.* 1. *pun.* 2. §. 5. *n.* 6. *Roncag. d. Q.* 2. *R.* 11. *Laym. de Censur. c.* 2. *n.* 63. *Cons. p.* 445. *n.* 13. cum communi, *Lugo de Pœnit. n.* 218. *Salm. tr.* 10. *cap.* 2. *num.* 72. *et tr.* 18. *cap.* 4. *num.* 164. *Viva in Prop.* 3. *Alexand. VII. num.* 5. *Milante, ibid.* cum *Con. Avil. Corn. etc. Potest. t.* 1. *n.* 3347. cum *Tambur. Donat. Leand. Pelliz.* et communi Theologorum, et Canonistarum, ut testatur *Ronc. l. c.* Ratio, quia, existente impedimento adeundi Papam, restituitur Episcopis potestas ordinaria, non jam vi Tridentini, sed vi juris communis; Et probatur ex *cap. Ea noscitur.* 13. *De Sentent. excomm.* ubi: *Mulieres, senes, et valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolorum sedem non veniant, ab Episcopis valeant fidelium com-*

munioni restitui. Idem sancitur in *c. Quamvis* 58. *eodem tit.* ubi habetur, quod percussor Clerici a Sede Apostolica absolvi debet: *Nisi* (additur) *imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento Canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire.* Idem *in c. De Cetero, et in c. Nuper* 20. *eod. tit.* ubi in fine generalius dicitur, quod quoties difficulter quis ex justa causa possit accedere pro absolutione excommunicationis ad eum a quo absolvendus esset, *a suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Quamvis autem prædicti Canones loquantur de censura ob percussionem Clerici, quia hæc frequentior est, tamen communiter DD. extendunt ad omnes alias censuras, in quibus currit eadem ratio salutis Animarum, ex *cap. Cum dilecta, de Confirmat.* etc. nam ibi notat *Glossa*: *Ubi eadem ratio, idem jus debet esse.* Ita *Salm. Potest. Roncag.* etc. *l. c.* Immo (ut bene notat *Roncag. loc. ibidem*) *in cap. Eos, qui* 22. *De Sent. excomm. in* 6. universe sancitur, omnes casus Papales, quando adest impedimentum Papam adeundi, posse ab alio absolvi; Sic enim ibi habetur: *Eos, qui a sententia Canonis, vel hominis, cum ad illum, a quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvantur.* Per quæ verba Tò, *a sententia Canonis*, intelliguntur omnes casus Papæ reservati, ut notat *ibi Glossa*, verbo, *Canonis.*

85. Quæritur IV. Quinam dicantur legitime impediti? Dicuntur (ut habetur ex *d. c. Ea noscitur.* 13. *de sentent. excom.*) mulieres,

senes, valetudinarii. Adduntur in *c. Quamvis*, pueri, pauperes, habentes inimicitiam, *vel alias justas excusationes* (ut dicitur in *cap. De cetero eod. tit.*), *quibus ab itinere rationabiliter excusentur.* His verbis comprehenduntur omnia alia justa impedimenta, quæ infra adnotabimus.

86. Sed hic præcedenter advertendum, quod si impedimentum sit ad breve tempus, tunc innodatus censura reservata non potest ab alio absolvi, nisi urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, nempe ad evitandum scandalum, aut infamiam. Si tamen impedimentum sit ad longum tempus, puta ad annum, vel sex menses (immo *Mendoza apud Viva in prop.* 3. *Alex. VII. n.* 6. ad unam noctem, sed *Viva* non admittit neque ad biduum, quia in tali spatio non adest morale periculum mortis), tunc, excepto impedimento ætatis puerilis, quisque alius impeditus non debet absolvi, nisi præstito prius juramento, quod cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam quantocius se præsentabit, ut habetur ex *c. De cetero de Sent. exc.* Alias omittens se præsentare reincidet in eamdem excommunicationem, ex *c. Eos qui. De Sent. exc. in* 6. vide *Ronc. d. q.* 4. *R. II.* cum *Mansi*; Et iste ab hac obligatione se præsentandi non excusatur, etiamsi Confessarius omittat illam ei imponere, cum ea sit imposita a jure. *Sanch. l.* 2. *c.* 13. *n.* 30. *Sal. c.* 2. *n.* 46. Sufficit autem, ut Reus se præsentet per procuratorem, *Salm. c.* 2. *n.* 66. cum *Caj. Leand. Avil.* et *Potest. n.* 3351. qui excipit casum percussionis Clerici, pro quo in *c. Quod de his. De Sent. exc.* taxative exigitur persona.

87. Sed hic dubitatur, an si aperte constet

Reum esse omnino emendatum, et partibus satisfecisse, ipse excusetur a tali præsentatione? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Nav. Man. c.* 26. *n.* 26. item *Avila*, *Cornejo*, *et Henr. apud Salm. d. n.* 66. qui putant probabilem saltem extrinsece. Ratio, quia (ut dicunt) finis Pontificis non est alius quam emendatio Rei, et partium satisfactio; idque inferunt ex *c. Quamvis de Sent. exc.* ubi nulla alia ratio præsentationis exprimitur, quam ut Reus excipiat mandatum satisfaciendi: *Ad Apostolicam sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.* *Secunda* vero sententia communior et probabilior negat, quam tenent *Suar. t.* 4. *in* 3. *p. D.* 30. *s.* 3. *n.* 6, *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 13. *n.* 29. *Laym. de cens. c.* 6. *n.* 4. *et Salm. c.* 2. *n.* 66. Ratio, quia mandatum ad quod suscipiendum tenetur Reus se præsentare, non solum suscipi debet ad implendam satisfactionem partis læsæ, obligatio enim hæc de ipso jure naturæ in omni læsione est insita, sed etiam ad exequenda cetera quæ a Pontifice imponuntur ad cavendum idem crimen futurum, ut dicit *Croix. l.* 7. *n.* 147. *cum Suar. Sanch.* etc. Tanto magis quod in *eod. c. Quamvis*, supponitur casus de eo qui jam satisfecerit. Et pro casibus Bullæ Cœnæ id in eadem Bulla circa finem expressum est, his verbis. *A prædictis censuris nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo (cautione præstita) absolvi possit.* Ubi observa bene distinguí obligationem standi Ecclesiæ mandati, et satisfaciendi, idest parti læsæ.

88. Si autem impedimentum sit perpetuum, absoluti omnino manent liberi ab onere compa-

rendi; *Bon. D.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 4. *Conc. p.* 445. *n.* 13. *Tourn. p.* 430. *Viva de Sacr. Pœnit. Q.* 9. *Art.* 2. *n.* 8. *Potestà n.* 3349. *Ronc. d. q.* 4. *R.* 11. Dicuntur autem perpetuo impediri, I. Filiifamilias, *argum. c. Mulieres, et c. Relatum, De Sent. exc.* II. Regulares ex *c. Monachi* et *c. Cum illorum.* 32. §. *Qui, de Sent. excom.* etiamsi censura incursa sit ante ingressum in Religionem, ut *Ronc. p.* 82. *q.* 6. *Barb. All.* 41. *n.* 17. *et Holzm. p.* 364. *n.* 126. Hi enim absolvi possunt a suis Prælatis: Nisi (excipitur in *d. c.* 32.) *excessus extiterit enormis.* Vide alia circa percussionem *n.* 280. III. Senes ex *c. Ea noscitur, de Sent. exc.* quamvis hi sint potentes ad ambulandum, ut *Barbos. n.* 27. *cum Sylv. Sayr. et Graff.* Nomine autem *senum* veniunt non solum septuagenarii, ut ait *P. Milante in Prop.* 3. *Alex. VII.* sed etiam sexagenarii, ut probabiliter *P. Viva l. c.* juxta dicta *de Jejun. l.* 3. *n.* 1036. Non vero quinquagenarii, ut improbabiliter dicit *Farinac. apud Barbos.* et alii *apud Viva.* IV. Servi. V. Pauperes, scilicet qui ob inopiam nequeunt Romam petere, ut in *c. Quamvis, de Sent. excom.* Secus, si inopia iter non impediret, ut evenit in mendicis vagabundis; et sic intelligitur textus in *c. Ea noscitur, eod. tit.* ut explicat ibi Glossa *v. Pauperes.* Nemo autem tenetur accedere mendicando (ut ait *Potestà*), si ad hoc non sit solitus, ut notat *Palaus p.* 23. *n.* 18. VI. Carceribus, vel triremibus perpetuo damnati, et similes. VII. Infirmi, scilicet laborantes longa, et gravi ægridine, licet non mortifera, puta, quartana, ut dicunt *P. Milante in prop.* 3. *damnat. ab Alexand. VII.* ex Innoc. III. *Salm. et Potestà cum Pal.* Qui his addunt debiles, sive de-

licatos, non valentes ferre labores itineris. Sed pro istis, nisi periculum sit in mora, consulendus est Papa, ex *cap. Mulieres de Sent. excom.* VIII. Cura obstricti alendi, sive administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico detrimento, *Laym. Potestà*, *et Pal.* IX. Mulieres, non solum Moniales, de quibus est certum ex *c. De Monialibus* 33. *de Sentent. excom.* ubi earum absolutio remittitur Episcopis, sed omnes mulieres: Ratio, quia, dum in *cap. Quamvis de Sent. excom. et cap. Ea noscitur, eod. tit. in* 6. feminæ excusantur a se præsentando, non alia ratio assignatur, nisi quia feminæ sunt. Ita *Salm. c.* 2. *n.* 88. *Milante in d. prop.* 3. *Tourn. tom.* 2. *p.* 450. *et Pal. p.* 23. *num.* 8. *ac Barb. n.* 30. *cum Nav. Bonac. etc.* Hic autem advertendum, quod Moniales non possunt absolvi ab Episcopo a censura ob violationem clausuræ etiam occultam, excepto mortis articulo, ex Declaratione Gregorii XIII. ut diximus *l.* 6. *n.* 594. Pontifex enim illam sibi specialiter reservavit, quamvis sciret Moniales esse perpetuo impeditas. X. Impuberes, quorum absolutio ex jure ordinario datur Episcopis in *c. fin. de Sent. exc.* Ideoque hi sunt exempti ab onere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant. *Salm. n.* 67. *cum Con. Corn. et Avil.* et *c. fin. de Sent. exc.* ubi assignatur ratio; *Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit temperandus.* Recte autem *Avila ibi* advertit, quod si Sacerdos carens facultate absolvendi absolvat impuberem in periculo mortis a censura Papali, debet ei imponere, ut extra periculum se præsentet Episcopo. Etiam impediti censentur illi, qui simul vitam ducunt, ut

milites, vel qui in Seminario morantur: Unde hi ab Episcopis absolvi possunt a casibus Romano Pontifici reservatis, ut *Milante in d. prop.* 3. *et Barb. All.* 41. *n.* 16. *cum Nav. Bon. etc. ex cap. Quoniam de Vita, et honest. Cler.* ubi datur facultas Episcopo absolvendi eos, qui simul vivunt, si quis eorum Clericum socium percusserit, modo percussio non fuerit enormis. Denique censentur impediti, quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali suo, vel duorum. *Viva l. c. ex cap. Quamvis de Sent. excom.* ubi dicitur excusari, *sive quolibet impedimento canonico retrahatur.* Ut autem hi super enumerati dicantur perpetuo impediti, sufficit, ut tali impedimento laborent per decennium, et secundum *Tamb. in Dec.* etiam per quinquennium, et consentit *Viva in prop.* 3. *Alex. VII. n.* 6. *et Ronc. d. qu.* 4. *R. II.* Leviter autem Clericos percutientes semper possunt absolvi ab Episcopo, ex *arg. c. Pervenit, De Sent. excom.* vide dicenda *n.* 279.

89. Quæritur V. An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per Epistolam, aut procuratorem, ad absolutionem a prædictis casibus obtinendam? Affirmat *Bon. D.* 1. 3. *p.* 2. *n.* 4. (cui adhæret *Potestà t.* 1, *n.* 3346.) putans, quod pro casibus occultis recurrendum sit per epistolam ad S. Pœnitentiariam, quando commode fieri possit, et aliqua necessitas non impediat; quia ad hoc est S. Pœnitentiaria a Pontifice constituta. Hæc sententia est probabilis, sed probabilior, et communis est sententia negativa cum *Ronc. d. q.* 4. *R. II.* (qui vocat tutissimam sententiam (*Milante in prop.* 3. *Alex. VII. Viva ib. n.* 7. *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 6. *et Spor. p.* 264. *n.* 750.

cum communi, et *Salm. c... n.* 65. *cum Con. Henr. Dic. Avil. Dian. Conin.* Vide dicta *l. c. n.* 563. *v. Dub.* 3. Idem dicit *Sanch. Dec. l.* 4. *n.* 13. qui excipit casum hæresis, at hanc exceptionem rejiciunt *Pal. D.* 1. *p.* 2. §. 5. *cum Avers. et Dic.* apud *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 1623. Ratio, tum quia, stante impedimento Romam adeundi, restituitur (ut diximus) ex jure Episcopis potestas ordinaria absolvendi per reservationem Bullæ ablata; Tum quia (ut ait *Ronc. l c.*) jus non obligat Reum, nisi ut personaliter adeat Papam: Unde, si id præstare nequit, ad aliud non tenetur. Præterea (addit bene *Ronc.*) obtinere absolutionem a S. Pœnitentiaria, est privilegium, sed privilegia, utpote favorabilia, nullam inducunt obligationem iisdem utendi. Et sic pariter ab Episcopo in casu impedimenti Reus absolvi potest; etiamsi adsit Nuntius Apostolicus, qui possit facile adiri, ut probabilius tenent *Ronc. et Salm. eod. n.* 65. *cum Corn. Dian. Avil. Henr. et Lugo* apud *Croix l. c.* (contra *Mol. Bon. Con.* etc. apud *Salm.*). Sicut enim Nuntius, ita et Episcopus tunc absolvere potest ex delegatione Pontificis.

90. Quæritur VI. An casu quo Hæreticus sit impeditus recurrere ad Papam, possit Episcopus eum absolvere (juxta sententiam mox supra relatam in Quæst. III.), non solum per se, sed etiam per alios? Jam diximus supra in Quæst. II. *n.* 82. quod extra casum impedimenti non potest Episcopus absolvere ab ullo casu in Bulla Cœnæ reservato, et tanto minus delegare. In casu vero impedimenti dicimus cum *Bonac. in Bulla Cœnæ D.* 1. *q.* 22. *p.* 2. *n.* 14. *Ronc. p.* 81. *cap.* 6. *q.* 4. *R.* 2. *v. Quod si, et de Alexandro Confess. Monial. c.* 6. §. 8.

q. 3. valde probabiliter posse Episcopum ab omnibus casibus Pontificis, etiam hæresis absolvere, et delegare, non solum specialiter in casu particulari, sed etiam generaliter. Nec obstat Tridentinum in laudato *c. Liceat*, ubi, cum sermo sit de hæresi, dicitur: *Eis tantum, non eorum Vicariis*, (absolvere) *sit permissum*. Nam recte respondent AA. citati, quod id procedit juxta antiquum præscriptum Tridentini, ubi concessum erat Episcopis absolvere ab hæresi occulta etiam extra casum impedimenti; sed cum agitur de impedito ab adeundo Pontificem, facultas hæc absolvendi ab hæresi, aliisque casibus Bullæ Cœnæ competit Episcopis non jam vi Tridentini, sed vi juris communis, ut communiter loquuntur DD. utque late probavimus in *dicta Quæst. III. n.* 84 ex pluribus textibus ibi allatis. Unde, cum in casu impedimenti prædicta facultas de jure ordinario spectet ad Episcopos, eo quod est annexa ipsi Episcopali officio, et dignitati, ideo ipsi bene possunt generaliter eam delegare. Et hoc est juxta communem doctrinam AA. nempe quod omnes qui habent potestatem ordinariam possunt eam delegare, ut docent *Salm. tr.* 11. *de Legib. c.* 5. *n.* 51. *et tr.* 17. *de Voto n.* 83. cum communi, *Contin. t.* 2. *de Leg. p.* 194. *v. Quod spectat*, *Holzm. t.* 1. *pag.* 98. *n.* 485. et alii passim ex *l. More* 5. *de Jurisdict. omnium Judic.* ubi id expressum habetur: *Is demum jurisdictionem mandare potest, qui eam suo jure* (idest *ordinario*, ut explicat ibi Glossa), *non alieno beneficio habet*. Certum contra est, quod cum alicui Prælato aliqua potestas conceditur, et ejus officio sive dignitati annectitur, illa est, vel saltem æquiparatur potestati ordinariæ, ut docent iidem *Salm. d. cap.* 5. *de Leg. n.* 50.

et Laym. lib. 1. *tr.* 5. *c.* 22. *n.* 6. qui id probat ex *l.* 1. *ff. de Offic. ejus cui comm. est jurisd.* et ex *c. Quoniam de Offic. deleg.*

91. Quæritur VII. An quando ob mortis periculum, vel ob aliud impedimentum absolvitur ab inferiore peccatum reservatum, sed absque censura, imponendum sit onus Pœnitenti, ut Superiori se præsentet? Negant *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 13. *n.* 24. *cum Corduba*, *Zambran*, item *Salm. de censur. c.* 2. *n.* 46. qui citant *Suar. in.* 3. *p. t.* 4. *D.* 30. *s.* 3. *n.* 6. sed non bene, ut infra videbimus. Ratio (ut ajunt), tum quia eo casu directe absolvitur peccatum; tum quia nullo jure cavetur tale onus comparendi. Sed omnino distinguendum: si peccatum sit absolutum in articulo sive periculo mortis, tunc nulla remanet obligatio se præsentandi ad Superiorem, quia tunc vere directe peccatum fuit absolutum, cum eo casu cesset omnis reservatio, ut recte docent *Suar. dict. n.* 6. *et Salm. de Pœn. c.* 11. *n.* 21. *cum Palud. et Nav. ac Dian. p.* 5. *tr.* 3. *R.* 66. *cum Gran. Præp. Hurt. etc.* Secus, vero si peccatum est absolutum ab inferiore propter aliquod impedimentum adeundi Superiorem extra mortis articulum, quia tunc nullus inferior potest directe absolvere a reservatis, sed tantum indirecte, juxta dicta *lib.* 6. *n.* 585. *v. Dub.* 1. Unde Pœnitens, ut postea directe a Superiore absolvatur, omnino cum convaluerit tenetur eum adire; ita communissime *Suarez l. c. n.* 8. *Laym. de Pœn. c.* 12. *n.* 10. *cum Nav. Soto*, *Con. Ricc. etc. et Ciera de Cas. reserv. n.* 164. cum communi, ut asserit.

92. Quæritur VIII. An impediti adhuc Episcopum adire pro his censuris, vel aliis reservatis possint a quocumque confessario absolvi?

Negant communius *Suar. Lug. Dec. etc. apud Viva de Pœnit. Qu.* 9. *Art.* 2. *n.* 9. Quia hoc in jure conceditur tantum Episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari. Sed probabiliter affirmant (cum onere tamen comparendi ad Episcopum, cessante impedimento) *Ronc. d. c.* 6. *Q.* 4. *R. III. Pal. D.* 2. *p.* 11. §. 5. *num.* 6. *Spor. p.* 264. *n.* 750. *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 1624. *cum Nav. Abb. Ang. et Tab. Salm. de cens. c.* 2. *n.* 93. *in fine* cum *Tann. Syl. Henr. Viva l. c.* cum *Perez*, *Hurt. Gran. Dicast. Boss. et Cœlest.* Ratio, tum quia, ubi eadem est ratio, idem jus debet esse, ut dicit *Glossa in c. Cum Dilecta. De Confirm.* Tum quia non deest lex hoc expresse indulgens; nam in *c. Nuper*, 29. *De Sentent. excom.* habetur, ut supra adnotavimus, quod impeditus ex justa causa adire Superiorem jus habentem absolvendi a censura, *a suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Sub nomine autem *proprii Sacerdotis* venit quidem quilibet confessarius, ut notat ibi *Glossa* ex *c. ult. q.* 26. et recte inferunt *Salm. c.* 3. *n.* 164. *ex c. Omnis, de Pœnit. et rem.* ubi præcipitur quemque semel saltem in anno confiteri *proprio Sacerdoti*, qui communiter intelligitur quivis confessarius, ut probavimus *l.* 6. *n.* 564. *et* 670. Si igitur non potest verificari casus quod Sacerdos absolvat Reum a censuris Pontifici reservatis, quando Episcopus adiri potest, saltem verificari debet quando Episcopus adiri non potest, ut recte arguunt *Rancagl.*, *et Salm. ll. cc. cum Henr. et Diana.* Immo *Pal. l. c.* dicit ex vi prædicti textus, impeditum adire Papam, posse indistincte absolvi a proprio Sacerdote. Sed probabilius puto cum *Sporer p.* 264. *n.* 761. *Salm. d. n.* 63. *Ronc. l. c.* et aliis communiter, ut supra, hoc non admittendum,

nisi quando non patet facilis recursus ad Episcopum; nam Tò *a suo Episcopo*, *vel proprio Sacerdote*, communissime DD. interpretantur non disjunctive, sed subrogative, nempe quando Episcopus nequit adiri. Tanto magis quod in *c. De cetero*, 11. *et c. Ea noscitur.* 13. expresse disponitur, quod cum non potest adiri Pontifex, adeatur Episcopus. Satis etiam probabile est cum *Suarez*, *Sanch. et Molina*, ut notavi *l.* 6. *n.* 563. *v. Dub. I.* quod in articulo sive periculo mortis quilibet confessarius possit, etiam præsente Episcopo, absolvere a casibus Papalibus, quia tunc omnis reservatio cessat. Nec obstant textus mox supra citati in *c.* 11. *et* 13. *de Sent. excomm.* Nam probabiliter respondet *Sanchez* cum aliis ut supra, eos procedere tantum in casu percussionis Clericorum, de quo loquuntur, non vero in aliis. Præterquamquod nullum expressum inveni textum, qui in articulo mortis præscribat, quod infirmus ab Episcopo absolvatur a censuris Pontifici reservatis. Excipit tamen *Sanchez l. c.* cum aliis, si casus Pontifici reservatus, esset occultus, quia tunc jure ordinario potest Episcopus ab illo absolvere, vi Tridentini in laudato *cap. Liceat.* Unde censet tunc omnino adeundum Episcopum, si ad eum est recursus, cum ipsi tunc reservatus sit casus. Sed hoc non obstante, mihi et aliis junioribus videtur probabile, etiamsi crimen fuerit occultum, posse absolvi in periculo mortis a simplici confessario, adhuc præsente Episcopo, quia in tali periculo (ut diximus) cessat omnis reservatio quorumcumque peccatorum, et censurarum, ut docet Trident. *sess.* 14. *c.* 7. Neque in hoc mihi contradixi *dicto n.* 563. *Dub.* 1. ubi videor oppositum tradidisse, nam ibi sermo fit de censuris ab eodem E-

piscopo reservatis et eo casu, cum confessarius debeat imponere Pœnitenti, ut postquam convaluerit se præsentet Episcopo ad congruam pœnitentiam ab eo accipiendam (ut communiter docent DD. cum *Salm. de Pœnit. c.* 11. *num.* 21. *et Tamb. de Cas. res. lib.* 5. *c.* 10. §. 4. *ex c. Quo de iis, et c. Sœpe, de Sent. excomm.* ac signanter ex *cap. Eos qui*, ubi id expressum habetur: notantque ibi *Tamb. n.* 7. *cum Fill. Boss. et Pasqualig. ac Viva in prop.* 3. *Alex. VII. n.* 5. *cum Val. Nav. Bordone, etc.* quod eo casu pro foro externo confessarius debet exigere a Pœnitente juramentum se præsentandi ad Superiorem, cum primum poterit, (sed pro foro interno dicunt sufficere promissionem), ideo præsente Episcopo infirmus nequit absolvi a simplici confessario; At quando agitur de censuris Papalibus, non debet infirmus elapso periculo, se præsentare Episcopo, sed Pontifici, unde cessat ratio cur præsente Episcopo non possit absolvi. An autem in articulo mortis Laicus, aut simplex Clericus possit absolvere a censuris, deficiente Sacerdote? Probabilius negandum juxta dicta *l.* 6. *n.* 540.

An vero habens peccata, et censuras reservatas teneatur ea exponere confessario non habenti super eis potestatem, casu quo urgeat necessitas communicandi, aut confitendi, et aditus non pateat ad superiorem? Vide dicta *de Euchar. lib.* 6. *n.* 265. *v. Quær. II.* ubi diximus teneri; vide ibi rationem.

Si quis autem est impeditus adire Episcopum, an possit simplex confessarius eum absolvere a casibus, et censuris ab eodem Episcopo reservatis? Respondet *Rone. tr.* 4. *c.* 6. *q.* 5. cum *Hurtado*, et *Diana*, quod si impedimentum esset diuturnum, poterit absolvi, cum obliga-

tione tamen comparendi coram Superiore, cessante impedimento. Si vero impedimentum sit perpetuum, poterit absolute absolvi. Attamen *Laym. de Pœnit. c.* 12. *n.* 10. cum *Suar. Soto*, *Coninch. etc.* dicunt, casu quo urgeat necessitas, et Episcopus longe distet, simplicem confessarium posse Pœnitentem absolvere directe tantum super non reservata, et indirecte super reservata.

93. Quæritur IX. Quomodo Episcopi hanc facultatem eis concessam in *d. cap. Liceat*, tam dispensandi in irregularitatibus, quam absolvendi a casibus reservatis occultis, possint aliis delegare? *Prima* sententia quam tenent *Henriq. Menoch. et Corduba apud Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 40. *num.* 16. dicit non posse Episcopos hanc facultatem generaliter delegare, sed tantum specialiter in aliquo casu particulari qui occurrit. *Secunda* vero probabilior sententia quam tenent *Suarez*, *tom.* 4. *D.* 30. *s.* 2. *num.* 9. *Sanch. loc. c. n.* 17. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. *ac Croix l.* 1. *n.* 153. docet bene posse Episcopos generaliter committere hanc facultatem tam dispensandi, quam absolvendi, alteri specialiter ad hæc deputato. Idque testatur *Suarez* sic esse receptum, et interpretatum a consuetudine, quæ est optima legum interpres. Immo probabiliter dicunt *Sanch. ib. n.* 25. *Barb. in Trid. d. c.* 6. *sess.* 24. *n.* 45. *v. Ego tamen*; (et idem clare sentit *Suar. l. c. D.* 41. *sess.* 2. *n.* 8.) quod non solum alius specialiter deputatus, sed etiam quicumque, cui Episcopus generaliter suam facultatem committit, potest dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus reservatis occultis. Ratio, quia Concilium facultatem circa hæc non limitat, sicut limitat in secunda parte facultatem

absolvendi a casibus: Unde, cum eam habent Episcopi de jure ordinario, generaliter possunt eam delegare, nulla facta speciali deputatione ad ipsa. Bene autem advertit *Palaus de Leg. D.* 6. *p.* 8. §. 2. *n.* 7. Episcopum non posse dispensare in irregularitatibus (vel absolvere a suspensionibus reservatis) cum alienigenis, etiamsi ipsi habeant quasi domicilium in sua Diœcesi, ex Declaratione Gregorii XIII. relata *lib.* 6. *n.* 593.

94. » Resp. 3. Multi Religiosi, præsertim » Mendicantes, possunt ex privilegiis, in foro » tamen interno tantum, a variis censuris ab- » solvere. V. *Diana p.* 9. *t.* 4. *Resp.* 63. Qua- » re a superioribus suis illa privilegia petant, » cum ad confessiones audiendas exponentur, et » circa ea sequentes regulas sequantur.

95. Quoad Regularium autem facultatem in reservata, distinguenda est facultas, quam habent erga sæculares, ab illa erga subditos.

Et I. Quoad *Sæculares*, olim Regulares absolvere poterant eos a censuris tam a Pontifice, quam ab Episcopis sibi reservatis, ex diversis privilegiis, quæ referunt *Salm. de Sacr. Pœnit. c.* 13. *n.* 51. nempe Eugenii IV. Urbani IV. Pauli III. Julii II. S. Pii V. etc. Verum (ut testantur ipsi *Salm. ibid. et Viva in Trut. Prop.* 12. *Alex. VII n.* 1.) Clemens VIII. die 26. Nov. anni 1602. et Paulus V. 7. Jan. 1617. limitarunt talem facultatem, et declaraverunt eos extra Romam, et intra Italiam non posse absolvere sæculares a casibus Papæ reservatis in Bulla Cœnæ; Nec ab aliis sex celebribus illis, nempe percussionis Clericorum, duelli, Violationis Immunitatis, Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Simoniæ realis, et Simoniæ confidentialis in Beneficiis (Decretum

Clementis in extensum refert *P. Milante in prop.* 12. *Alex. VII. t.* 1. *p.* 98.; Nec pariter a casibus quos Ordinarii sibi reservant). Deinde S. Congr. de mandato Urbani VIII. 17. Nov. 1627. sic sancivit : *Per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a sede Apostolica post sacrum Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus Ordinario reservatis; quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueverunt, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires ac robur acquisivisse ex sequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, etc.* Ibique additum fuit : *Ab aliis casibus et censuris* (præter casus Bullæ Cœnæ) *sedi Apostolicæ reservatis absolvendi facultatem extra Italiam minime sublatam fuisse ejusdem S. C. Decretis hac de re editis jussu Clementis VIII.*

96. Sed dubitatur 1. an regulares possint absolvere sæculares a casibus Papalibus? *Prima* sententia negat cum *Viva in prop.* 12. *Alex. VII. n.* 14. *Bord. et Floron.* ex Decreto Pauli V. quo sancitum fuit : *Ac insuper, ut nulli ex sacerdotibus prædictis* (scil. Sæcularibus et Regularibus) *quibuscumque privilegiis, indultis, et facultatibus suffulti ab excommunicationibus, vel casibus eisdem Ordinariis, vel sedi Apostolicæ reservatis, præterquam in articulo mortis, absolvere audeant, vel præsumant. Secunda* tamen probabilior sententia, quam tenent *Bonac. p.* 2. *n.* 18. *Salm. tr.* 18. *de Privil. c.* 4. *n.* 53. atque *Aversa, et Pelliz.* apud *Viva l. c. num.* 13. *et* 14. et sequitur *Potest. tom.* 1. *De*

Min. Pœnit. cap. 5. *n.* 3458. cum *Peyr. Donat. Rodr. Vidal. Jo. de la Crux*, et ipse *Viva* se revocans id admittit in *Tract. de cens. Q.* 2. *Art.* 2. *n.* 6. *et* 7. docet Regulares posse absolvere sæculares a casibus Papalibus occultis, et probant ex privilegio Soc. Jesu (in quo communicant omnes Regulares, ut notat *Potestà n.* 3459.) concesso a Paulo III. anno 1545. In dicto privilegio, cujus verba refert *Potestà ibidem*, conceditur absolvere Fideles *ab omnibus peccatis etiam sedi Apostolicæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ etc. Nec non vota quæcumque castitatis, Religionis, etc.* Nec obstare dicunt *Pelliz.* apud *Viva*, et *Bon. n.* 19. laudatum Decretum Pauli V. Nam prohibitio ibi facta de absolvendis casibus Papalibus, refertur ad casus in Decreto Clementis VIII. reservatos, quod Paulus V. et inde Urbanus VIII. confirmarunt, et innovarunt, ut referunt *Bon. Viva, etc.* Ibi enim tantum casus Bullæ Cœnæ, et alii sex enunciati excepti fuerunt.

97. Quod autem tuentur *Pelliz.* apud *Viva*, et *Rodriq.* apud *Potest.* scilicet ex præfato privilegio posse Regulares absolvere etiam a Papalibus pro foro fori, merito rejicit *Potestà n.* 3465. Nam ex verbis Privilegii, *confessionibus auditis*, atque *Pœnitentiam salutarem injungendi*, satis constat facultatem pro solo foro interno esse concessam.

98. Dubitatur 2. an Religiosi possint absolvere sæculares a casibus ab Episcopis sibi specialiter reservatis? Affirmarunt *Suar. Hurt.* etc. apud *Salm. de cens. c.* 2. *n.* 40. Ratio, quia qui potest majus (nempe absolvere a Papalibus), potest etiam minus, scil. absolvere ab Episcopalibus. Et huic opinioni inclinarunt *Ro-*

driq. Quint. Cand. etc.. apud *Viva in d. prop.* 12. *n.* 4. ob privilegia postea, et iterum Regularibus concessa. Nec obstare dicebant Decretum S. Congr. de mandato Clementis VIII. et Urbani VIII. cum talia Decreta non habeant vim legis. His tamen non obstantibus, omnino tenendum est oppositum, cum præfata Decreta fuerint confirmata ab iis Pontificibus pro tota Ecclesia ipsorum speciali mandato, et ideo vere habent vim legis, juxta communem doctrinam relatam *Tom. I. l.* 1. *n.* 106. Insuper (ut recte dicunt *Salm. l. c.* et *Viva de cens. Q.* 2. *Ar.* 2. *n.* 7.) prædicta opinio satis evasit improbabilis post *prop.* 12. damnatam ab Alex. VII. quæ dicebat: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Hæc enim proscriptio sola sufficit ad privilegia revocanda.

99. Dubitatur 3. an Regulares privilegiati possint absolvere a censuris Episcopis reservatis a jure, vel a consuetudine? Adest duplex sententia probabilis. *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Cabassut. T. J. l.* 1. *c.* 11. *Conc. de Pœn. p.* 571. *n.* 8. *Milante in prop.* 12. *damn.* ab Alex. VII. *et Viva in d. prop.* 12. *n.* 14. *cum Bordon. et Floron.* Quia in Decreto citato Pauli V. fuit Regularibus sublata facultas absolvendi a censuris Ordinariis reservatis. *Secunda* tamen probabilior sententia affirmat, quam tenent *Conc. de cens. p.* 447. *n.* 17. *Spor. de Pœnit. p.* 264. *n.* 745. *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 1628. *Salm. de Sacr. Pœnit. c.* 13. *num.* 52. *cum Sanch. Aversa, Lez. Pelliz. Peyr. Dian.* etc. Et sequitur se revocans *Viva in Tract. de cens. Qu.* 2, *Art.* 2. *n.* 7. qui docet posse absolvi a Regularibus censuras Episcopis reservatas a jure communi. Quænam autem sint Cen-

suræ, vide infra apud *Busemb. l. 7. n.* 213. Excipe tamen eas quas Episcopi sibi reservant. Ratio, quia, licet in Decretis Pauli V. et Urb. VIII. Regularibus vetetur absolvere a casibus Ordinariis reservatis, attamen hoc verius intelligitur, ut dicunt *Salm. l. c.* et *Avers. Lez. Leand.* apud *Viva d. prop.* 12. *n.* 13. de casibus tantum ab Ordinariis sibi reservatis, cum hæc Decreta sint (ut supra diximus,) confirmativa Decreti Clem. VIII. ubi dicitur: *Nec a casibus, quos Ordinarii reservarunt, aut in posterum sibi reservabunt.* Notantque recte *Suar. de Pœnit. D.* 29. *s.* 3. quod casus a jure Episcopis reservati reipsa magis dicendi sunt Episcopis delegati, quam reservati. Omnino tamen excipiendi sunt sex casus expressi in Decreto edito jussu Clementis VIII. ut supra. At hoc intelligendum intra Italiam, ut explicavit Urban. VIII. (prout supra *n.* 95.) nam extra Italiam, vel in Urbe, ut dicitur in Decreto Clementis, bene possunt Regulares absolvere ab omnibus censuris, quæ a jure sunt Episcopis reservatæ, et intra Italiam Regulares possunt absolvere a censura propter abortum fœtus animati, cum hic casus non sit in casibus expressis a Clemente VIII. Ita communiter DD. Vide *T. III. lib.* 3. *n.* 397. *vers. Pariter.* Si vero Episcopus hunc casum specialiter sibi reservaverit, tunc nullo modo Regulares possunt illum absolvere, ut diximus *l. c. in fine, et l.* 559. *vers. Certum, circa fin.*

100. Quod autem dicit *Viva de Cens. q.* 5. *ar.* 3. *n.* 10. *et in Prop.* 12. *damn. ab Alex. VII.* cum aliis, nempe Regulares posse absolvere etiam a sex casibus Clemen. VIII. quando sunt occulti, ob eamdem rationem ut supra, quia prædicti casus, cum sint occulti, reservan-

tur Episcopis, non Papæ, vi Tridentini, in c. *Liceat*; Id minime probatur; nam in tantum Regulares possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, sive delegatis, in quantum ipsi etiam sunt Papales; quare, ablata Regularibus facultate absolvendi a casibus Clementis uti Papalibus, non habent illi unde hac facultate uti possint, sive casus sint publici, sive occulti. Probabiliter autem *Viva q. 2. art. 2. n. 7. cum Comit.* et communiori sententia, cui adhæret etiam *Concina pag. 447. num. 17.* dicit posse Regulares absolvere casus in Synodo reservatos, quando Episcopus eos in tabella non exponit; quia eo ipso, quod in tabella non reservat, censetur velle omnibus Confessariis facultatem concedere absolvendi ab iis, ex regula: *Non expressum habetur pro omisso.*

101. II. Quod facultatem autem, quæ Prælati Regulares habent erga *suos subditos*, communiter docent DD. posse ipsos subditos absolvere ab omnibus casibus Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ. Ita *Salm. de Cens. c. 2. n. 70. Conc. p. 444. ex n. 19. Viva in Prop. 4. Alex. VII. n. 6. et Potest. De Min. Pœn. t. 1. n. 3372.* ex variis privilegiis, quæ congerunt *Salm. l. c.* (Quidquid in contrarium dicat *Croix l. 8. n. 141.* cum *Dic.*). Nam licet ex vi Tridentini in *c. liceat*, non censeatur data Prælatis Regularibus facultas ibi concessa Episcopis, quia videtur concessa tantum iis, qui habent Diœcesim propriam, cum in Trident. dicatur, *in Diœcesi sua;* Attamen adest Privilegium a S. Pio V. (quod in extensum referunt *Conc. l. c. et Salm. de Sacr. Pœnit. c. 13. n. 33.*), cujus vi prælati Regulares in suos Fratres, et Moniales possunt idem, quod Episcopi in suos subditos vi Tridentini in *cap. Liceat.* Et licet *Mendo apud Croix l. c.* astruat

confutare Privilegium S. Pii, tamen illud authentice referunt *Salm. de Sacr. Pœn. c. 13. n. 13. Viva, et Conc.*, qui etiam asserit ipsum confirmatum fuisse cum aliis a Bened. XIII. *in Const. 79. Pretiosus*, edita an. 1727. quam refert etiam *P. Milante in prop. 3. Alex. VII. p. 23.* Qui insuper refert ab eodem Pontifice concessam fuisse facultatem absolvendi etiam a casibus Bullæ Cœnæ, exceptis *Relapsu in hæresim, Falsificatione litterarum Apostolicarum, et Delatione prohibitorum ad Infideles*; Generali vero Ordinis concessit, *ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi* (orta ex homicidio) *dispensare cum Fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, et intra claustra extiterit consummatum.* Nomine autem Prælatorum veniunt Provinciales, et eorum Vicarii in ipsorum absentia, vel alii ab eis deputati, ut asserunt *Salm. de Cens. c. 2. n. 80.* Necnon veniunt omnes Superiores locales, Rectores, Priores, Guardiani, etc. ut ait *Potest. l. c. n. 3379.* Sed post hæc scripta inveni, quod Clemens XII. in Bulla, *Romanus*, die 30. Maji 1742. revocavit omnes Constitutiones, et Privilegia (præsertim contenta in præfata Bulla, *Pretiosus*) concessa a Bened. XIII. omniaque reduxit ad pristinum statum. Insuper hic notandum, quod cum disceptatum fuisset, an revocatio per Tridentinum facta Privilegii Regularibus concessi absolvendi Hæreticos esset vel ne intelligenda pro Sæcularibus, non vero non Religiosis subditis, S.C. dijudicavit intelligi pro omnibus; ita refert *P. Ferraris Bibliot. verb. Absolvere, ar. 1. n. 40.*

102. Possunt etiam Prælati Regulares absolvere Novitios sui Ordinis a censuris Papalibus (exceptis casibus Bullæ) ante ingressum in Re-

ligionem contractis. Ita *Salm. d. n.* 80. cum *Rodr. Cand.* etc. ex Privilegio a Clemente VII. concesso anno 1530.

103. Sed dubitatur 1. An dicti Prælati possint Novitios absolvere etiam a censuris ab Episcopis sibi specialiter reservatis? Respondetur negative ex Decreto S. C. edito de mandato Urb. VIII. ut supra relato; Quamvis etiam contradicat *Jo. de la Crux* apud *Salm. c.* 2. *n.* 80. cui ipsi adhærent *n.* 81. quia (ut ajunt *Salm.*) per tale Decretum revocata est facultas concessa per Privilegium Clementis VII. quoad absolutionem casuum Episcopalium; non autem illa quæ per consuetudinem est obtenta, ut est ea, qua habentes facultatem absolvendi a reservatis Papæ, possunt absolvere etiam ab illis, quæ Ordinarii sibi reservant, ut testantur *ib. Suar. alter.* et *Hurt.* Addunt alii apud *Viva in d. prop.* 12. *Alex. VII. n.* 6. Decretum illud non habere vim legis, quia non fuit de ejusdem Pontificis speciali mandato solemniter promulgatum pro tota Ecclesia, juxta sententiam relatam *n.* 106. Omnes tamen hæ rationes ex supradictis non videntur amplius probabiles post *prop.* 12. damnatam ab Alex. VII. ut supra allatam, qua oppositum apparet satis declaratum.

104. Dubitatur 2. an Prælati Regulares possint absolvere suos subditos Religiosos a casibus reservatis in Bulla Cœnæ, ac etiam ab hæresi? Quoad Sæculares, jam damnata fuit ab Alex. VII. Propositio 4. quæ dicebat: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione ob ipsam incursa.* Quoad subditos vero, adsunt tres sententiæ: *Prima* universe affirmat cum *Pal. Rodr. Peyrin.* etc. apud *Salm. de cens. c.* 2. *n.* 75. et hanc se-

quitur, et enixe defendit *Potest. t.* 1. *p.* 4. *cap.* 5. *n.* 3375. cum *Villal. Donat. et aliis*, ex diversis privilegiis, et juribus quæ ibi congerit.

105. *Secunda* sententia, quam tenent *Salm. l. c. ex n.* 76. *et* 77. cum *Suar. Bann. Cand. Arag. et aliis*, dicit non posse absolvere ab hæresi, sed bene posse a ceteris casibus Bullæ. Ratio istorum, quia, licet per Bullam Cœnæ revocentur quæcumque privilegia Regularibus indulta, per verba; *Non obstantibus privilegiis*, etc. *alicui*, *vel aliquibus cujuscumque Ordinis concessis*; attamen S. Pius V. extendit ad Prælatos Regulares privilegium Episcopis concessum per Tridentinum in *cap. Liceat*, ut supra, eodem modo ac in Episcopis invenitur. Sicut igitur (dicunt *Salm. n.* 77.), non obstante dicta Bulla, possunt Episcopi vi illius privilegii absolvere suos subditos, etiam a casibus Bullæ occultis; sic etiam possunt Regulares. Excipiunt autem *Salm. n* 76. hæresis crimen, quia ex Constit. Pauli V. ut referunt, hæretici omnino remitti debent ad Inquisitores. Sed hoc explicant in *Tract. de Sacr. Pœnit. cap.* 13. *n.* 5. valere pro locis, ubi viget Tribunal S. Inquisitionis; et ideó pro aliis locis referunt doctrinam *Suarii*, qui dicit Prælatos posse absolvere subditos etiam in hæresim relapsos ex concessione Greg. XIII.

106. *Tertia* demum sententia, quam tenendam esse dicunt *Viva in prop.* 4. *damnata* ab Alex. VII. et *Croix l.* 6. *p.* 1. *n.* 1622. citans *Sanch. Suar. Dian.* et *Mendo*, dicit non posse absolvere ab ullo casu Bullæ Cœnæ Ratio est, tum quia Decretum Urbani VIII. (ut supra allatum (expresse declaravit per annuam Bullæ publicationem sublatam esse Regularibus facultatem a casibus Bullæ Cœnæ absolvendi;

tum quia (ut recte arguit *Viva in d. prop.* 4. *n.* 3.), si hodie nec etiam Episcopi a casibus Bullæ absolvere possunt post Prop. 3. damnatam ab Alexandro VII. ut diximus supra *n.* 83. Ergo tanto minus poterunt Prælati Regulares. Sed hodie quæstio finita est, nam (ut referunt *P. Milante in dicta prop.* 3. *t.* 1. *p.* 23. *et P. Concina t.* 10. *p.* 449. *n.* 21. *et* 22.) Benedictus XIII. in Bulla *Pretiosus*, (cujus verba retulimus *n.* 101.) novissime concessit Superioribus Ordinis S. Dominici, et per communicationem aliorum Ordinum, posse absolvere suos subditos, nempe Fratres, et Moniales sibi subjectas a quibusvis censuris etiam in Bulla Cœnæ, aliquibus tamen exceptis.

107. Dubitatur 3. an Prælati Regulares possint absolvere suos subditos a censura ob percussionem alterius Religiosi, aut Clerici sæcularis? Diximus *suos subditos*, nam circa sæculares nihil Regulares possunt, cum facultas absolvendi sæculares ab hac censura sit ipsis expresse ademta a Clemente VIII. et Paulo V. extra Romam, et intra Italiam; vide dicta *n.* 95. In *c. Cum illorum*, 32. §. *Qui*, *de sent. excom.* Affirmatur, si Religiosus percusserit alium ejusdem Ordinis, *nisi excessus* (ut ibi dicitur) *extiterit difficilis et enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta.* Si vero percusserit Religiosum alterius Claustri, dicitur ibidem, quod *per Abbatem proprium, et ejus qui passus est injuriam, absolvatur.* Si autem percusserit Clericum sæcularem, dicitur, *nonnisi per Apostolicam sedem absolutionis gratiam poterit promereri.* Idem autem quod dicitur de Religioso, dicunt communiter *Palaus D.* 3. *p.* 23.

§. 4. *ex n.* 10. *Laym. tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *circa finem*, et alii passim de Novitio percussore etiamsi ipse crimen commiserit ante ingressum, quia in favorabilibus Novitii habentur ut Religiosi. Addunt tamen *Laym. l. c. in fin.*, *et Pal. ibid. cum Mol. et Sayr.* quod Novitius, si egrediatur ante professionem, tenetur se præsentare Sedi Apostolicæ, juxta *cap. Eos qui de sent. excomm. in* 6. adhuc si fuerit a Prælato absolutus; quia illa absolutio fuit concessa ob temporale impedimentum, ne vagaretur. Hic vero notandum 1. quod si Religiosus levi percussione læserit Clericum sæcularem, bene poterit absolvi ab Episcopo illius, ut communiter dicunt iidem *Laym. et Pal. ll. cc.* cum aliis ex *c. Religioso, de sent. excomm. in* 6. Notandum 2. cum eisdem AA. et *Salm. c.* 2. *n.* 69. quod prædicta procedunt juxta jus commune, nam, spectatis Privilegiis, Religiosi bene possunt absolvi a suis Prælatis, etiamsi percussio fuerit enormis, ex pluribus Privilegiis, quæ referunt *Pal. n.* 10. *in fin. Salm. l. c. et Ronc. p.* 104. *c.* 2. *q.* 2. Idque dicunt præfati AA. valere, etiamsi Religiosus percusserit alium alterius Ordinis, vel Clericum sæcularem. Additque *Croix lib.* 7. *n.* 32. *cum Krimer.* etiamsi percussio fuerit publica; ac posse Abbatem absolvi per Confessarium a seipso electum. Notandum 3. quod licet Regulares possint absolvi a suis Prælatis ob hujusmodi Privilegia, bene tamen valent etiam se subjicere Episcopis, ut ab eis absolvantur: intellige, si percussio fuerit levis, vel enormis occulta. Et in eo casu illi qui sunt Prælati alicujus Ordinis, possunt per se exposcere talem absolutionem ab Episcopis: reliqui vero Religiosi de suorum Prælatorum licentia, nisi hæc injuste denegetur, ut docent *Sanchez*

Dec. l. 2. c. 12. n. 10. et Salm. c. 2. n. 52. cum Boss. Henr. Diana etc.

108. A quibus autem censuris possint absolvi recipientes Bullam Cruciatæ? Vide *Salm. c. 2. n. 82.* et *Croix toto lib. 8.*

109. » Regulæ: *Prima*, Qui habet potesta-
» tem absolvendi a censuris reservatis Episco-
» po, non potest vi illius absolvere a reserva-
» tis Papæ.

110. » *Secunda.* Qui habet potestatem absol-
» vendi a reservatis Papæ, non censetur pos-
» se absolvere a censuris Bullæ Cœnæ, eo quod
» hæ censeantur majores, nec comprehendi in
» concessione generali. *Dian. p. 5. t. 12.*
» *Res. 14.*

111. Ita *Bon. q. 3. p. 1. n. 12. et Suar. Ugol. etc. apud Salm. c. 2. n. 41.* Ceterum quotiescumque conceditur a Papa facultas absolvendi a censuris, etiam de Papalibus intelligitur, alias nihil concederetur, quia quilibet approbatus potest absolvere a non reservatis, ut *Bon. n. 11. et Salm. l. c. cum Nav. Azor. Cand. etc.* Pariter in Jubilæo, concessa facultate ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur comprehensæ ex communi usu etiam reservatæ Episcopis, *Croix lib. 7. n. 132. et 149. cum Suar. et Dic.* An autem, data potestate absolvendi a censuris tam a jure, quam ab homine latis, comprehendantur censuræ ab Episcopo specialiter latæ? Affirmant apud *Croix n. 133. Avil. Henr. etc.* Negant *Vasq. Hurt. etc.* Utraque est probabilis. Facultas autem concessa ab Episcopo de absolvendis casibus reservatis, non intelligitur data pro peccatis, quibus annexa est censura reservata; *Tamb. de Cas. R. cap. 9. §. 1. n. 11.* Secus si talis concessio fiat a Papa; *Croix l. 7. n. 134.* Ratio, quia omnes

casus Papales sunt principaliter reservati cum censura, et propter censuram; vide *l.* 6. *num.* 580.

112. » *Tertia.* Qui habet potestatem absol-
» vendi a censuris Bullæ Cœnæ, habet etiam
» a quibusvis Papalibus, et Episcopalibus a
» jure latis, etsi aliqui negent de excommuni-
» catione contracta propter hæresim, de qua
» alii probabilius affirmant, præsertim pro
» quibus alioqui concessio per magnam partem
» esset inutilis.

113. Concessa facultate absolvendi a casibus Papalibus, non intelligitur a casibus Bullæ Cœnæ; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ Superior non fuisset concessurus, si specialiter de iis rogatus fuisset, ut dicunt *Bon. q.* 3. *p.* 1. *n.* 12. *Croix l.* 7. *n.* 132. *Salm. c.* 12. *n.* 41. *cum Suar. Cand. Ugolin. etc.* Certum autem est hodie, quod concessa facultate absolvendi a casibus Bullæ Cœnæ, non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi, licet occulta, ut decrevit Alexander VII. die 23. Martii 1656. et novissime rursus declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, emanata pro Jubilæo anni 1750. *n.* 53. Qui tamen *n.* 7. concessit in eodem Jubilæo facultatem absolvendi ab hæresi occulta, modo Pœnitens non habuerit complicem.

114. » *Quarta.* Possunt Regulares per sua
» privilegia, sicut ab aliis censuris Papæ reser-
» vatis, ita etiam absolvere duello certantes.
» Idem dic de similibus casibus, post Constitu-
» tionem Clementis VIII. sicuti poterant ante
» eam: præterquam in Italia extra Urbem;
» idque ex declaratione ipsiusmet Clementis apud
» *Comitolum l.* 6. *mor. Reg. l.* 21. *d.* 83.

» *Filliuc. t.* 1. *tr.* 15. *c.* 5. *Laym. l.* 3.
» *t.* 3. *p.* 3. *c.* 5.

115. » Resp. 4. Ampla etiam solet dari po-
» testas a censuris absolvendi in Jubilæis: in
» quibus diligenter considerandum, quid, quan-
» tum, et quomodo concedatur. Si enim detur
» potestas absolvendi a casibus reservatis Papæ,
» etiam conceditur potestas absolvendi a censu-
» ris Papæ reservatis: quia is non solet reser-
» vare casus, nisi ratione censuræ adjunctæ. *
» (*Ceterum universe loquendo, qui absolvere*
» *potest a peccato reservato, potest etiam a*
» *censura annexa, cum nequeat absolvi pecca-*
» *tum, nisi prius censura absolvatur, Salm.*
» *cap.* 2. *n.* 38. *cum Avil. Cand. etc.*) *.
» Porro absolutio data confitenti bona fide in
» Jubilæo, cum intentione lucrandi illud, etsi
» postea vel sua negligentia, vel propter aliud
» impedimentum non lucretur, est valida, tol-
» litque censuram; secus si ab initio indulgen-
» tias lucrari noluerit, eo enim casu probabi-
» lius est absolutionem non valere, et tam
» peccata reservata, quam censuram de novo
» debere tolli ab eo, qui potest extra Jubilæum.
» * (Vide *dicta de Pœnit. l.* 6. *n.* 536. *ad n.*
» *XIII. et XXVI.*) *.

DUBIUM VI.

Quomodo danda sit absolutio a censura?

116. *Quomodo absolvendaece nsura in foro externo? et quomodo in interno?*
117. *An possit absolvi absens?*
118. *De eo qui absolutus est in Jubilæo.*
119. *De absolutione metu extorta.*
120. *An valeat absolutio, non satisfacta parte?*

121. *Quid si cum hac conditione sit concessa facultas?*
122. *An, secuta satisfactione, de se auferatur censura?*
123. *An valeat, et liceat absolutio sub conditione?*
124. *An possit dari absolutio ad reincidentiam?*
125. *An ad reincidendum requiratur nova culpa?*
126. *An censura possit absolvi extra Confessionem?*
127. *Ad absolvendas Censuras requiritur I. Satisfactio partis.*
128. *In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem?*
129. *Requiritur II. ut reus præstet juramentum non amplius committendi crimen, si sit valde enorme.*
130. *Requiritur III. ut censuratus petat absolutionem.*
131. *Plura notanda. Quid si reus adhuc sit contumax, vel invitus, vel oblitus non petierit?*
132. *An valeat absolutio, si reus falsum exponat?*

116. » REsp. Id statuendum esse ex natura » tum censuræ, tum cujusvis absolutionis.

Ex qua circa absolvendi modum resolves.

» 1. Ex natura rei non requiruntur certa » verba, sed sufficiunt ea signa, quibus aperte » significetur absolutio impendi. * (*Ad absol-* » *vendam censuram sufficiunt quæcumque signa* » *externa, sed non sufficit sola voluntas Judi-* » *cis. Suar. D. 6. Sect. 9. num. 2. 5. et 6.*

» *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 1. et *Salm. cap.*
» 2. *n.* 14. *cum Cornejo, et Giball.*) *.

» In foro tamen externo communiter ferenda
» est forma cujusque Episcopatus. In foro au-
» tem conscientiæ hæc fere est in usu. *Ego te*
» *absolvo*, v. gr. *a vinculo excommunicationis*,
» *suspensionis* etc. *quam incurristi propter* NN.
» (talem causam) *et* (si sit excommunicatus)
» *restituo te Sacramentis Ecclesiæ, et commu-*
» *nioni fidelium*, (*aut* si sit suspensus) *execu-*
» *tioni tuorum ordinum, vel officiorum. In no-*
» *mine Patris*, etc. In publica autem ac sol-
» lemni absolutione præmittitur Psalmus Mise-
» rere, et ad singulos versus pœnitentis hu-
» meri denudati leviter percutiuntur (nisi ex
» justa causa talis cærimonia videatur omitten-
» da, præsertim in feminis); tum adjectis
» precibus absolvitur, et in Ecclesia introduci-
» tur. Idem modus fere servatur in absolutione
» mortuorum, nisi quod sepulcrum virga per-
» cutiatur. *Rituali Roman.*

117. » 2. Absolvi a censura potest absens; *
» *Certum est quod absens sicut potest ligari*
» *censura, ita absolvi, ex c. De manifesta.* 2.
» *q.* 1. *cap. Quanto.* 2. *q. n.* 5. *Ceterum sine*
» *urgenti causa non licet absolvere absentem*,
» *Sanch. l.* 2. *c.* 11. *n.* 14. *Salm. c.* 2. *n.* 16.
» *cum Pal. Avil. Sayr. etc. qui notant, quod*
» *si obtinetur absolutio per procuratorem hic*
» *debet habere speciale mandatum censurati de*
» *obtinenda absolutione, ut constet de emenda-*
» *tione; debetque procurator implere, quæ man-*
» *dans implere deberet, si præsens esset*) *,
» immo et invitus; etsi hoc communiter non li-
» ceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia
» sicut pœna in absentem, et invitum potest
» statui, sic et auferri *Turr. Dian. p.* 5. *t.* 9.
» *R.* 10. * (*Vide infra n.* 131.) *.

118. » 3. Is, qui pluribus censuris est astri-
» ctus, potest absolvi ab una, relictis aliis;
» quia inter ea non est necessaria connexio. Un-
» de si dicatur, *absolvo te ab omni vinculo*,
» *etc.* valet pro omnibus; ideoque si sic abso-
» lutus in Jubilæo forte omisisset invincibiliter
» peccatum habens annexam censuram idest ex-
» communicationem, posset is postea ab eo pecca-
» to, per quemvis approbatum absolvi, cum
» non sit amplius reservatum, eo quod censu-
» ra, ratione cujus tantum erat reservatum,
» sit sublata. (*Vide d. n.* 131. *in fine*) *.

119. » 4. Absolutio vi, aut metu gravi in-
» juste incusso extorta non valet; immo novam
» excommunicationem incurrit, qui metum in-
» cutit. (*Ex c. unic. De his, quæ vi, etc.*
» *in* 6. *Secus tamen si metus non fuerit inju-*
» *ste incussus, nempe si extorta sit absolutio a*
» *Judice, qui nolebat absolvere, adhuc cessan-*
» *te contumacia. Ronc. c.* 6. *q.* 6. *et Cont.*
» *Tourn. t.* 2. *p.* 459.) *

120. » 5. Absolutio data ab Ordinario, non
» præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida
» tamen est, immo etiam data a delegato, modo
» non delegetur cum conditione satisfactionis:
» quæ si impossibilis sit, sufficit præstare cau-
» tionem, aut juramentum de satisfaciendo cum
» poterit.

121. Quæritur, utrum sit invalida absolutio censuræ data a delegato, non satisfacta parte, si illi facultas concessa est absolvendi cum clausula, *satisfacta parte?* Probabiliter negant *Sanch. de Matr. l.* 3. *D.* 33. *n.* 6. *Pal. D.* 1. *p.* 51. *§.* 3. *n.* 6. *Bon. q.* 2. *p.* 9. *Ronc. c.* 6. *q.* 6. *et Salm. c.* 2. *n.* 25. Nisi exprimatur in concessione, nullam fore absolutionem, hac conditione non impleta: alias, cum illa con-

ditio sit de jure, intelligitur apposita ad monendum delegatum non ad limitandam facultatem. Sed probabilius affirmant *Suarez D.* 7. *s.* 5. *n.* 42. *Sporer suppl. p.* 279. *n.* 214. item *Vasq. Con. Sayr. apud Palaum l. c.* et alii citati *l.* 6. *n.* 537. *v. Qu. VII.* cum communiori sententia, ut fatetur ipse *Palaus.* Ratio, quia prædicta clausula probabilius importat veram conditionem, ut in simili dictum est *eod. lib.* 6. *n.* 1115. *circa fin.* Tanto magis quod cum Pontifices volunt tantum monere de aliqua obligatione, monitionem exprimunt per verbum, *hortamur*, *monemus*, et simile; cum vero adhibent ablativum absolutum, aliquid aliud exprimere intendunt. Hoc tamen non obstante, non puto improbabilem (ut dixi) primam sententiam saltem ob auctoritatem DD. qui hic illud *satifacta parte*, non interpretantur pro conditione. Omnes autem conveniunt graviter peccare Confessarium qui censuratum absolveret, parte non satisfacta. Vide tamen alia dicta *cit. n.* 537. *v. Qu. VII.*

122. Certum autem est, quod etiam secuta emendatione, vel satisfacta parte, ad cujus instantiam lata est censura, hæc non aufertur sine absolutione, quia licet, cessante contumacia, censura debeat statim absolvi, ex *c. Cum consideres*, *De Sent. exc.* ex hoc tamen non infertur, quod sit jam absoluta; patet ex Prop. 44. damnata ab Alex. VII. *Quoad forum conscientiæ, reo correpto, ejusque contumacia cessant censuræ.*

123. « 6. Dari potest absolutio sub conditio-
» ne de futuro contingenti, cum sit actus ju-
» risdictionis externæ, qui conditionatus esse
» potest. Communiter tamen non expedit sic
» absolvi: si enim reus absolutionem meretur,
» non debet apponi conditio, si non meretur.

» non debet absolvi. * (*Ideo illicita de se* » *est talis absolutio, quamvis ex aliquæ causa* » *posset cohonestari, ut Ronc. ibid. q. 2. cum* » *Suar. Conc. et Salm. c. 2. n. 11. et 12. Si* » *quis excommunicet sic:* excommunico te, do- » nec solvas: *Vel si quis ita absolvat:* Absol- » vo te, si intra mensem solvas: *facta solu-* » *tione, tollitur censura, ut Pal. Henr. Avil.* » *Con. Vasq. etc. cum Salm. ib. n.* 13.) *.

124. » 7. Potest etiam dari adsolutio ad re- » incidentiam, idest pro certo actu, et tem- » pore, quo transacto, reincidit: item sub » certo onere, quo non impleto, censura re- » viviscat.

125. Quæritur autem, utrum, censura absoluta cum reincidentia, (v. g. si intra mensem non satisfacias) requiratur nova culpa ad reincidendum? *Prima* sententia negat, quia tunc manet eadem prima censura, quæ non fuit sublata, nisi sub tali conditione. Ita *Suar. D. 7. sect. 8. n. 27. Bon. q. 3. part. 3. n. 16.* item *Hurt. Fill.* etc. apud *Salm. c. 2. n. 5. Secunda* tamen probabilior sententia, quam tenent *Ronc. cap. 6. q. 2. in fin. Pal. D. 2. p. 11. §. 2. n. 10.* et *Cont. Tourn. t. 2. pag. 460. et Salm. n. 6. cum Avil. Henr. Con. Laym.* etc. docet requiri novam culpam. Ratio, quia primo censura non potest dici suspensa, cum non possit suspendi censura, nisi auctoritate Pontificis, ut dicunt *Salm. l. c. n. 2.* Ergo fuit sublata, et ideo sine nova culpa renasci non potest. Et idem dicendum ajunt *Salm. cum eisdem AA. ib.* si Pontifex a censura absolverit ad omnem effectum, etsi ad reincidentiam; quia, nisi aliud exprimat, censetur absolvisse modo ordinario. Secus tamen, si a censura absolverit ad aliquem effectum tantum, nempe ut

censuratus reddatur habilis ad Beneficium obtinendum, etc. manente censura quoad alios effectus.

126. » 8. Probabilius est, eum, qui habet » potestatem absolvendi in foro conscientiæ a » censura, posse id facere etiam extra confes- » sionem, ut contra, *Nav. Suar.* et alios docet » *Sanch. l.* 8. *de Matr. d.* 16. *Con. Dian.* » etc. * (*Idem tenent Salm. c.* 1. *n.* 44. *cum* » *Con. Ugol. Vide tamen lib.* 6. *n.* 593. *v.* » *Eamdem, ubi diximus Episcopum non posse* » *absolvere a casibus Papalibus occultis extra* » *Sacramentum Pœnitentiæ ex Declar. Grego-* » *rii XIII.*

127. Sed pro complemento hujus puncti hic sedulo recensendæ sunt sollemnitates requisitæ a jure, ut absolutio debite impendatur.

Requiritur I. Ut reus prius satisfaciat parti, in cujus damnum commissum fuit crimen, ob quod censura lata fuit, nimirum furtum, percussio, etc. Nam, licet absolutio data, parte non satisfacta, fuisset valida, graviter tamen peccat absolvens, et tenetur illi damna restituere, quia ex officio tenebatur ei consulere. Ita communiter *Avil. Con. Henr. Cand.* cum *Salm. cap.* 2. *n.* 22. Sufficit tamen, cum creditor est in loco distanti, si reus pecuniam in loco tuto depositet, ut possit absolvi, ut bene notant *Salm. n.* 21. cum *Avila.*

128. Tribus tamen casibus posset reus absolvi, non satisfacta parte. I. Quando pars injuriam remittit; sufficit enim satisfactio damnificati, quin satisfiat Ecclesiæ, ut tenent *Salm. n.* 20. *Vide l.* 6. *n.* 536. *ad n.* XVI. Hinc, si pecussus a Clerico remittat injuriam expresse, vel tacite, percussorem familiariter tractando, hic bene posset absolvi, ut *Avil. Nav.*

Sylv. apud *Salm. ibidem.* II. Quando pars læsa rejicit justam satisfactionem oblatam, quia tunc jam per se satisfacit: *Salm. cum Card. idid.* III. Quando reus impotens est ad satisfaciendum, quia tunc Judex eum absolvere bene potest, immo tenetur, et valet compelli, ut ait *Con.* apud *Salm. c.* 2. *n.* 21. *ex c. Qua fronte. De Appell.* quia, cessante contumacia, debet reus absolvi. Reus tamen, qui non est solvendo, nec in toto, nec in parte, debet cautionem præstare, si potest: alias saltem juramentum solvendi, cum poterit, ex *c. Odoardus de Solut. et cap. Ex parte* 23. *de verb. signif.* Sed vide dicta *l.* 6. *n.* 537. *v. Si vero.* Hoc autem currit, si reus certe est debitor; nam si habet opinionem probabilem pro se, vel si sit dubius, cum melior sit conditio possidentis, non potest obligari, nisi ad summum ad præstandum juramentum solvendi, si de obligatione constiterit. Quod si debitor statim solvere non posset, nisi cum magno damno, aut incommodo, potest etiam, præstita cautione, absolvi; nisi pars idem incommodum ex dilatione pateretur, ut *Nav. Con. Avil.* cum *Salm. d. n.* 21. De hoc vide dicta *l.* 3. *ex n.* 701.

129. Requiritur II. Ut reus ante absolutionem censuræ, præstet juramentum de non committendo amplius tale crimen, colligitur ex *c. De cetero*, et *c. Ex tenor. De Sent. exc.* Hoc juramentum tamen exposcitur tantum ab iis, qui ob enorme crimen excommunicationem incurrunt, utpote sunt scandalose violantes Ecclesias, graviter percutientes Clericum, incendiarii, usurarii publici, notorii percussores Episcopi, vel Cardinalis, etc. Secus, si excommunicatio sit contracta ob alia peccata non ita gravia; et hoc currit tam in foro interno, quam

externo. Ita communiter *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 3. *num.* 4. et *Salm. cap.* 2. *num.* 18. cum *Suar. Con. Hurt. Avil. Dian. Henr.* etc.

130. Requiritur III. ex *c. Per tuas*, *De Sent. exc.* ut censuratus absolutionem petat; ibi: *Nisi gratiam absolutionis imploret*, *non debet audiri*, *ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.* At quia textus dicit, *non debet*, non autem *non potest*, ideo bene docet *S. Th.* 3. *p. q.* 24. *art.* 2. quem sequuntur *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 9. *et Con. Avila*, *etc. cum Salm. c.* 2. *n.* 29. censuratum, modo sit emendatus a peccato, etiam renitentem valide posse absolvi.

131. Hinc autem notandum I. quod, si reus non sit emendatus, et peccatum habeat tractum successivum, ut hæresis, furtum, non potest absolvi, nisi a ferente censuram; secus tamen, si peccatum non habeat tractum successivum, ut perjurium, blasphemia, ut *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 457. *et Salm. n.* 28. Notandum II. cum *Ronc. c.* 7. *q. ult.* et *Salm. cap.* 2. *n.* 30. et *ibi Pal. Suar. Sayr. Dian.* etc. quod aliquando ex justa causa etiam licite datur absolutio censurato adhuc contumaci, puta ob bonum publicum, vel ut reus facilius resipiscat. Notandum III. quod si privilegium sit factum Pœnitentibus, prout in Jubilæo, ubi datur eis facultas eligendi sibi Confessarium a quo absolvantur, tunc nequit absolvi invitus, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati; ita *Pal. et Tour. ll. cc.* item *Avil. Con. Corn.* apud *Salm. cap.* 2. *n.* 39. cum *Ronc. l. c.* Secus, si privilegium sit in favorem Confessariorum, ut sunt privilegia Regularium, prout recte notant *Salm. ibid.* cum *Ant. a Spir. Sanct.* Notandum IV. quod aliquis pluribus censu-

ris innodatus posset absolvi ab una, et non ab aliis; quare, si censuratus unius tantum petat absolutionem, odiose alias celando, ab illa tantum censetur absolutus, nisi Superior aliud exprimat, ex *cap. Cum pro causa c. Officii, de Sentent. excomm.* Vide *Salm. cap.* 2. *n.* 32. Si autem sine dolo alias celasset, judicatur absolutus ab omnibus, nisi constet absolventem aliud intendisse. Ita *Salm. ib.* cum *Cand. Gibal.* Et hæc absolutio valet etiam pro foro externo, si absolvens jurisdictionem habet in contentioso; si vero in foro conscientiæ tantum, sive in Sacramento Pœnitentiæ jurisdictionem solum habet, tunc reus qui omiserit confiteri inculpabiliter peccatum, cui annexa erat censura reservata, poterit tantum pro foro conscientiæ a quocumque postea absolvi, ut cum *Bus.* dicunt *Salm. n.* 33. *et* 34. cum *Con. Avil. Gibal* etc. Idem dicunt ibi cum *Nav. Cov. Avil. Sylv.* etc. de absolutione generali, quam Prælati impertiuntur suis subditis in Visitatione. Excipiunt tamen cum *Bonac. Avil.* etc. si aliqua censura exposcat satisfactionem partis, quia tunc non præsumitur Prælatus velle ab illa absolvere contra juris præscriptum, et in alterius præjudicium; ita præfati AA. et quidem probabiliter: sed *lib.* 5. *n.* 597. probabilius esse diximus cum *Suar. Sylv. Conc. Antoine, et aliis*, quod Pœnitens confessus Superiori, etiamsi inculpabiliter fuerit oblitus peccati reservati, non est ablata reservatio, quia reservatio imposita est, ut culpæ cognoscantur a Superiore, utque debitis pœnitentiis puniantur monitisque in futurum vitentur. Secus vero dicendum, si privilegium sit ipsi Pœnitenti concessum, ut in Jubilæo, etc. Vide *d. n.* 597.

132. An autem valeat absolutio, quando datur ob falsam causam, nempe si Judex absolvat, quia reus dicit jam se emendatum; vel parti satisfecisse, quod verum non sit? Respondetur negative, si deficiat causa principalis; secus, si minus principalis; vel si Judex certo conscius sit falsitatis, ut *Cont. Tourn. t. 2. pag.* 459. *cum Suar. et Bon. ac Salm. c. 2. n.* 35. *cum Pal. Sayr. Avil. Henr. communiter.*

CAPUT II.

De Excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid sit, et Quotuplex?

133. *Quid excommunicatio? Quænam veniat illius nomine major ne, aut minor? et qui sint vitandi?*
134. *Resolutiones.*
135. *Quid requiratur, ut quis sit vitandus? Vide Constitutionem Conc. Constantiensis.*
136. *De 1. conditione, ut sit nominatim excommunicatus.*
137. *De 2. conditione, ut sit publice denuntiatus.*
138. *An liceat toleratis cum aliis communicare.*
139. *An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in Divinis, sine necessitate?*
140. *An idem de suspenso, et interdicto vitando?*
141. *Quando percussor Clerici sit vitandus?*
142. *An ad vitandum eum requiratur notorietas facti?*
143. *An sufficiat, ut alicui factum sit notum?*
144. *An requiratur etiam notorietas juris?*
145. *An percussor notorius in uno loco, sit vitandus in aliis, ubi non est notus.*
146. *Quando possit credi vitandus absolutus?*

133. » REspond. Excommunicatio est cen-
» sura, per quam quis privatur communione
» Ecclesiæ. Estque duplex, minor, quæ tan-

» tum privat usu passivo, seu receptione Sacra-
» mentorum: et major quæ etiam dicitur Ana-
» thema, ac in jure fere semper nomine ex-
» communicationis intelligitur. * (*Habetur in*
» *cap.* 5. *Si quem* 59. *De Sentent. excomm.*
» *quod nomine Excommunicationis intelligatur*
» *major, non minor, et ita AA. apud Croix*
» *lib.* 7. *n.* 177. *Per Anathema autem intelli-*
» *gitur Excommunicatio major lata cum majo-*
» *re sollemnitate*) *; privatque omni communio-
» ne Ecclesiastica, secundum dicenda. * (*Non*
» *dicitur simpliciter* omni communione: *nam et-*
» *iam excommunicatus cum fidelibus tamquam*
» *membris unius corporis communicat in pluribus*
» *bonis spiritualibus; sed additur* Ecclesiastica
» *idest pro bonis, quorum distributio ad Ec-*
» *clesiam pertinet. Vide Salm. de Cens. cap.*
» 3. *n.* 1.) * Per hanc majorem excommuni-
» catus rursus est duplex: Toleratus, quem
» fideles non tenentur vitare: non toleratus,
» quem tenentur vitare. Et quidem post Conci-
» lium Constantiense, non tolerati sunt hi tan-
» tum. 1. Notorius Clerici percussor, de quo
» infra. 2. Quivis nominatim excommunicatus,
» et specialiter, ac publice denunciatus.

Unde resolves.

134. » 1. In Germania Catholici secure com-
» municant cum iis, qui notorie sunt hæretici,
» et consequenter excommunicati, ac publice
» denunciati.

» 2. Non teneris vitare eum, quem scis pec-
» casse contra legem, per quam illi, etiam in
» particulari, sub pœna excommunicationis ali-
» quid est vetitum, vel præceptum, quia re-
» quiritur, ut per sententiam expressam, et spe-

» cialem, contra personam in particulari, post
» peccatum commissum, censura sit publicata,
» v. gr. ut Joannes sit denunciatus, excommu-
» nicatus, vel saltem ita exprimatur persona,
» ut non liceat de ea dubitare, v. gr. excom-
» municamus talis loci Decanum, Prætorem.
» * (*Nota hic; quod agere rem sub excom-*
» *municatione majori vetitam, non excusatur a*
» *culpa gravi; Salm. cap.* 3. *n.* 7. *cum S. Th.*
» *Suar. Lez. et comm. Nota deinde, quod, si*
» *peccatum est vetitum sub censura ex eodem mo-*
» *tivo, puta, si vetetur homicidium, peccans*
» *unum peccatum committit; secus, si ex di-*
» *verso motivo, ut si vetetur homicidium Cleri-*
» *ci ob reverentiam status. Est commune cum*
» *Laym. cap.* 5. *n.* 1. *Pal. Avil. et Salm. c.*
» 3. *n.* 8.)*.

» 3. Licet dicatur: *Excommunicamus Petrum,*
» v. gr. *incendiarium, et ejus complices*, solus
» Petrus vitandus est, non vero alii, etsi sunt
» notorii: quia sententia quoad illos est tantum
» generalis, et non specialis contra certam per-
» sonam.

» 4. Non teneris vitare eum, qui privatim
» in conclavi est denunciatus, quia id non est
» factum publice; ad hoc enim requiritur, ut
» sententia legatur, vel affigatur alicui loco ce-
» lebri, v. gr. in templo, tempore concionis,
» vel aliter pro more regionis ».

135. Notandum hic olim omnes excommunicatos fuisse vitandos; post constitutionem vero Concilii Constantiensis, quæ incipit, *Ad evitanda*, (cujus exemplum nunc non extat, sed legitur apud *S. Antonin.* et *Sot.* ultra quod sufficit fuisse confirmatam a Martino V. in *Extrav. Ad evitanda*) vitandi tantum sunt nominatim excommunicati, ac denunciati, et publici per-

cussores clericorum; verba Const. relatæ *a Salm. de Cens. c. 3. n. 10.* hæc sunt: *Ad evitanda scandala... indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscumque Divinis, vel extra prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare: nisi sententia vel censura ejusmodi fuerit contra personam, vel Collegium etc. vel locum certum, aut incertum a Judice publicata, et denunciata specialiter, vel expresse. Salvo; si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, juxta Canonicas Sanctiones.* Sed inde additur: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos suspensos, et interdictos, seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.*

Sunt igitur vitandi tantum nominatim excommunicati, ac denunciati, et deinde notorii percussores Clericorum. De singulis hic discutiemus.

136. Et quoad primos, ut aliquis excommunicatus sit vitandus, juxta prælaudatum Decretum, requiritur I. Ut sit nominatim excommunicatus, expresso nomine per verba, aut signa indubitata, v. gr. *Excommunico Prætorem Salmantinum*, et ita ut non possit cum alio Prætore æquivocari: ut notant *Sotus*, *Avil.* et *Salm. c. 3. n. 15.* Ex quo infertur, quod non tenemur vitare hæreticos, etiamsi notorium sit hos esse a jure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati, et denuntiati. Nec

obstat 1. Decretum posterius Concilii Basileensis, quo sancitum fuit esse vitandos omnes notorie excommunicatos. Nam respondetur 1. cum *Turrecr. Salm.* et *aliis DD. comm.*, quod Decreta dicti Concilii edita post Schisma (prout hoc Decretum editum fuit) ab Eug. IV. fuerunt revocata; vide dicta *T. I. l.* 1. *n.* 133. Resp. 2. quod tale Decretum, quamvis legitimum fuisset, a contraria tamen consuetudine Ecclesiæ fuit abrogatum, et Decretum Concilii Constantiensis communiter fuit receptum. Ita communiter DD. Vide *Salm. n.* 13. Nec obstat 2. dicere; quod saltem ex jure divino tenemur publice excommunicatos, maxime hæreticos, vitare, ex illo ad *Titum* 3. *Hæreticum hominem post primam, et secundam correptionem devita.* Et ex *Ep.* 2. *Joan. Nolite eum in domo recipere, nec ave ei dixeritis.* Hoc enim respondetur intelligi præceptum, quando esset periculum, quod ab eo inficeremur, vel si scandalum adesset, aut si spes esset, quod delinquens ex vitatione resipisceret, *Salm. ib.*

137. Requiritur II. ut reus publice excommunicatus publice etiam denuncietur. Circa quod non sufficit, si denunciatio fiat coram litigantibus, sed debet fieri in loco publico (prout in Ecclesia, tempore Missæ, vel concionis), et in charta affigi in loco publico, vel alibi juxta usum Regionis, *Pal. Disp.* 2. *part.* 4. *Salm. cap.* 3. *n.* 15. *Croix l.* 7. *n.* 185. cum *Suar. Henr. Con. Avil. Hurt.* Et in dubio, an quis excommunicatus sit sufficienter denunciatus, non tenemur eum vitare, ut notat *Croix n.* 186. cum *Dic.* et *aliis*, nisi adesset periculum scandali. Sufficit tamen, ut teneamur vitare, si constet nobis esse illum denunciatum per famam publicam, vel per testimonium etiam unius per-

sonæ gravis auctoritatis, ut *Croix ibidem* cum *Nav. Dic.* etc. Notandum II. quod excommunicatus a jure (nisi crimen sit notorium) debet prius a suo proprio Superiore citari, ut se defendat; *Salm. ib. n.* 16. juxta dicta supra *n.* 55. *in fine*. Et deinde debet publice ut excommunicatus denunciari, seu declarari. Sufficit autem ut excommunicatus a jure tantum denuntietur tanquam talis, ut jam sit vitandus; *Salm ibid. n.* 15. Non vero sufficit, si reus sententia declaretur tantum, quod commiserit crimen, cui annexa est excommunicatio, ut alias tenent sufficere *Suar. Sayr. Avil.* etc. apud *Salm. c.* 3. *num.* 17. Nam verius requiritur, ut expresse declaretur excommunicatus, uti docent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 9. *n.* 4. *Pal. n.* 6. *Ronc. pag.* 84. *q.* 2. *R.* 1. *et Salm. d. n.* 17. cum *Bon. Reg. Dian.* etc. quod probabile putat *Croix l.* 7. *n.* 183.). Ratio, quia in Decreto *Concilii Constantiensis*, *et in Extrav. Martini* V. dictum est, neminem esse vitandum, *nisi censura vel sententia ejusmodi fuerit a Judice publicata*, *vel denunciata specialiter*, *et expresse*. Ex quibus verbis *Gibal.* cum *Sanch.* addit nec sufficere, si declaretur reus incurrisse omnes censuras crimini annexas, nisi in specie denuntietur excommunicatus. Notandum III. quod, licet vitare non teneamur excommunicatum non denuntiatum, possumus tamen vitare, etiam publice, eum qui publice est notus ut excommunicatus, uti recte dicunt *Avil.* et *Dic.* apud *Croix l.* 7. *n.* 184.

138. Notandum IV. quod etsi permissum sit aliis communicare cum excommunicato tolerato, attamen, prout patet ex verbis Concilii ut supra, quicumque etiam clam excommunicato interdictum est cum aliis communicare tam in Divinis, quam in humanis. Sed dubium hic fit, an liceat fidelibus cum illo communicare in Di-

vinis, et sine necessitate? Dixi *in Divinis*; nam in humanis certum est semper licere. Dixi item *sine necessitate*, quia in casu necessitatis, vel specialis utilitatis, puta, si alius æque utilis non inveniatur, licite potest quisque ab excommunicato Sacramenta petere; ita *Suar. D.* 11. *sect.* 1. *n.* 15. *Pal. D.* 2. *p.* 5. *n.* 3. *et Salm. c.* 3. *n.* 23. *cum Con. et Cornejo.*

139. Quæritur igitur, an liceat communicare in Divinis cum excommunicato tolerato sine necessitate, vel utilitate? Negant *Pont. l.* 5. *c.* 18. §. 9. *Suar. D.* 11. *sect.* 4. *n.* 10. *et Avila*, *Pal. ac Con. apud Salm. c.* 3. *n.* 34. quia, licet communicans non agat contra præceptum censuræ, agit tamen contra caritatem, inducendo excommunicatum ad actum illicitum; nisi (excipiunt) ille esset paratus Sacramenta ministrare aut nisi teneretur ea præstare ex officio, nempe si esset Parochus, quia tunc alter utitur jure suo. Probabilius vero affirmant universe *Sanch. de Matr. l.* 7. *D.* 9. *n.* 8. *Pal. D.* 2. *p.* 5. *n.* 5. *Bon. p.* 2. §. 3. *n.* 4. *et Salm. c.* 3. *n.* 25. *cum Soto*, *Hurt. Sayr. Corn. Gibal. Henr. etc.* Ratio, quia, quando excommunicatus rogatus communicat, v. gr. Sacramenta ministrat, nec ipse tunc peccat; nam, si ipse adhuc peccaret inutilis evaderet concessio facta fidelibus a Concilio, dum eis saltem indirecte, ratione caritatis prohiberetur communicatio. Quare, cum fidelibus communicatio cum excommunicato universe concessa sit, indirecte indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen currit, si Sacramenta petantur ab excommunicato, quia, si petantur a Ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur equidem causa justa, secundum dicta *l.* 6. *n.* 88. *v. R. III.*

140. Notandum V. quod hæc, quæ hucusque dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso, aut interdicto vitando in iis rebus, in quibus vi suspensionis, vel interdicti vetitum est eis communicare; ita ut usquedum non sint publice denunciati, possumus indifferenter communicare cum illis, quia Concilium loquitur universe de quacumque censura; *Pal. p.* 5. *n.* 8. et *Salm. c.* 3. *n.* 21. cum *Sayr. Caj. Gutt.* etc. *communiter.* Et idem asserit *ib. Avila* de irregulari, qui si non sit denuntiatus, non est vitandus; hinc ait licite posse fideles a Parocho irregulari, etiam ob publicum homicidium, sed non denunciato, petere Missam, et Sacramenta, cum Concilium loquatur tam de impeditis per censuram, quam per quamcumque sententiam, per verba to, *Cujuscumque sententiæ, vel censuræ.*

141. Quoad vero *percussores Clericorum*, hi, ut sint vitandi, requiritur ut sint notorii. Sed hic quæritur, an requiratur notorietas juris, vel facti? Notorium *juris* dicitur, quod notum est vel per sententiam Judicis, vel per confessionem rei in judicio, vel per sufficientem depositionem judicialem testium. Notorium autem *facti* dicitur, quod notum est majori parti Collegii, Monasterii, viciniæ, vel magno numero personarum, sive quod creditur mox venturum ad earum notitiam; nam ut bene notant *Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 19. cum *Bon. Hurt. Nav.* in magna Civitate non requiritur, ut factum sit notum majori parti civium; verum non sufficit contra, ut sciant 14. testes, ut dicunt *Salm.* cum *AA. cit.* Licet *Dicast. apud Croix lib.* 7. *n.* 182. putet, quod si percussio fiat in foro coram septem, dicenda sit notoria; secus, si fiat in domo privata, aut in Monasterio, vide

dicta *T. IV. lib.* 3. *n.* 975. sufficit autem fama communis orta a viris fide dignis, et integre probata, quæ quidem jam præbet moralem certitudinem, ut *Pal. D.* 2. *p.* 4. *n.* 8. *Bon. D.* 2. *q.* 2. *part.* 1. §. 1. *n.* 9 *Salm. c.* 2. *n.* 19. cum *Sayr. et aliis.* Putant tamen *Viva Q.* 3. *A.* 2. *n.* 5. *Avil.* et *Dic.* apud *Croix l.* 7. *n.* 447. non sufficere famam quod quis percusserit, sed requiri etiam famam quod publice percusserit. Immo docent *Suar. Mol.* et *Dic. ib.* non sufficere publicam hujusmodi infamiam, quando hæc non procedit ex notorietate facti per testes oculatos: alias dicetur crimen famosum, sed non notorium, et hoc *Croix* probabile censet ex verbis Bullæ, *Ad evitanda*, ut supra *num.* 135. ubi: *Si sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari.* Hinc, ut dicit *Viva l. c.* non erit notorius percussor, qui laborat publica infamia, quod Clericum percusserit, si revera ipse non percusserit publice.

142. His positis dubitatur 1. an sufficiat, ut percussor Clerici sit vitandus, sola notorietas juris? Resp. negative cum communi; namque licet olim ante Concilium Constantiense sufficiebat notorietas juris, quia tunc omnis excommunicatus erat vitandus, nunc tamen requiritur etiam notorietas facti, ex verbis illis: *Quod factum non possit aliqua tergiversatione celari.* Ita *Suar. D.* 9. *sect.* 2. *n.* 11. *Pal. D.* 2. *p.* 4. *n.* 7. *Bon. D.* 2. *p.* 1. §. 1. *n.* 3. *Croix l.* 7. *n.* 180. *cum Laym. et Salm. c.* 3. *num.* 18. *cum Con. Avila*, etc. Advertendum tamen est, quod sicut est vitandus is quem per publicam famam constat fuisse notorium Clerici percussorem, ut dictum est supra, ita etiam vitare debemus eum qui per sententiam Judicis (juxta Concilium

Constant.) denunciatus est vitandus, quia tunc per talem sententiam satis certi evadimus etiam de notorietate facti; vide *Croix. l. c.*

143. Sed dubitatur 2. an sufficiat, ut factum sit alicui notum, quamvis aliis sit occultum, ut ille percussorem vitare teneatur? Affirmant *Suar. Dic. et alii* apud *Croix l.7.n.179.* quia factum jam illi notorie constat. Sed probabilius negant *Bonac. D. 2. q. 2 p. 1. §. 1. cum Avila, et Pal. l. 2. n. 6. cum Nav. Laym. Hurt. ac Con. Croix ibi. cum Pignat.* Quia ex verbis mox relatis jam satis apparet requiri ut crimen sit simpliciter notorium, idest pluribus notum, ita ut celari non possit.

144. Dubitatur 3. An ultra notorietatem facti, ut percussor sit vitandus, requiratur notorietas juris, idest quod reus sit etiam in judicio confessus, vel per sententiam damnatus? Visum est alicui omnino negandum, casu quo factum nulla possit tergiversatione celari, ut supra; at probabiliter quidem affirmant *Avil. Cœlest. Fag. Cov.* quos sequuntur *Salm. c. 3. n. 18. et 19.* et *Ronc. pag. 84. q. II. R. 2.* Ratio, quia dicit textus (vide *n. 135.*) quod ad obligationem vitandi percussorem requiritur ut constet, non solum percusisse, sed etiam censuram incurrisse, ita ut factum non possit celari, *nec* (nota ut additur) *aliquo suffragio excusari.* Ideo usquedum reus non sit in judicio confessus, aut condemnatus, semper aliquo suffragio valet excusari, dicendo v. g. se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram, etc. Huic sententiæ adhæret *Diana p. 5. tr. 9. Res. 60.* ubi dicit » : (quamobrem raro contingit percussionem Clerici ita notoriam esse facto, ut non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua ex-

cusari) ». Et idem docent *Viva Q.* 3. *A.* 2. *n.* 5. et *Pignat.* apud *Croix l.* 7. *n.* 181. Quare, nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter numquam est vitandus.

145. Dubitatur 4. an percussor Clerici notorius in uno loco, sit vitandus in alio, ubi non est notorius? Affirmant *Hurt. Bon. Vasq.* apud *Salm. c.* 3. *n.* 20. quia a Concilio universe fuit declaratus ut vitandus, qui alicubi fuit notorius Clerici percussor. At probabiliter negant *Pal. n.* 9. *Sanchez Dec. lib.* 2. *cap.* 12. et *Salm. cap.* 3. *n.* 20. Quia, ut dicunt, factum publicum in uno loco, non vere est publicum in alio, ubi communicatio cum excommunicato occulto non affert scandalum, quod præcipue voluit Concilium evitari. Et idem quod dicitur de Clerici percussore, dicendum de excommunicato in aliquo loco denunciato, modo notitia denunciationis non sit brevi in illum alium locum perventura, ut dictum est supra *n.* 78.

146. Ultimo hic notandum quod, postquam noscitur quis semel esse denunciatus, sive declaratus excommunicatus, tenemur eum vitare, donec constet nobis de absolutione vel per publicam famam, vel saltem per testimonium unius fide digni, uti habetur in *c. Sicut*, 39. *De Sen. exc.* Potest tamen ipsi excommunicato fides adhiberi, si alias sit fide dignus, et timoratæ conscientiæ, asseratque absolutionem recepisse, vel se gerat ut absolutum. Ita *Croix l.* 7. *n.* 188. cum *Nav. Avil. Dic.* et *Henr.*

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, et quem effectum habeat excommunicatio minor?

147. *Ob quam causam incurratur excommunicatio minor?*
148. *An Episcopus possit aliqui interdicere Sacramenta? Effectus directus excommunicationis minoris est privatio suscipiendi Sacramenta.*
149. *An sit privatio etiam ministrandi?*
150. *Effectus indirecte est privatio electionis passivæ ad Beneficia.*
151. *Incurritur communicando cum vitando.*
152. *An sit mortale recipere Sacramenta cum excommunicatione minori? An ministrare?*
153. *An incurratur cum solo veniali?*
154. *Et an hoc veniale possit omitti in Confessione?*
155. *Quis possit absolvere ab ea? An etiam a quocumque, qui potest absolvere venialia?*
156. *Quis incurrat remissive.*

147. » REsp. incurritur ob unicam tantum » causam, si quis nimirum cum excommuni- » cato majore excommunicatione communicet iis » casibus, quibus non licet; effectus est priva- » tio Sacramentorum perceptionis. V. *Laym. l.* » 1. 5. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 3.

148. Quoad causam igitur, excommunicatio minor de jure incurritur tantum ob communicationem cum excommunicato vitando. Hoc

tamen non impedit, ut docet *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. quominus Episcopus in pœnam alicujus criminis possit nominatim alicui interdicere usum passivum Sacramentorum, vel saltem Communionis. Quoad effectum vero, excommunicatio minor unicum tantum effectum directum habet, nempe privare perceptione Sacramentorum, ex *c. Si celebrat, de Cleric. exc.* Ibique dicitur graviter peccare, qui hac excommunicatione irretitus Sacramentum aliquod suscipit, ut est commune apud DD. valide tamen recipere. Vide *Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 159.

149. Sed magnum dubium est, an hic peccet, Sacramenta ministrando? Commune est inter DD. (contra *Vasq.*) non peccare graviter, quia in *d. c. Si celebrat*, postquam Pontifex dixit peccare graviter, si Sacramenta recipiat, addidit: *Peccat autem conferendo Sacramenta*, sed non dixit *graviter*. Hinc probabiliter sentiunt *Pal. D.* 2. *p.* 21. *n.* 8. *Sayr. Con.* et *Avil.* apud *Salm. c.* 3. *n.* 160. saltem peccare venialiter. Attamen *Bon. D.* 2. *q.* 3. *n.* 4. et *Nav. Suar. Vill.* aliiqui multi apud *Croix l.* 7. *n.* 190. cum *Bus. hic n.* 3. et *Salm. c.* 3. *n.* 161. tenent nec etiam venialiter peccare, quia in nullo jure reperitur vetita ei ministratio, sed tantum perceptio Sacramentorum; immo expressum in cit. textu habetur: *Cum non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum remotus.* Cum autem dicitur ibi, *Peccat conferendo*, intelligendum, (dicunt citati DD.) quando Minister ad conferendum aliquod Sacramentum, ante illud Sacramentum suscipere debet, nempe cum Episcopus confert Ordines Sacros, vel cum Sacerdos Communionem dispensat in Missa, opus est

ei antea celebrare, et Eucharistiam suscipere, de quo casu specialiter loquitur textus, et tunc certe peccat, immo graviter. Utraque sententia est satis probabilis.

150. Habet autem excommunicatio minor et alium effectum indirectum, qui est privatio electionis passivæ ad Beneficia, ut habetur ex *eod. c. Si celebrat.* Qui enim directe privatur susceptione Sacramentorum, prohibetur etiam indirecte Beneficia recipere, quæ ex institutione Ecclesiæ ordinantur ad receptionem Ordinum, et ad Missæ celebrationem. Et quamvis textus loquatur tantum de receptione per electionem; idem tamen communiter DD. intelligunt etiam de receptione per collationem, et præsentationem, tum quia eadem ratio currit; tum quia collatio, et præsentatio sunt quædam virtualis electio. Quare tam excommunicatus Beneficium recipiens, quam eligentes, præsentantes, et conferentes tunc graviter peccant, cum transgrediantur præceptum Ecclesiæ in re gravi. Ita *Laym. l. 1. Tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5. Pal. D. 2. p. 21. n. 13. Bon. Disp. 2. q. 3. n. 7. Croix lib. 7. num. 193. Salm. cap. 3. num. 162.* cum *Suar. Avil. Sayr. Hurt, Henr. et communi.* Talis autem electio, etc. non erit de se irrita, sed irritanda, ut legitur in eodem textu, ubi sancitur: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Dubitatur, ex cujus parte hæc scientia requiratur, ut electio sit irritanda? Adest triplex sententia. *Prima* docet requiri scientiam tantum ex parte electi, qui sciverit suam excommunicationem, et inhabilitatem ad Beneficium: ita *Pal. D. 2. p. 21. n. 19. Laym. l. c.* citans *Glossam d. c. Verb. scienter*, quæ dicit sufficere quod electus scienter communicarit cum excommunicatis. *Palao* et

Laym. adhæret *Croix l.* 7. *n.* 195. qui dicit saltem requiri quod electus memor sit suæ excommunicationis, dum Beneficium ei confertur; nam contra cum ipse ignorans bene capax sit Sacramentorum, sic etiam capax est Beneficiorum. Et hoc probabilius mihi videtur, quia illud, *Scienter*, verius ad *tò electus*, quam ad *excommunicatus* refertur. *Secunda* autem sententia requirit scientiam ex parte Electorum, ut *Avil. et Sylv.* apud *Laym. loc. cit.* atque idem tenent *Bon. Hurt. Reg.* apud *Salm. cap.* 3. *n.* 163. Ex quibus sententiis *tertiam* demum probabilem sententiam deducunt *Salm. ib.* nempe requiri tam scientiam excommunicationis ex parte Electorum, quam scientiam inhabilitatis ex parte electi. Electores autem scienter conferentes Beneficium excommunicato nullam pœnam incurrunt. *Salm. d. num.* 165. *Avil. Dian.* etc.

151. » 1. Cum jura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere similem » excommunicationem, sensus est, quod similiter, id est, vere excommunicetur, licet minore excommunicatione.

» 2. Propter communicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam » nominatim denunciato, nulla incurritur censura.

152. » 3. Etsi excommunicatus minore excommunicatione recipiendo aliquod Sacramentum, non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: administrando vero, probabile est » nec venialiter peccare. * (vide dicta *n.* 149.) *.

153. » 4. Incurritur hæc censura, etsi quis » propter levitatem materiæ tantum venialiter » peccet, v. g. confabulando cum nominatim » excommunicato, quando non licet: secus,

» si sit veniale propter imperfectum usum ra-
» tionis, quia pœna infligitur propter actum,
» qui, quantum est ex se, sufficit ad mortale.

154. » 5. Etsi peccatum veniale possit omit-
» ti in confessione; non tamen illud, cui hæc
» censura est annexa, ne Sacramentum in ea re-
» cipiatur. Unde etiam Confessarii ordinarie
» prius absolvunt fideles ab omni vinculo ex-
» communicationis, etiam minoris, deinde a
» peccatis.

155. » 6. Ab hac excommunicatione lata a
» jure absolvere potest Parochus, et quisquis
» potest a mortalibus: cum non sit reservata.
» An vero qui potest absolvere a veniali ha-
» bentem annexam hanc excommunicationem,
» possit etiam ab ipsa? Quidam affirmant, ut
» *Nav. et Tolet.* et alii probabilius negant: ut
» *Suarez*, *Coninc.* quia, sicut hæc absolutio
» est distincta a Sacramentali, ita etiam ad
» eam requiritur distincta jurisdictio; quæ nus-
» quam conceditur omnibus Sacerdotibus. V.
» *Laym l.* 1. *t.* 2. *p.* 2. *c.* 3. ».

156. Quomodo, et quando incurratur hæc ex-
communicatio minor ob excommunicationem
cum excommunicato vitando? Vide *Dub. seq.*
ex n. 168.

DUBIUM III.

Quos effectus habeat excommunicatio major?

157. *Qui sint effectus mediati excommunicationis majoris? I. Irregularitas ob exercitium Ordinis. II. Suspicio de hæresi, si per annum insordescat.*

158. *Qui sint effectus immediati? I. Privatio susceptionis Sacramentorum licitæ, et etiam validæ quoad Pœnitentiam.*

159. *An excommunicatus sine culpa suscipiens Pœnitentiam valide absolvatur ante absolutionem censuræ ?*
160. *Plura notanda.*
161. *An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda præcepta ?*
162. *II. Privatio communium suffragiorum, etc.*
163. *An possint offerri Sacrificia etc. nomine Ecclesiæ pro excommunicato vitando, si non stet per ipsum quominus absolvatur?*
164. *An possint offerri pro excommunicato tolerato ?*
165. *III. Privatio administrandi Sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes Sacramenta ab excommunicato tolerato?*
166. *An excommunicatus vitandus valide ministret Sacramenta ?*
167. *An Sacramentum Pœnitentiæ ?*
168. *Quid si sit toleratus et quid in articulo mortis ?*
169. *An excommunicatus licite ministret Sacramenta ?*
170. *Quando etiam vitandus ?*
171. *Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta ministrans ? An vitandus incurrat irregularitatem ministrans Pœnitentiam ?*
172. *Quam pœnam incurrat recipiens Sacramenta sine necessitate a vitando ?*
173. *IV. Privatio Divinorum Officiorum. Quomodo peccet communicans in Divinis cum vitando ? Et an liceat recitare privatim Officium cum ipso ?*
174. *An vitando liceat usus Sacramentalium, orare privatim in Ecclesia ?*
175. *Quid si vellet interesse Missæ, etc.*
176. *Ad quid teneantur Clerici si excommuni-*

catus nolit recedere? An alii assistentes peccent tunc mortaliter? Et an incurrant excommunicationem minorem?

177. *Quæ veniant nomine Divinorum Officiorum? An vitandus possit audire concionem, lectionem, etc. Quo modo debet expelli, alias Missa interrumpi? Et an inchoato Canone?*

178. *An excommunicatus teneatur ad Horas? Et an quando peccet dicendo Dominus vobiscum? Aut recitando cum alio privatim?*

179. *V. Nullitas Beneficii collationis, præsentationis, etc.*

180. *Plura notanda, et an idem dicendum de collatione Dignitatum, etc. Quid si ante excommunicationem fuisset præsentatus? Et an Beneficiatus faciat fructus suos?*

181. *An toleratus sit inhabilis ad Beneficia, Officia, etc.*

182. *An valida sit collatio Beneficii alicui, qui ignoret se esse excommunicatum?*

183. *An excommunicatus privetur fructibus Beneficii ante sententiam?*

184. *VI. Privatio communicationis forensis. An possit se defendere in judicio? An agere? An testificari? An tueri alios?*

185. *VII. Privatio usus jurisdictionis.*

186. *VIII. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ: Vide ib. plura notanda de pollutione Ecclesiæ, vel Cœmeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus, etc.*

187. *Quid si sit Hæreticus non denunciatus?*

188. *IX. Privatio communicationis civilis. Et*

189. *I.* Os.

190. *II.* Orare.

191. *III.* Vale.

192. *An liceant signa urbanitatis sine verbis ?*
193. *An liceat resalutare ?*
194. *IV.* Communio, *idest contrahere, cubare, habere societatem etc.*
195. *V.* Mensa. *Quid si casu accidat ?*
196. *Quale peccatum sit communicare cum vitando ?*
197. *Peccat graviter communicans. I. In Divinis. II. In eodem crimine.*
198. *An sit mortale communicare frequenter cum vitando ?*
199. *In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem majorem ?*
200. *In quibus casibus liceat cum vitando communicare ?.*

157. » REsp. Habet duplices mediatos, et im-
» mediatos. Mediati, sive remoti sunt hi.
» I. Irregularitas, quam excommunicatus in-
» currit, exercendo actum alius ordinis.
» II. Si excommunicatus toto anno in excom-
» municatione contumaciter persistat, et, ut
» jura loquuntur, insordescat, fit suspectus de
» hæresi; et contra eum, ut talem, procedi
» potest; *Trid. sess.* 25. *c.* 4. ideoque, si
» crimen grave, et beneficii privatione dignum
» commisit, privandus est beneficio; immo, etsi
» crimen non sit adeo grave, si tamen ad hæ-
» resis suspicionem purgandam citetur, tamquam
» hæreticus privari debet. *Bon. d.* 2. *q.* 2. *p.*
» *ult. ex Rebuff. Dian. Nav.* etc. * (*Insor-*
» *descere est per annum animo pertinaci, et*
» *cum contemtu potestatis Ecclesiæ perseverare*
» *in eadem excommunicatione, sive in alia cen-*
» *sura, ut dicit Croix l.* 7. *n.* 287. *et probat*
» *ex Trid. Sess.* 25. *c.* 5.) *.

158. » Immediati effectus sunt sequentes.

» I. Privat susceptione, et usu passivo Sa-
» cramentorum; unde nullus excommunicatus,
» sive toleratus, sive non, potest ea licite re-
» cipere sub mortali, nisi excuset ignorantia
» invincibilis, metus mortis, infamiæ, jacturæ
» bonorum, etc. quia censura non obligat cum
» tanto rigore; *Laym. l.* 5. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 2.) * *Et*
» *ita communiter docent Bonac. D.* 2. *p.* 1. §.
» 1. *n.* 4. *et Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 43. *cum*
» *Fill. Dian. Con. etc. nisi fiat in contemtum*
» *censuræ*) *.

» Dixi, *licite*, quia valide suscipit omnia,
» saltem quoad substantiam, præter Pœniten-
» tiam, immo etiam hoc, si adsit ignorantia in-
» culpabilis, dummodo cetera ad essentiam Sa-
» cramenti requisita non desint, quia per cen-
» suram non fit incapax absolutionis, nisi pro-
» hibeatur eam recipere, priusquam absolvatur
» a censura. *Bon. d.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *ex Fill. Suar.*
» *Conine.* Nec obstare, etiamsi excommunicatio
» sit reservata, vel confessarius sciens peccata
» habere annexam excommunicationem, tamen
» ex malitia absolvat, docet *Dian. p.* 3. *t.* 4.
» *R.* 78. *ex Conin. Suar.* etc. et *p.* 5. *t.* 9.
» *R.* 53.

159. Duplex est sententia super hoc puncto; Alii negant excommunicatum, qui adhuc sine culpa suscipit Sacramentum Pœnitentiæ ante absolutionem censuræ, valide suscipere. Ita *Vasq. Sylv. Hurt.* etc. apud *Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 48. Ratio istorum, quia hic, ut membrum abscissum, excluditur omnino ab Ecclesia, ut possit in bonis ejus communicare. Sed oppositum verius est tenendum cum *Suar. D.* 10. *sect.* 3. *n.* 9. *Pal. D.* 2. *p.* 2. *n.* 4. *Bon. p.* 2. §. 1. *n.* 1. *Croix l.* 7. *n.* 191. *Salm. n.*

47. et *Con. Cajet. Sayr. Dian. Fill. ac communissime.* Ratio potissima, quia Ecclesia non irritat Sacramentum Pœnitentiæ, neque ex parte Ministri auferendo illi potestatem, cum censura afficiat solum censuratum; neque ex parte Pœnitentis, cum hoc nullibi habetur sancitum; nec Ecclesia sancire posset, dum Ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad Sacramentum eos, qui ex jure divino habiles sunt. Vide dicta *lib.* 6. *de Euch. n.* 265. *v. Quær. III.*

160. Hic autem notandum I. quod Minister conferens Sacramentum excommunicato tolerato peccaret quidem contra jus divinum, dando Sacrmentum indigno; sed non peccaret contra præceptum Ecclesiæ, quia per Concilium Constantiense, ut supra, cuique permissum est communicare cum tolerato, etiam in Divinis; ita probabilius *Suar. D.* 10. *sect.* 2. *n.* 9. *Pal. D.* 2. *p.* 7. *n.* 4. *et Salm. c.* 3. *n.* 51. cum *Vasq. communiter.* Ex quo inferunt *Salm. ibid.* quod si excommunicatus cum ignorantia inculpabili, et alias dispositus petat Sacramenta, licite potest Minister illa ei conferre, eumdem relinquendo in sua bona fide. Notandum II. quod excommunicatus, si recipit Sacramentum Ordinis, remanet suspensus, ex *c.* 32. *de Sent. exc.* Utrum autem excommunicatus Ordinem suscipiens incurrat irregularitatem? Vide dicta *lib.* 6. *de Ordine n.* 799. *v. Utrum autem.* Si vero suscipit alia Sacramenta, peccat quidem graviter, sed nullam pœnam incurrit; *Croix l.* 7. *num.* 198. *cum Dic.* et *Salm. vid. loc. c.* Notandum III. quod in articulo mortis probabilius potest ministrari excommunicato vitando Eucharistia, etsi ipse Sacramentum Pœnitentiæ non suscepisset, ut *Croix* cum *Suar.* et *Dic.* contra *Avilam*, etc. quia præceptum di-

vinum de Viatico sumendo fortius obstringit, quam prohibitio generalis Ecclesiæ non sumendi Eucharistiam. Idem ait *Croix l. c.* de Sacramento Extremæ Unctionis citans *Suar. et Dicast.* Sed probabilius negant *Avila*, etc. *ibid.* juxta dicta *l.* 6. *n.* 88. nisi infirmus non poterit aliud Sacramentum recipere. Notandum IV. quod in dubio, an quis sit absolutus, an non, ab excommunicatione contracta, non est negandum ei Sacramentum, si ille petat, maxime si asserat esse absolutum, quia nemo præsumitur delinquere; ita *Suar. D.* 10. *sect.* 2. *num.* 12. *Con. p.* 2. §. 12. *n.* 2. *Pal. D.* 2. *p.* 7. *n.* 7. *Croix c.* 7. *n.* 199. *et Salm. c.* 3. *n.* 49. cum *Nav. Con.*

161. Quæritur hic, an excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implendum præceptum Missæ, vel annuæ Confessionis, et Communionis? Negant communiter DD. teneri quoad Missam, etiamsi negligens sit in obtinenda absolutione, nisi hoc faciat animo se eximendi ab obligatione audiendi Sacrum; ita cum *Bus. Bonac. q.* 2. *p.* 3. §. 1. *n.* 4. *et Salm. de Cens. c.* 5. *n.* 74. *et de Sac. Mis. c.* 6. *n.* 53. cum *Sa*, *Nav. Az. Con.* et aliis, contra paucos. Secus tamen dicunt, quoad annuam Confessionem, et Communionem, cum hoc sit unum ex præceptis divinis, erga quæ tenemur tollere impedimenta. Ita *Salm. d. c.* 3. *n.* 74. *Croix l.* 1. *n.* 794. *Tamb. de Comm. c.* 4. *n.* 41. V. dicta *l.* 6. *de Euch. n.* 587. *et de Pœnit. n.* 663.

162. » II. Privat, saltem non toleratos, com-
» munibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus, et
» fructu Indulgentiæ, non tamen privatis. Un-
» de non tantum quivis privatus, sed etiam
» Sacerdos potest, tamquam persona privata,

» pro excommunicatis orare, etiam in publicis
» precibus, et sacro: immo actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis,
» offerre, vel ejus in Memento in particulari
» meminisse (*Hoc est certum cum S. Th. Sot.*
» *Pal. Salm. c. 3. num.* 38. *etc. comm.*).

» Dixi tamquam privata; quia, et minister
» Ecclesiæ non potest. Hinc irritæ sunt, ac
» nullæ omnes preces, quas pro excommunicato, in persona Ecclesiæ intercedentis pro
» ipso, Deo offert: adeoque privatur omnibus
» bonis, quæ in gratiam Ecclesiæ Deus concessurus fuisset.

163. Sed duæ quæstiones hic agitantur. Quæritur I. An possint offerri Sacrificia, suffragia, et Orationes communes Ecclesiæ pro excommunicato vitando, qui sit in gratia, nec per ipsum stet quominus absolvatur? Affirmant *Nav. Henr. Sayr. Avil. et alii* apud *Salm. c.* 3. *n.* 55. qui probabile putant; quia non præsumitur Ecclesia velle suis bonis privare amicum Dei, et non amplius contumacem. Negant vero longe probabilius *Croix l.* 7. *n.* 205. *ac Suar. Dian. Sot. Con.* etc. cum *Salm. n.* 56. Et videtur patere ex *cap. A nobis*, 28. *De sent. Excom.* ubi dicitur, quod excommunicatus, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Ratio, quia juste Ecclesia vult, ut non remittatur vinculum a se positum, nisi illud per absolutionem ab ipsamet auferatur.

164. Quæritur II. An autem pro excommunicato tantum tolerato possint offerri Sacrificia, etc. etiam nomine Ecclesiæ? Adest duplex sententia probabilis. *Prima* negat cum *Bellar. l.* 2. *de Missa c.* 6. *Suar. D.* 9. *sect.* 2. *n.*

17. item *Sotus*, *Avil. Bon.* etc. *apud Salmant. cap.* 3. *n.* 59. Quia concessio communicandi fuit facta a Concilio in commodum fidelium, non autem excommunicatorum. Sed non minus probabilis est *secunda* sententia, quam tenent *Navar. c.* 27. *n.* 36. *Palaus D.* 2. *p.* 6. *n.* 16. *ac Con. Reg. Hurt. Dian.* etc. *cum Salm. n.* 60. Ratio, quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendæ sunt; dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre: nam communicare id etiam importat, ut habetur ex *c.* 28. *et c.* 38. *de Sent. excomm.* Tanto magis, quia jure antiquo non erat vetitum pro excommunicatis occultis suffragia publica offerre, prout colligitur ex *c. Cum ab homine*, *eod. tit.* et ipse *Suarez* fatetur; offerre autem Sacrificia pro excommunicato, hoc etiam directe cedit in commodum fidelium, tum spirituale ob meritum caritatis, tum temporale ob stipendia, etc. quæ hi percipere possunt ex oblationibus pro illo exhibitis.

165. » III. Privat usu activo Sacramento-
» rum, et administratione Quæ tamen excom-
» municato tolerato, et ad id requisito et se
» non ingerenti, quandoque est licita, v. gr.
» si sit Pastor, cujus subditi teneantur audire
» sacrum, nec sit alius, qui celebret; immo,
» si etiam non Parochus forte rogetur, et in-
» vitetur ad celebrandum. Ac, licet communis
» doctrina sit apud *Laym. hic c.* 4. peccare
» fideles, si sine causa necessitatis, vel magnæ
» utilitatis talem inducant ad Sacramentorum
» administrationem, quando alius minister ha-
» beri potest, contrarium tamen est probabile
» ob facultatem concessam a Concilio Constant.
» cum talibus communicare; et hinc nec illum

» qui petit a tali Sacramentum, nec ipsummet
» excommunicatum, si conferat, præcise ob
» censuram peccare, *Laym. l. c. n.* 5. ex *So-*
» *to*, *Sanch. l.* 7. *de matr. d.* 9. *n.* 8. Idem
» docet *Bon. d.* 2. *q.* 2. *et Vasquez*, *Suar.*
» etc. (*Vide dicta n.* 138. *et* 139.) *. Non
» tolerato autem illicita est Sacramenti admini-
» stratio præterquam in casu extremæ necessi-
» tatis, extra quam valide illud administrat,
» præterquam pœnitentiam, quia requirit ju-
» risdictionem, qua ipse caret. V. *Laym. hic*
» *c.* 2. *Bon. l. c.*

Ad majorem claritatem hujus puncti, videndum est, quando excommunicati conferant Sacramenta valide, et quando licite.

166. Hinc quæritur I. An excommunicatus valide ministret Sacramenta? Respondetur affirmative (excepto Sacramento Pœnitentiæ, ut infra). Ita docent *S. Th.* 3. *p. q.* 64. *art.* 9. *ad* 2. et alii communiter cum *Salm. c.* 3. *n.* 26. Ratio, quia ubi essentialia Sacramenti concurrunt, non præsumitur (nec etiam posset) Ecclesia illud invalidare. Excipiunt aliqui Sacramentum Matrimonii; sed in eo adhuc probabile est cum *Croix l.* 7. *n.* 197. *Salm. de Matr. c.* 3. *n.* 46. utque diximus *l.* 6. *n.* 1082. quod valide assisteret Parochus excommunicatus, etiam vitandus; et etiam licite præberet licentiam alteri assistendi Matrimonio, juxta dicta *l.* 6. *n.* 1084. *contra Croix l. c.*

167. Sacramentum vero Pœnitentiæ certum est invalide ministrari ab excommunicato vitando sine necessitate. Ratio, quia ad hoc Sacramentum requiritur in Ministro potestas non solum Ordinis, sed etiam Jurisdictionis, qua ille privatus est ab Ecclesia, ut ex *cap. Omnis*, *De Pœnit. et Rem.* et ex *c. Ad probandam*,

De Sent. et re jud. Et ita communiter DD. cum *Pal. Suar.* et *Salm. c.* 3. *n.* 27. Et hoc, etsi Confessio sit de solis venialibus, ut *Salm. ibid.* Ex eadem ratione Parochus vitandus nequit alteri delegare jurisdictionem ad Confessiones suorum audiendas; *Croix. l.* 7. *n.* 167. Intellige, nisi hoc posset Parochus vi privilegii specialis.

168. Dixi autem invalide ministrari Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato vitando; quia, si sit toleratus, profecto valide hoc Sacramentum ministrat: nam hic non privatur Jurisdictione, cum hoc expediat ad utilitatem fidelium; *Croix l.* 7. *n.* 217. *et Salm. n.* 30. *in fine cum communi.* Utrum autem excommunicatus vitandus possit valide et licite absolvere in articulo mortis? Vide dicta *l.* 6. *n.* 560. *v. Q. I.* ubi sententiam negativam tenuimus cum *D. Thoma*, *Fagnano*, *Petrocorens. Conc.*, *etc.* contra sententiam communiorem, non vero communem, ut propter non omnem diligentiam adhibitam diximus *l.* 6. *n.* 88.

169. Quæritur II. An excommunicatus aliquando licite conferat Sacramenta? Et hic distinguere oportet excommunicatum vitandum a tolerato. Toleratus enim, licet ei universe sit vetitum sub gravi Sacramenta ministrare, ex *c. Apostolicæ*, *De Cler. excom. min.* quando tamen est requisitus, semper licite potest quæcumque Sacramenta conferre, prout diximus *n.* 139. Et probabiliter addit *Palaus D.* 2. *p.* 8. *n.* 3. quod, si festus dies occurrat, nec alius Sacerdos sit, qui Missam populo dicat, bene potest toleratus celebrare, etsi non rogetur; quia juste præsumitur populum petere Missam ad præceptum implendum: nisi alias hoc scandalum afferret.

170. Excommunicatus vero vitandus nequit etiam requisitus Sacramenta ministrare. Probabiliter tamen potest ministrare Viaticum, et etiam Extremam Unctionem, quando infirmus nequit aliud Sacramentum suscipere. An autem Parochus excommunicatus possit assistere Matrimonio? vel alteri licentiam assistendi præbere? Vide dicta de *Matr.* ex *n.* 1082. *ad* 1084. Dicunt autem probabiliter *Ronc. pag* ..... *q.* 3. *Pal.* et *Salm. c.* 3. *n.* 36 cum *Con. Dian.* et *Corn.* quod excommunicatus vitandus etiam licite Sacramenta ministrat, quod alias grave incommodum, puta jacturam famæ, vel bonorum timeret; quia Præcepta Ecclesiæ non obligant cum incommodo gravi.

171. Quæritur denique III. Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta ministrans? Resp Incurrit irregularitatem, sive sit vitandus, sive toleratus, ex *c. ultimo*, *de Cler. excom. min.* Sic pariter, si sollemniter baptizet, aut nuptias sollemniter benedicat: secus si privatim, ut *Salm. c.* 3. *n.* 40. Sed dubium est, an excommunicatus vitandus invalide Sacramentum Pœnitentiæ ministrans, incurrat adhuc irregularitatem? Negat *Richardus*, et probabile putat *Suar.* apud *Salm. c.* 3. *n.* 41. quia tunc deficit actus consummatus. Sed communissime affirmant *Pal. D.* 2. *p.* 8. *n.* 13. *Suar. D.* 11. *sect.* 3. *n.* 15. *Bon. de Irreg. D.* 7. *q.* 3. *p.* 5. *n.* 6. *Tourn. t.* 2. *p.* 108. *Concl.* 1. *et p.* 190. *n.* 3. *et Salm. c.* 3. *n.* 41. Quia hic punitur actus etiam attentatus, quia jam satis consummatus dicitur, cum Minister intentat contra jus absolvere. Sed hæc ratio non suadet; potius hæc sententia mihi probatur ex *c. Si quis.* 7. *Causa* 11. *q.* 3. ubi Martinus V. declarat irregularem quemlibet consti-

tutum in Sacris, qui *post excommunicationem præsumserit quasi in officio suo agere sicut prius.* Nota illud *quasi*, quod importat similitudinem actionis; ergo etiamsi invalide absolvat, irregularitatem incurrit.

172. Qui recipit igitur Sacramentum a vitando sine necessitate, peccat graviter, et excommunicationem minorem incurrit. Qui autem recipit Ordinem ab Episcopo excommunicato vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti, ex *c. Cum illorum*, §. *fin. de Sent. Excomm.* Vide *Salm. n.* 42.

173. » IV. Privat usu divinorum officiorum, » ita ut excommunicatus non tantum careat eo- » rum fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat » interesse, parte notabili, ita ut moraliter cen- » seatur cum aliis communicare, nisi excuset » ignorantia, vel necessitas vitandi scandali. * » (*Secluso tamen scandalo, excommunicatus,* » *etiam Missa inchoata, tenetur eam relinquere,* » *si nondum consecraverit. S. Th.* 3. *p. q.* » 83. *art.* 6. *ad* 2.) *, aliave justa causa: » *Bon. l. c. p.* 5. §. 5. *ex Suarez, Fill.* etc. » Similiter peccant etiam alii, qui cum excom- » municato vitando eidem Missæ intersunt, ut » ex commune docet *Bon. l. c. n.* 9. contra *Du- » rand.* quia participant cum illo in divinis. » Aliud tamen esset, si transiens per Ecclesiam » aliud tractaret, vel breviter privatim, aut » omnino separatim oraret, aut si aliis unum » sacrum audientibus, ipse aliud audiret; quia » sic moraliter non censeretur communicare cum » aliis, nec conjungi ad unam orationem fun- » dendam *Bon. l. cit. n.* 6. *ex Suar. Henr. » Fill. Conine.* etc. Ac, licet peccatum hoc » ex genere suo sit mortale, ex parvitate ta- » men materiæ subinde tantum est veniale, ut

» si exigua pars Missæ, v. gr. usque ad Evan-
» gelium tantum cum illo audiatur. *Avila*,
» *Dian. p.* 3. *t.* 5. *Res.* 21. vel si Horæ pri-
» vatim cum eo recitentur, *Dian. p.* 5. *t.* 8.
» *R.* 89. *ex Suarez*, et aliis novem. * (*Ut*
» *tenent etiam Salm. c.* 3. *n.* 63. *cum Con.*
» *Bon. et pluribus. Graviter tamen peccaret*,
» *qui cum vitando in Choro, vel publice, et*
» *sollemniter recitaret, ut Salm. n.* 62. *in fine*
» *cum S. Thom. Famulus autem, qui jussu*
» *Domini excommunicati Officium cum illo re-*
» *citat, ne leviter quidem peccat, quia tunc*
» *non communicat, sed tantum obsequium fa-*
» *mulatus sui præstat. Ita probabiliter Croix l.*
» 7. *n.* 211. *cum Suar. et Dic. ex c. Quo-*
» *niam* 11. *q.* 3.) *.

174. Ad majorem intelligentiam advertendum, quod non prohibetur excommunicato usus Sacrarum Imaginum, et Reliquiarum, eas venerando; immo nec usus Aquæ benedictæ; et aliorum Sacramentalium, non quidem ut participet fructum, quem illa producunt ex Benedictione Ecclesiæ, sed tantum ut ea veneretur. *Suar. D.* 12. *Sect.* 3. *n.* 3. *Pal. D.* 2. *p.* 9. *n.* 14. et *Salm. c.* 3. *n.* 67. *cum Henr. et Sayro.* Potest etiam tempore, quo non celebrantur Divina, Ecclesiam ingredi ad orandum privatim, et seorsim ab aliis in distincto Sacello, ut communiter *Suar. n.* 1. *Pal. l. c. Bon. q.* 2. *p.* 3. §. 2. *n.* 8. *et Salm. p.* 3. *n.* 68. *cum Conin. et Cajet.* Qui addit posse etiam in eodem Sacello, ubi alii orant, privatim et ipsum orare, quia, private orando, minime cum aliis communicat. Immo dicunt *Salm. ib. cum Con. Bon. Dian. Turr. Palud. etc.* quod etiam dum Divina celebrantur, non prohibetur excommunicatus ab ingressu Ecclesiæ, ut se libe-

ret a satellitibus; vel ex alia causa, etsi ibi privatim oret; quia tunc nullam habet cum aliis communicationem. Et ideo tunc non tenentur Sacerdotes cessare, nec eum repellere, nec alii a templo discedere.

175. Graviter autem peccaret excommunicatus, qui vellet audire Missam, vel interesse Officiis, et similibus publicis functionibus, ex *c. Illud, de Cler. exc. min.* et ex *c. fin. de Sent. exc.* Et, si monitus a Sacerdote nolit exire, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ex *c. Eos, de Sent. exc.* Sicut illam etiam incurrit interdictus denunciatus, pertinaciter assistens Missæ, et omnes qui impediunt, ne excommunicatus, aut interdictus recedat, ut *Palaus D. 2. p. 9. n. 4. Bon. q. 2. p. 3. §. 1. n. 7. et Salm. c. 3. n. 70. ex c. Gravis de Sent. exc.* Item notandum, quod Sacerdos excommunicatus faciens coram se Missam celebrari, incurrit irregularitatem, *ex c. Tanta, de Excess. Prælatorum.* Vide *Salm. ibid.*

176. Item si excommunicatus sit vitandus, et monitus non velit ab Ecclesia exire, tenentur Clerici eum (etiamsi esset Sacerdos) expellere si possunt; aut si non possunt ab Officiis cessare et alia agere, quæ leguntur apud *Bus.* alias graviter peccant, et excommunicationem minorem incurrunt, ex *c. Is, qui de Sent. exc.* et *Clem. 2. eod. tit.* Sicque pariter dicunt *Bon. q. 2. p. 3. §. 1. n. 9.* et *Salm. c. 3. n. 72.* graviter peccare assistentes eidem Missæ, quam audit excommunicatus, nisi excuset aliqua necessitas, aut parvitas materiæ. Et hoc videtur probabilius, quia in Missa necessario omnes audientes conveniunt in una oblatione. Quamvis *Suar. ap. Salm.* non improbabiliter dicat hanc communicationem adstantium culpam venialem non ex-

cedere; et hoc probabile putant *Pal. D.* 2. *p.* 6. *n.* 5. *et iidem Salm. c.* 3. *n.* 82. et *Sayr. Fill. Henr. Krim.* apud *Croix l.* 7. *num.* 207. quia talis communicatio videtur nimis remota, et accidentalis, nisi illi sint etiam causa ut excommunicatus intersit. Hac tamen ratione non obstante, nullus Auctor hujusmodi assistentes excusat saltem a culpa veniali, et ab excommunicatione minori. Communiter autem docent *Bas. hic*, et *Pal. l. c.* cum *Suar. Sayr. Henr. Fill. Bon.* et *aliis* cum *Salm. c.* 3. *n.* 73. *ac Ronc. q.* 5. quod, si adstantes audiant aliam Missam ab illa, quam audit excommunicatus, tunc nec ipsi, nec celebrans tenentur recedere, quia tunc nulla adest communicatio in eodem divino, et illa assistentia in eodem loco materialiter se habet.

177. » Porro per divina officia intelliguntur » sacrificium Missæ, publica oratio, processio, » cantus horarum, benedictio olei, aquæ, can- » delarum, et cetera annexa ordini clericali, » quæ sollemniter fiunt, excepta concione.* (*Nam* » *audire concionem, sive lectionem Theologiæ,* » *Canonum, etc. nec excommunicato, nec aliis* » *cum ipso prohibetur, cum ibi nulla sit com-* » *municatio, argumento ex c. Responsio. De* » *Sent. exc. Salm. c.* 3. *n.* 73. *Croix lib.* 7. » *n.* 281. *Ipse autem excommunicatus nequit* » *concionari, aut legere, nisi sit toleratus, et* » *ab aliis requiratur; aut nisi ad hoc teneatur* » *ex officio, quia tunc præsumitur ab aliis re-* » *quiri, ut Suar. D.* 12. *s.* 2. *n.* 5. *Pal. D.* » 2. *p.* 9. *n.* 5. *cum Bon. et adhærent Salm.* » *l. c. in fin.*) * in quibus, licet alii fideles » non teneantur vitare toleratum, tenentur ta- » men non toleratum sub mortali vitare * (*ex* » *c. Is qui, de sent. Exc.*) * nisi vel levitas

» materiæ, vel ignorantia, aut simile quid ex-
» cuset. Unde si talis præsens sit, moneri de-
» bet, ut recedat: si nolit, debet extrudi, vel
» exportari, licet sit Sacerdos * (*Ex c. Ve-*
» *nient. de Sent. Exc.*); nisi tamen grave in-
» de timeatur incommodum, ob quod si expelli
» non possit, omittendum est officium, etiam
» die festo; et celebrans nondum inchoato Ca-
» none, debet abrumpere Missam; si inchoavit,
» potest ceteris abeuntibus sacrum prosequi * (*Ut*
» *tenent Suar. et Henr. contra Bon. et Corn.*
» *apud Salm. n.* 71. *in fin. qui merito utrum-*
» *que probabile putant*) * vel abrumpere, ob
» sententiæ utriusque probabilitatem; si conse-
» cravit, debet, solo ministro manente, per-
» gere usque ad communionem inclusive; et
» reliqua perficere in sacristia, vel alio decenti
» loco; * (*ut certum est cum Salm. d. n.* 71.)*.
» Quod si excommunicatus negligat procurare
» absolutionem, eo fine ut non audiat sacrum
» die festo, peccat mortaliter omissione sacri:
» secus si alia de causa negligat, * (*V. d. n.*
» 161.)*.

178. » Quod si etiam obligatus est ad Horas,
» non excusatur ab illis; * (*Ita communiter*
» *Laym. c.* 2. *n.* 7. *Sayr. Cov. Avil. etc. cum*
» *Salm. c.* 3. *n.* 66. *Etiamsi teneatur ad Of-*
» *ficium ex solo titulo Beneficii. Et si fructus*
» *illius Beneficii non recipit, hoc provenit ex*
» *culpa sua; Croix l.* 7. *num.* 324. *cum Pal.*
» *Nav. Laym. et Suar. Salm. n.* 66. *qui no-*
» *tant cum Cov. et Avila, quod si omnino pri-*
» *vetur Beneficio, tunc non tenetur amplius ra-*
» *tione Beneficii recitare*)*. Etsi non debet di-
» cere: *Dominus vobiscum*, sed, *Domine exau-*
» *di*, etc. * (*Si tamen diceret, Dominus vo-*
» *biscum, venialiter tantum peccaret, ut Salm.*

» *c.* 3. *n.* 64. *cum Bon. et Henr. Immo Avila,*
» *et Hurt. apud Pal. D.* 2. *p.* 9. *n.* 8. *et Nav.*
» *apud Salm. l. c. dicunt nullo modo peccare,*
» *quando solus recitat, quia ly* Dominus vobis-
» cum *erit tantum privata oratio pro aliis, sic-*
» *ut quando dicit in Invitatorio:* Venite ado-
» remus) *. Si autem Horas cum alio privatim
» legat, venialiter tantum videtur peccare.
» * (*Quamvis enim in c. Excommunicatos* 11.
» *q.* 3. *interdicitur excommunicato communicare*
» *cum aliis, etiam in oratione privata; at se-*
» *cluso scandalo et contemtu, non videtur ma-*
» *teria gravis uti socio ad recitandum Officium*
» *privatim, sicut ad dicendum Rosarium. Ita*
» *probabiliter Torn. t.* 2. *p.* 482. *Bon. q.* 2.
» *p.* 3. §. 2. *n.* 4. *et Con. Dian. Cov. Corn.*
» *Ugol. apud Salm. c.* 3. *n.* 63. *Si autem sit*
» *toleratus, nullo modo peccat, si recitet cum*
» *alio, ab eo requisitus; juxta dicta n.* 138.
» *v. Utrum*) *.

179. » V. Collatio Beneficii facta excommu-
» nicato nulla est, uti et præsentatio, vel ele-
» ctio, institutio, et confirmatio. Ratio, quia
» excommunicatus, etiam toleratus, non potest
» communicare in officio, proindeque incapax
» est Beneficii, quod datur propter officium. Id-
» que, licet ignoretur excommunicatio, quia
» ignorantia vincibilis, etsi excuset a culpa,
» non tamen supplet defectum conditionis requi-
» sitæ ad valorem actus: *Vid. Less. l.* 2. *c.*
» 14. *d.* 21. Immo probabile est, excommuni-
» catum, quamvis Beneficio ante obtento non
» privetur, fructus tamen, et distributiones non
» facere suas, ideoque eas teneri restituere et-
» iam ante sententiam judicis, quia est priva-
» tus officio; fructus autem datur propter offi-
» cium, velut merces propter opus. Ita *Suarez*,

» et alii contra *Sanch.*, et *Con.* qui probabi-
» liter putant, ex consuetudine non teneri ante
» sententiam, modo per se, vel alium inserviat
» Beneficio.

180. Plura hic notanda, et examinanda. Equidem nulla est omnis Beneficii collatio, electio, etc. facta in favorem excommunicati, ex *c. Postulastis, De Cler. exc. min.* Hinc notandum I. quod tunc non solum recipientes, sed etiam conferentes, etc. peccant graviter, et incurrunt, ultra excommunicationem minorem, etiam suspensionem a collatione, ex *cit. c.* Vide *Salm. cap.* 3. *n.* 96. *et* 97. Valida tamen est collatio, si Papa scienter conferat Beneficium excommunicato: vel si in concessione Pontificis adsit clausula absolutionis a censura ad effectum valide consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim, quæ non comprehenditur sub generali absolutione; *Salm. n.* 98.

Notandum II. Quod idem quod dictum est de Beneficiis, dicitur de collatione, et receptione Dignitatum Ecclesiasticarum habentium jurisdictionem, prout Episcopatus, Prioratus, et similis; ita communiter *Suar. D.* 13. *sect.* 1. *n.* 6. *Bon. q.* 2. *p.* 4. §. 1. *n.* 3. *Pal. p.* 10. *n.* 9. *et Salm. c.* 3. *n.* 102. An autem idem procedat quoad Dignitates sæculares? Affirmant *Salm. n.* 103. *cum Bon. Cornejo, Henr. Garcia, Ugol. etc.* quia excommunicati invalide exercent actus jurisdictionis. Negant vero *Pal. D.* 2. *p.* 10. *n.* 11. *ac Con. Fill. Giball. et Hurt. apud Salm. ib.* (qui recte probabile vocant). Ratio, quia nullum habetur expressum jus de facto irritans collationem hujusmodi Dignitatum. Nec obstat, quod acta Judicis excommunicati sint nulla, prout probabilius docent *Suar. D.* 16. *s.* 1. *n.* 2. *Dian. p.* 5. *tr.* 9.

R. 108. *Salm. c.* 3. *num.* 121. *cum Con. et Hurt.* ac ipse *Pal. D.* 2. *p.* 14. §. 2. *n.* 2. *cum Innoc. Panorm. Vasq. Laym. Bon. etc.* eo quod consuetudine jam receptum est, annullationem actorum pro Judice Ecclesiastico præscriptam in *c. Cum audimus* 24. *q.* 1. *et in c. Tanta. De Excess. Prælat.* extendi etiam ad Judicem sæcularem. Nam respondetur quod licet excommunicatus impediatur a suo Officio externo, hoc tamen non efficit ut officii collatio sit nulla, post enim absolutionem valide et licite poterit talis Judex suo munere fungi.

Notandum III. Idem quod de Beneficio, dicendum esse de pensione Clerici, quæ datur in titulum Beneficii ob ministerium Ecclesiasticum; et de pensione Ecclesiastica, licet temporali, quæ datur ob Officium Ecclesiasticum prout Vicario, aut Coadjutori Episcopi; ita *Salm. c.* 3. *n.* 107. cum *Pal. Suar.* et *comm.* Secus autem, si pensio sit mere laicalis, vel etiamsi mixta (juxta dicta apud *Bus. l.* 4. *n.* 137.), ut probabiliter *Pal. Avil. Laym. Sa*, etc. cum *Salm. c.* 3. *n.* 108. Notandum IV. quod, si quis ante excommunicationem fuisset præsentatus, vel electus ad Beneficium, valide acceptat, et possessionem obtinet, etiamsi tempore acceptationis sit excommunicatus, quia acceptatio, seu possessio non sunt actus jurisdictionis, sed privati; ita *Pal. p.* 10. *n.* 18. *Bon.* §. 1. *n.* 6. *Cov. Avil.* etc. *cum Salm. c.* 3. *n.* 110. (contra *Suar. apud Tourn. p.* 485. *q.* 2. qui sententiam *Suarii* vocat æque probabilem). Secus dicendum, si is erat excommunicatus tempore collationis, licet postea tempore acceptationis absolutus sit: est commune, vide *Salm. ib. n.* 111. Quare requiritur tunc nova collatio, quamvis probabile putent *Salm. ibid.* cum *Less. Bon. Nav. Henr.*

sufficere, quod collator sciens in prima voluntate perseveret. Notandum V. Quod excommunicatus Beneficium recipiens non potest facere suos fructus perceptos tempore excommunicationis; etiamsi postea absolvatur, et rite Beneficium reobtineat. Attamen eo casu, si pro illo tempore per se, vel alios satisfecerit officio annexo, potest fructus retinere; quia fructus Beneficii vacantis, ubi non est usus *Spolii*, spectant ad successorem, ut dicunt *Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 4. §. 1. *n.* 5. *et Salm. c.* 3. *n.* 101. *cum Con. Alier. Henr. Diana*, *et Leand.* Ubi autem est lex *Spolii*, recte ait *Pal. D.* 2. *p.* 11. *n.* 1. *cum Nav. Henr. Con. et Avila*, posse tantum retinere fructus correspondentes servitio præstito. Immo probabiliter dicunt *Suar. D.* 13. *sect.* 1. *n.* 3. *Tourn. p.* 486. *v. Hic*, *Diana p.* 3. *tr.* 9. *R.* 89. *et Salm. c.* 3. *num.* 100. *cum Con. et Cornejo*, quod si ille bona fide Beneficium recepit, et servitium præstitit, tunc licet teneatur Beneficium dimittere, potest tamen retinere, aut exigere fructus suæ congruæ sustentationis correspondentes pro tempore servitii præstiti; quia reipsa Ecclesiæ inservivit, et ratione illius operis dignus est congrua sustentatione.

181. Sed quæritur I. An excommunicatus etiam toleratus sit inhabilis ad Beneficia, Officia, etc.? Negant *Giball. Nav. Dian. Hurt.* et probabile vocat *Less.* apud *Salm. cap.* 3. *n.* 104. quia Concilium Constantiense, concedens fidelibus cum excommunicato tolerato communicare, consequenter concedit excommunicato Beneficium recipere. Verius tamen affirmant *Pal. q.* 10. *n.* 3. *Suar. d.* 13. *s.* 1. *n.* 29. *Tourn. t.* 2. *p.* 484. *Qu.* 5. item *Avil. Con. etc. cum Salm. n.* 105. Ratio, quia, etsi concessum sit aliis cum tolerato communicare, excommunicatus tamen

non potest officia præstare; quare collatio semper fit indigno. Exciperem, si in aliquo casu officia præstanda essent in commodum conferentium Beneficium petentium illius communicationem in prædictis officiis. Hinc licet in *c. Postulastis*. De *Cler. exc.* lata sit suspensio contra conferentes Beneficium excommunicato, tamen recte dicunt *Salm. n.* 106. hanc suspensionem sublatam fuisse ex Concilio Constantiensi.

182 Quæritur II. An valida sit collatio Beneficii facta alicui inculpabiliter ignoranti, se esse excommunicatum, vel non esse ab excommunicatione absolutum? Negant communius *Palaus n.* 4. *Less. l.* 2. *c.* 34. *n.* 117. *et Sanch. Cons. l.* 2. *c.* 2. *d.* 10. *n.* 6. *Suarez D.* 13. et alii *cum Salm. c.* 3. *num.* 99. Ratio, quia ignorantia excusat quidem a culpa, sed non tollit inhabilitatem. Dicunt tamen *Less. et Salm. ll. cc.* probabilem esse sententiam *Dianæ*, *et Baunii* cum *Fabro*, quod collatio tunc satis sit valida, quia Collator ad cautelam solet absolvere a censuris, dum alicui de beneficio providet, ad effectum scil. tantum præsentis collationis consequendum. Idque revera est satis probabile cum *Cabass. T. I. l.* 5. *c.* 11. *n.* 11.

183. Quæritur III. An qui est excommunicatus post Beneficium obtentum, privetur fructibus ante sententiam Judicis, etiamsi per se aut per alium officium præstet? Affirmant *Conc. p.* 462. *n.* 29. *cum Suar. Fill. etc.* Sed probabilius negant *Palaus*, *Sanch.*, *Laym. Tourn-Salm. et* quos retulimus *l.* 3. *n.* 676. Post sententiam vero excommunicatus restituere quidem tenetur omnes fructus, donec absolvatur, etiamsi per se non stet, quominus absolvatur. Nisi esset pauper, quo casu sibi fructus tamquam pauperi applicare posset; ita *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.*

2. *c.* 2. *n.* 10. *Pal. Dub.* 2. *p.* 11. *n.* 6. *et Salm. c.* 3. *n.* 117. cum *Avila*, *Sylv. Cornejo*, *etc.*

184. » VI. Privat communicatione forensi. » Unde excommunicatus nequit esse Judex, » Advocatus, Procurator; licet pro semetipso » respondere possit ipse. *Coninck. Præpos. Dian.* » *p.* 5. *t.* 9. *Res.* 111. * (*Et etiam Acto-* » *rem reconvenire; et hoc, etiamsi per alium* » *commode possit se tueri, ut Coninck. Pal.* » *Suar. etc. contra alios apud Salm. c.* 3. *n.* » 125.)*. Item Actor, Tabellio, Testis, etc. » ita ut contra excommunicatum, etiam tole- » ratum, semper possit reus excipere. * (*Ita* » *ex c. Veniens, de Testib. c. Pia, de Ex-* » *cept. in* 6. et *c. Nullus* 3. *q.* 4. *Quamvis is* » *Actor excommunicatus valide agat, donec re-* » *pellatur, ut ex d. c. Pia. Dicunt tamen Dian.* » *et Lez. apud Salm. c.* 3. *n.* 118. *non peccare* » *graviter Actorem, qui juste petit suum, si* » *non repellitur. Toleratus vero licite tuetur se,* » *et alios in judicio, ut Pal. punct.* 14. *n.* 14. » *Salm. cum Avil. Vitandus tamen non potest* » *alios in judicio defendere; quamvis, si faciat* » *et stipendium recipiat, non teneatur illud re-* » *stituere: Nav. Av. Lez. Salm. ibid. Exceptio* » *autem opponi potest etiam post sententiam ante* » *ejus executionem, Salm. n.* 119. *ex d. c.* » *Pia*)*. Quod si non faciat, nec Judex eum » repellat, valida ejus acta erunt, si sit tole- » ratus. Secus est de Judice non tolerato, cum » sit privatus jurisdictione. * (*Hoc recte pu-* » *tant esse probabilius Salm. c.* 3. *n.* 121. *ju-* » *xta dicta supra n.* 180. *ad Not. II. Testis* » *pariter vitandus valide testatur, si non repel-* » *litur; toleratus autem valide, et licite, si ab* » *una partium requiritur; Salm. n.* 123 *cum*

» *Avil. et Pal.*) *. Vide *Lay. c.* 2. *Dian. p.* » 5. *t.* 9. *Resp.* 112. *et* 113. Non potest et- » iam esse Tutor, aut Curator. *Dian. p.* 5. *t.* » 9. *Resp.* 115. *ex Sylv.* Neque testamenti » executor. *Dian p.* 8. *t.* 9. *Resp.* 2. *ex Carp.* » etc. contra *Sanch. Lugo.*, etc. si tamen non » fiat oppositio, valide exequitur, *ib.* Nec pot- » est ipse testari licite, etsi faciat valide, etiam » cum excommunicatum instituit hæredem. *Suar.* » *Villal. Merc.* etc. cum *Dian. l. c. Res.* 129. » Denique contractus omnes ab eo facti (etsi » sint illiciti, et ratione eorum non detur actio » in foro externo) durante executione, valent » nisi fiant ab eo, ut persona publica, vel » ministro ratione muneris, et Beneficii, quia » tunc spectant ad jurisdictionem, quæ suspensa » est. *Dian. p.* 5. *t.* 9. *R.* 128. *ex Con. Fill.* » *Merc.* etc.

185. » VII. Excommunicatus non toleratus » privatur usu jurisdictionis. Unde non potest » valide eligere, conferre, præsentare, ferre » leges, vel sententiam; et qui sic Beneficium » a non tolerato accepit, dicendus est intru- » sus, ac proindeque tenetur, sine alia juris » declaratione, beneficium una cum fructibus » relinquere. * (*Ita communiter Salm. c.* 3. » *n.* 121.) *.

» Dixi, *non toleratus*, quia acta tolerati pro- » babile est esse valida ob bonum commune; » graviter tamen peccat, si absque necessitate » talia exerceat. * (*Et hoc certum est cum* » *Salm. d. n.* 121. *quod Judicem Ecclesiasti-* » *cum in c. Tanta de Exc. Prælat.*) *.

186. » VIII. Non toleratus privatur Eccle- » siastica sepultura, ita ut non possit in loco » sacro, seu benedicto sepeliri; et si contra- » rium fiat, ac corpora discerni possint, debet

*

» exhumari, nec in eo loco divina peragi ante
» reconciliationem.

Ita ex *c. Sacris. De Sepult.* Polluta autem Ecclesia, manet pollutum et cœmeterium, sed non contra, ex *c. Consuluisti de Cons. Eccl. in* 6. Si vero excommunicatus decessit cum signis pœnitentiæ, non est exhumandus, sed absolvendus, petita absolutione ab hærede; *Salm. c.* 3. *n.* 70. *cum Pal. et Corn.* Peccant graviter comitantes vitandum ad sepulturam, Clerici canentes etc. Vide *Salm. ib.* Sepelientes autem illum incurrunt excommunicationem majorem, ex *Clement.* 1. *De Sepult.* Per *sepelientes* autem non intelliguntur comitantes, canentes, etc. An autem intelligantur procurantes sepeliri? Affirmant *Salm. c.* 3. *n.* 82. *Pal. Cop. Suar.* Sed negant *Caj. Con. Avil. Henr. etc. ib. n.* 81. Recte dicunt *Salm. n.* 80. *in fin.* utramque esse probabilem.

187. » Dixi *non toleratus:* quia Ecclesia non
» polluitur, etsi hæreticus non speciatim denun-
» ciatus in ea sepeliatur, ut docent *Suar. Laym.*
» et alii. * (*Hinc tolerati licite sepeliuntur in*
» *loco sacro, si cum signis pœnitentiæ a vita*
» *migraverint; Palaus q.* 6. *n.* 12. *Salm. c.*
» 3. *n.* 75. *Nav. Con. Sayr.*) *. Jure nihilo-
» minus id prohibent Episcopi in Germania,
» eo quod inter ceteras pœnas non communi-
» cantium in Pasch., etiam statuatur privatio
» sepulturæ Ecclesiasticæ.

188. » Excommunicatus privatur omni alia
» civili communicatione fidelium, ita ut ipse
» non possit cum aliis, et, si non sit toleratus
» etiam alii cum ipso non possint communicare;
» idque in casibus hoc versu comprehensis:
» I. *Os*, II. *Orare*, III. *Vale*, IV. *Com-*
» *munio*, V. *Mensa negatur.*

Ista eruuntur ex iis quæ declaravit Callixtus Papa in *c. Excommunicatos*, 11. *Qu.* 3. ubi dixit: *Nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet; nec ave eis dicat quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, et ipse simili excommunicationi subjacebit.* Non autem hic illud *simili* importat æqualitatem (scil. excommunicationem majorem), sed tantum similitudinem, prout excommunicatio minor similis est majori.

189. » Dicitur I. *Os*, per quod intelligitur » osculum, et omne colloquium, etiam privatum; item per nutus, litteras, internuncium, » et quodvis signum benevolentiæ. * (*Ut missio vel acceptatio munerum; Salm. c.* 3. *n.* » 135. *cum Bon. Avila, Reg. etc.*) *.

190. » Dicitur II. *Orare*, id est omnis communicatio in divinis, de qua supra. * (*Vide dicta n.* 173.) *.

191. » Dicitur III. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem (saltem honorificam » verbo, vel signo, vel amplexu, secundum » quosdam, etiam resalutationem, eo quod sit » actus observantiæ; sed contrarium videtur » verius, quia est solutio debiti. Immo *Sayr.* etc. » cum *Dian. t.* 5. *p.* 9. *Res.* 16. putant probabile, quod sola verbalis salutatio sit prohibita, non autem alia signa, v. gr. aperiendo caput, etc. quæ urbanitatis causa fieri » solent.

192. Dubitatur igitur 1. an liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. gr. adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, sine tamen ulla expressione verborum? *Prima* sententia valde probabilis negat; et hanc tenent *Suar. D.* 15. *s.* 1. *n.* 3. *Pal. D.* 2. *p.* 17.

n. 4. *cum Laym. Salm. c.* 3. *n.* 136. *cum Hurt. Escob. lib.* 50. *n.* 254. *cum Vas. et Sylvest. ac Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 4. *cum Henr. Ugol. et Reg.* Ratio quia hujusmodi actus reverentiæ, esto solis nutibus fiant, et sine animo honorandi, sunt tamen quædam communicatio, et vera signa amicitiæ ac salutationis. *Secunda* vero sententia affirmat, modo absit animus salutandi; hanc tenent *S. Anton.* 3. *p. tit.* 25. *c.* 2. *in princ. cum Guil. Nav. c.* 27. *n.* 20. *cum Major. et Ang. Fill. tr.* 13. *n.* 85. *Spor. Suppl. p.* 134. *n.* 97. item *Sotus*, *Avila*, *Graff. et Sayr. apud Pal.* Ratio, tum quia tales actus non exhibentur ut signa amicitiæ, aut communicationis, sed ut vitetur nota inurbanitatis; tum quia, esto hujusmodi actus involvant quamdam salutationem, talis tamen salutatio videtur consuetudine introducta ut necessaria, non quidem ad honorandum excommunicatum, sed ne ille contemnatur. Hanc autem secundam sententiam merito vocant probabilem ipsi fautores primæ sententiæ, nempe *Bon. Pal. Salm. et Escob.* Maxime (ut ajunt *Croix l.* 7. *n.* 277. *Mazz. t.* 4. *p.* 316. *Bon. cum Suar. l. c. et Renzi t.* 1. *p.* 542. *q.* 4. *cum Laym. et Pelliz.*) si excommunicatus sit Superior, vel persona publica, uti Episcopus, Prætor, etc. quia tunc prædicta signa potius exhibentur ad vitandum damnum, vel indignationem illius.

193. Dubitatur 2. an liceat excommunicatum resalutare? Affirmant *Busemb.* ut supra, *ac Fill. tract.* 13. *c.* 5. *q.* 3. *num.* 84. *Henr. et Krimer apud Croix l.* 7. *n.* 277. et probabile putat *Pal. D.* 2. *p.* 17. *n.* 4. quia, ut ajunt, resalutatio illa non est exhibitio honoris, sed debiti solutio, quæ non videtur ab Ecclesia ve-

tari. Sed probabilius negant *Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 4. *Holz. p.* 382. *num.* 197. *et Salm. c.* 3. *n.* 136. *cum Avila.* Ratio, quia, cum vetitum sit salutare excommunicatum, ille non habet jus, ut resalutetur, eò quod in pœnam sui criminis est illo privatus. Et sic pariter probabilius dicunt *Bon. l. c. Croix d. n.* 277. *Viva de cens. q.* 3. *ar.* 2. *n.* 9. *Salm. c.* 3. *n.* 136. *cum Avila, et Renzi p.* 541. *q.* 2. *cum Pelliz.* (contra *Sa, et Henr. apud Vivam l. c.* quorum opinionem probabilem putat *Mazz. t.* 4. *p.* 316.) neque esse licitum excommunicato rescribere. Ratio est eadem, ut supra, quia, cum prohibitum sit communicare cum excommunicato, ille non habet jus, ut ei rescribatur. Ceterum quoad resalutationem non audeo primam sententiam dicere improbabilem, quia licet excommunicatus non habeat jus, ut resalutetur, tamen resalutatio illa non videtur proprie actus honoris, et contra negatio illius videtur quidam actus contemtus, vel saltem inurbanitatis. Quoad rescriptionem vero non valeo acquiescere sententiæ appositæ, quia rescriptio videtur vera communicatio.

Qui autem excommunicatum injuriis afficeret, vel ei diceret, *Deus te illuminet, convertat, etc.* nullam quidem censuram incurrit; ita communiter *S. Anton. p.* 3. *tit.* 25. *c.* 2. *in princ. Salm. c.* 3. *n.* 136. et *Croix l.* 7. *num.* 276. et 277.

194. » Dicitur IV. *Communio*, quæ com-
» prehendit omnem contractum: qui tamen va-
» lidus est, si fiat * (*Ita Salm. c.* 3. *n.* 138.
» *cum Pal. Con. Av.* (*contra aliquos*), *ex*
» *c.* 32. *de Sent. Exc. etc. illicitum autem est*
» *excommunicato testari, licet testamentum sit*
» *validum, nisi ille sit usurarius V. Salm. c.*

» 3. *n.* 139.) * item cohabitationem, coope-
» rationem, societatem, v. gr. in contractibus,
» ita ut moraliter censeatur communicare; quod
» prudens æstimabit: unde nec iter cum eo,
» tantum cum socio, facere licet. * (*Nec licet*
» *cum eo collaborare, sedere, sub eodem tecto*
» *vivere, dormire: intellige per modum socie-*
» *tatis; nam alias cubare tantum ad quiescen-*
» *dum, etiam in eodem lecto, non vetatur, ita*
» *probabiliter Suar. D.* 15. *sect.* 2. *n.* 8.
» *Bon. part.* 6. §. 2. *n.* 8. *Pal. D.* 2. *p.*
» 17. *n.* 5. *et Salm. c.* 3. *n.* 137.) *.

195. » Dicitur V. *Mensa*, per quam intel-
» ligitur omnis convictus, et convivia, per mo-
» dum societatis, et commercii; qualis non est,
» si casu incidas in idem hospitium, iter, men-
» sam, immo lectum. V. *Bon. dist.* 2. *q.* 2. *p.*
» 6. §. 1. *et* 2.

Non licet igitur communicare cum excommunicato in eadem mensa formaliter; idque accidit quando excommunicatus invitat alterum ad cœnam; aut quando aliquis vitam communem agit cum excommunicato, esto non vescatur eisdem cibis, ut evenire solet in Monasteriis, et Seminariis, in quibus tametsi diversæ sint mensæ in eodem Refectorio, nihilominus omnes censentur communicare in eadem mensa et refectione. Idem est quando multi invitantur ab excommunicato, et in eodem cubiculo accumbunt, licet in diversis mensis; secus si accumbant in mensis valde disjunctis, seu dispositis in diversis cubiculis; ita *Suar. D.* 15. *sect.* 2. *n.* 6. *Salm. c.* 3. *n.* 140. *et Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 6. *cum Henr. Avil. Sayr. Fill. Reg. et Ugol.* Secus etiam, si quis ederet cum excommunicato in diversorio, adhuc in eadem mensa, ubi tamen unusquisque sibi intendit, ut

Suar. Salm. et Bon. ll. cc. cum Sayr. et aliis. Item secus, si quis casu conveniat cum excommunicato in eadem domo, itinere, vel mensa; *Holz. p.* 382. *n.* 197. *Spor. Suppl. c.* 3. *n.* 97. *et Pal. D.* 2. *p.* 17. *num.* 5. *cum Suar. Laym. Sayr. et Hurt.*

196. » Quæres 1. Quale peccatum sit commu-
» nicare cum excommunicato non tolerato?
» Resp. Communicatio in divinis censetur mor-
» tale propter gravitatem materiæ; in civilibus
» autem (etsi inducat minorem excommunica-
» tionem), secluso tamen contemtu, tantum
» est veniale regulariter. *Suar. Bon.* etc. *Dian.*
» *p.* 7. *t.* 11. *R.* 47. * (*Ita etiam S. Thom.*
» 3. *p. q.* 23. *n.* 3. *Salm. c.* 3. *n.* 7. *et n.*
» 127. *cum Lez. Suar. et comm.*) *. Quod ad-
» do, quia aliquando est mortale, ut si quis
» cum excommunicato communicet in eodem
» crimine, v. g. si quis concubinam excommu-
» nicatam cognoscat.

197. Distinguendum inter peccatum, et pœnam communicationis cum vitando. Quoad peccatum in duobus casibus communicans certe peccat graviter. I. Si communicat cum eo in divinis, nisi excuset parvitas materiæ, juxta dicta *n.* 173. *et* 176. II. Si communicat in crimine criminoso, idest in eodem crimine, sive contumacia, ob quam lata est excommunicatio, v. g. si quis suam concubinam excommunicatam post excommunicationem iterum cognoscat, ut habetur ex *c. Concubinæ, De Sentent. excomm.* Vel si quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum, etc. impendit ei auxilium, aut consilium, ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione; ita *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. 1. *n.* 8. *Suar. D.* 15. *s.* 7. *n.* 4. *et Salm. t.* 3. *n.* 133. *ex c. Nuper.*

198. Dubitatur autem, an sit mortale frequenter communicare in civilibus cum vitando? Adest duplex probabilis sententia. Negant *Nav. c.* 27. *n.* 30. *Pal. q.* 18. *n.* 3. *ac Sayr. Avila*, *Henr. Reg. Dian. Leand.* etc. apud *Salm. c.* 3. *n.* 128. Quia communicatio in civilibus de se est tantum veniale: veniale autem per quamcumque multiplicationem non fit mortale. Tunc autem dicunt *Nav. et Pal. cum Sayr. et Avila ll. cc.* frequentem communicationem esse mortalem, quando ex ipsa communicatione crederet communicans excommunicatum sumere occasionem in sua contumacia perseverandi. Affirmant vero probabilius *Suar. D.* 15. *s.* 2. *n.* 11. *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. 1. *n.* 6. *Holzm. p.* 382. *Sporer Suppl. p.* 134. *n.* 99. *et Salm. c.* 3. *n.* 129. *cum Vill. Con. et Fill.* Ratio, quia communicatio etiam civilis cum excommunicato vitando de se videtur materia gravis, quod maxime probatur ex *cap. Excommunicatos.* 11. *q.* 3. ubi (ut diximus *n.* 188.) Callixtus Papa æque prohibet communicationem in Divinis, quam in humanis. Item probatur ex *cap. Exceptionem.* 7. *de Except.* ubi communicans civiliter cum excommunicato dicitur, *in periculum Animæ suæ communicare;* periculum autem Animæ utique importat periculum damnationis, quod nonnisi per culpam mortalem incurritur. Communicatio igitur etiam civilis tantum ex parvitate materiæ potest esse venialis; ergo si actus multiplicantur, et conjunguntur, erit mortalis. Advertunt vero *Tour. t.* 2. *p.* 489. *v. Dico* 1. *ac Suar. Holz. Spor. et Salm. cum Con. ll. cc.* ad peccandum graviter non sufficere, si quis frequenter etiam per longum tempus sejunctim communicet cum excommunicato, sed requiri quod tales communicationes

sint connexæ saltem per modum unius objecti voliti, nempe cum quis habet propositum formale, aut virtuale seu quasi ex habitu, sæpius communicandi longo tempore cum excommunicato, vel adsciscat eum sibi in socium, aut famulum.

199. Quoad pœnam vero, communicans cum vitando sive in humanis, sive in Divinis, incurrit tantum excommunicationem minorem. In tribus autem casibus incurrit etiam majorem. I. Quando Clericus scienter communicat in Divinis cum excommunicato a Papa nominatim, et denunciato, ex *c. Significavit de Sent. exc.* Vide *Salm. c.* 3. *n.* 131. *cum comm.* II. Quando excommunicatio est lata contra aliquem, et simul contra participantes; tunc enim qui communicat cum illo (post monitionem tamen), incurrit excommunicationem majorem, et non potest absolvi, nisi ab eo qui absolvere potest principalem, ita *S. Th. Suppl. q.* 23. *ar.* 3. *Pal. p.* 18. *n.* 6. *et Salm. n.* 131. *cum Avila*, *Hurt.*, etc. III. Quando quis scienter communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoso, juxta mox dicta *n.* 197.; et hic absolvendus tantum a quo principalis absolvi potest, ex *c. Nuper*, *de Sent. exc.* Ita *Salm. ex n.* 133. cum *aliis*. Addunt autem *ibidem* etiam Episcopum excommunicantem, excommunicationem majorem incurrere, si communicet in crimine criminoso.

200. Quæres 2. an aliquando liceat cum non tolerato communicare?

» Resp. quod sic, extra Divina, in his quin-
» que casibus; * (*Qui habentur c. Quoniam*
» *multos*, *Can.* 11. *q.* 3. *et in sequenti versi-*
» *culo continentur:*

» I. Utile, II. Lex, III Humile, IV. Res
» ignorata, V. Necesse) *.

201. » I. *Utile* intelligitur in casu utilitatis » ipsius excommunicati, v. g. ut convertatur; » sive alterius, ut ab excommunicato consilium » petat; quod ab alio habere non potest; sive » etiam utilitatis temporalis, v. g. ut ab eo re- » stitutio, vel debitum ex contractu exigatur. » Contractus tamen novos cum ipso inire non » licet, etsi, si ineantur, sint validi, cum nul- » la sit lex irritans.

Licet igitur ob bonum spirituale excommunicatum monere verbis, vel litteris, et ideo ante, vel postea, alia verba inserere, ex *c. Cum voluntate, de Sent. excom.* ac signa benevolentiæ ostendere *Sot. Bon. Av. Salm. c.* 3. *n.* 142. Licet etiam concionem coram eo facere? An autem liceat in Theologia eum instruere? Negant *Con. Avil. etc.* Sed affirmant *Salm. c.* 3. *n.* 143. *cum Sot. et Sayr.* quia in hoc jam est utilitas spiritualis excommunicati. Ob bonum autem sive spirituale, sive temporale aliorum, licet ab excommunicato concionem audire, consilium petere, si desit alius æque idoneus; *Salm. d. n.* 134. *cum Con. et Bon.* Licet etiam societatem prius initam cum eo continuare; item ab eo medicinas, vel eleemosynam petere; ita *Palaus p.* 19. *n.* 2. *Suar. D.* 15. *s.* 4. *n.* 8. *p.* 6. §. 2. *n.* 10. *et Salm. c.* 3. *n.* 194. *cum Con. et Avila.*

202. » II. *Lex*, idest in casu legis matri- » monialis: quomodo uxori licet communicare » cum marito, et contra, nisi factum sit divor- » tium. *Dian. p.* 5. *t.* 8. *R.* 122. non tamen » sponso de futuro cum sponsa, *l. c. R.* 126. » *ex Sayr. Sanch.* et *Fill.*

Tam igitur excommunicato, quam ejus Conjugi, licet petere, et reddere debitum, ut periculum incontinentiæ vitetur, et in aliis omnibus mutuo conversari: ita *D. Th. in* 4. *D.* 18.

q. 2. *art.* 4. *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 18. *et Salm. c.* 3. *n.* 147. *cum Suar. Sanch. et Pal.* ex *c. Inter alia.* 31. *de Sent. exc.* ubi permittitur tam Conjugibus, quam filiis, famulis, etc. communicare cum excommunicato, ut debitum ei obsequium præstent. In tribus autem casibus nequeunt tales Conjuges inter se communicare. 1. Quando ipsi sunt jam per divortium separati, ut cum *Busemb.* ut supra, dicunt *Bon. n.* 21. *Salm. n.* 148. et alii communiter. 2. Quando excommunicatio lata est propter dubium valoris Matrimonii, ut *Tourn. t.* 2. *p.* 512. *Holzm. t.* 1. *p.* 383. *n.* 202. *et Bon. ac Salm. ll. cc.* 3. Quando alter Conjugum est ob hæresim excommunicatus, ex *c. Decrevit, de Hæret. in* 6. vide *Salm. l. c.*

Dubitatur autem 1. An quis possit communicare etiam in Divinis cum Conjuge excommunicato? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Salm. c.* 3. *n.* 143. *et* 154. *ac Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 14. *n.* 5. *cum Nav. et Henr.* Et probant ex *c. Quoniam*, ut supra, 11. *q.* 3. ubi generaliter Gregorius VII. videtur eximere Conjuges (sicut etiam filios, famulos, etc.) ab anathemate, si communicent cum excommunicato in iis, in quibus sunt soliti communicare. *Secunda* tamen verior sententia negat, et hanc tenent *Con. q.* 2. *p.* 6. § 2. *n.* 22. *Conc. p.* 464. *n.* 36. *et Cajet. ac Armill. apud Sanch. l. c.* Ratio, quia in *c. Inter alia* 31. *de Sent. exc.* Innoc. III. declarans præfatum textum Gregorii dicit uxores, et alios ut supra tunc tantum posse, immo et teneri cum excommunicato communicare, quando id est necessarium ad præstandum obsequium ei debitum; uxori autem, ut præstet debitum obsequium viro, minime est necessarium, quod cum eo communicet in Divinis.

Dubitatur 2. An Conjux qui scienter nupsit cum excommunicato, possit deinde cum ipso communicare? *Prima* sententia valde probabilis, et communior negat, eamque tenent *D. Th. Suppl. q.* 23. *ar.* 1. *Suar. D.* 15. *s.* 4. *n.* 36. *Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 15. *et Salm. c.* 3. *n.* 152. *cum Con. Ang. et Sayr. Tourn. t.* 2. *p.* 512. *Conc. p.* 464. *n.* 36. item *Fill. Cornejo*, *Gordon. etc. apud Boss. de Usu Matr. c.* 1. *n.* 286. Probatur ex dicto *c. Inter alia*, 31. *de Sent. exc.* ubi dicitur concedi facultas uxoribus, et aliis personis subjectis communicandi cum excommunicatis, eodem modo quo possent, et tenerentur ante excommunicationem; ergo, si subjecto contrahitur post excommunicationem, non datur ipsis licentia communicandi. Id probatur etiam ratione, quia subjectio illa fuit inique contracta, et inique acquisita, unde non debent eximi ab onere censuræ qui contra eam deliquerunt.

Secunda vero sententia affirmat, et hanc tenent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 14. *n.* 3. *Bon. D.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 18. *cum Ugol. et Alter. ac Boss. l. c. n.* 288. *cum Con. Turrian. Diana*, *et Villal.* et merito probabile vocant *Palaus*, *et Salm. ll. cc.* Ratio, quia in *c. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. Gregorius indistincte, et absque ulla restrictione concedit personis subjectis facultatem communicandi cum excommunicato. Nec obstat textus oppositus in dicto *c. Inter alia*, ex eo enim quod ibi dicitur, nempe subjectos teneri ad præstandum obsequium excommunicato eodem modo ac ante excommunicationem, minime evincitur non posse communicare, qui tempore excommunicationis subjectionem contraxerunt; immo in tantum ibi dicuntur subjecti teneri communicare, quia obli-

gatio contracta præstandi debitum obsequium non eliditur ob excommunicationem supervenientem; unde sicut obligatio illa non cessat ob excommunicationem supervenientem, ita nec ob antecedentem. Neque obstat, quod nemo potest se obligare ad illicitum, prout est communicare cum excommunicato, nam hoc curret quando quis directe se obligaret ad communicandum, non vero quando indirecte se obligat ratione contractus; Unde quamvis illicite subjectio fuerit contracta, cum tamen contractus fuerit validus (prout certum est esse validum Matrimonium cum excommunicato), ex eo bene oritur et viget obligatio debitum obsequium præstandi. Et quod hic dicitur de Conjugibus, idem dicunt præfati AA. de filiis, et famulis.

203. » III. *Humile*, idest in casu subjectio-
» nis; quo modo possunt filii etiam emancipa-
» ti. * (*Ut probabiliter dicunt Suar. D.* 15.
» *sess.* 5. *n.* 3. *Bon. p.* 6. §. 2. *n.* 29. *et*
» 33. *Pal. p.* 19. *n.* 10. *et Salm. c.* 3. *n.*
» 149. *cum Cornejo, et Sayr. contra Soto,*
» *Nav. etc. ib.*) * addit *Dian. p.* 5. *t.* 9. *R.*
» 118. *et* 119. *ex Con. Fill. Hur.* etc. etiam
» adoptivi, immo etiam nepotes, pronepotes,
» et in eodem genere affines * (*Ut nurus, pri-*
» *vigna, etc. Salm. cap.* 3. *num.* 149. *cum*
» *Suar. Pal. Bonacina etc.*) * communicare
» parenti, servi, et ancillæ domino, si ante
» excommunicationem fuerint in servitio. Simi-
» liter religiosi Prælato: non tamen, nisi quoad
» eam communicationem, quæ ab habitantibus
» in eadem familia evitari non potest. *Dian.*
» *l. c. R.* 117. contra *Sotum.* V. *Fill. t.* 12.
» *c.* 8. *n.* 203. *Laym.* et *Bon. l. c.*

Sic pariter excusantur omnes servientes, etiam gratis, et tota familia excommunicati, ex

c. Quoniam, et *c.* 34. *de Sent. exc.* V. *Salm. c.* 3. *n.* 150. Ita etiam Milites possunt communicare cum Duce excommunicato ex *d. c.* 34. Non autem vassalli cum suo Domino, ex *c. Nos Sanctorum* 15. *q.* 6. nisi quoad solutionem tributorum, si ligati sint juramento fidelitatis, ut *Salm. c.* 3. *n.* 150. cum *Suar. Av. Corn.* Attamen judico sæpe istos alias excusari, ratione necessitatis, vel utilitatis. Item Religiosi possunt communicare cum suis Prælatis excommunicatis; *Suar. D.* 15. *s.* 7. *n.* 2. *et Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 18. *cum Bon. Sayr.* et communi, contra paucos.

An vero famuli excommunicati ejusdem Domini possint inter se communicare? Per se certe non possunt, cum in *cit. c. Quoniam.* 11. *q.* 3. id eis non conceditur; possunt tamen per accidens, eo quod moraliter obligantur simul cohabitare; ita *Suar. n.* 13. *Nav. c.* 27. *Bonac. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 32. *et Pal. n.* 23. *cum Hurt. Sayr. et Ugol.* Hoc tamen intelligendum quando ipsi serviunt impulsi a necessitate se sustentandi, et insuper non possunt commode Dominum illum relinquere.

204. Notandum autem I. quod sicut filii, uxores, et famuli possunt cum excommunicato communicare, ita Parentes, Mariti, et Domini possunt communicare cum filiis, uxoribus, et famulis excommunicatis, *S. Th. suppl. q.* 23. *ar.* 1. *Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 21. *Bon.* §. 2. *n.* 28. *et Salm. c.* 3. *n.* 153. *cum Soto, Henr. Cornejo, Avila, Con. et Hurtado.* Notandum II. famulos, uxores, aut filios non posse communicare cum excommunicato in Divinis, nisi tantum in iis in quibus communicatio est necessaria ad præstandum obsequium illi debitum, ut mox supra diximus *n.* 202.

Dub. 1. Hinc famuli licite comitantur Dominum ad Missam, ac licite jussi ministrant celebranti excommunicato, aut cum eo Officium recitant, ut dicunt *Suar. D.* 15. *s.* 5. *n.* 22. *et Salm. c.* 3. *n.* 154. Hoc tamen intelligendum, quando famuli, vi contractus tenentur ab hujusmodi obsequia exhibenda; secus si non obligantur vi contractus, aut si obsequia illa sint extraordinaria, nec ad suum famulatum pertineant; ut recte ait *Suarez l. c.* Ubi bene pariter advertit non posse celebrantem uti Clerico excommunicato, si commode alium adhibere possit. Notandum III. quod si famuli veniunt in familiam Domini excommunicati, vel locant ei operas suas ante excommunicationem, vel etiam post excommunicationem, sed bona fide, quia nesciunt excommunicationem, vel quia coguntur a necessitate gravi, non peccant, et bene possunt communicare cum illo eodem modo, ut supra; Peccant vero, si scientes veniunt; et sine necessitate; ita *Suar l. c. n.* 13. *Pal. p.* 19. *n.* 14. *et Salm. c.* 3. *n.* 151. *cum Con.* An autem in hoc casu teneantur postea discedere, et peccent communicando? Vide mox supra dicta *n.* 202. *Dub.* 2. de eo qui Matrimonium contraxit cum excommunicato; idem currit pro famulis locantibus excommunicato operas suas, ut dicunt AA. ibi citati.

205. » IV. *Res ignorata*, idest in casu ignorantiæ juris, et facti.

Certum est quamlibet ignorantiam, aut inadvertentiam inculpabilem, sive juris, sive facti, excusare communicantes cum excommunicato, ex dicto *c. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. Sed dubitatur, an excuset etiam ignorantia culpabilis, et crassa? Negant *Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 14. *et Salm. c.* 3. *n.* 155. quia Ecclesia

imponit excommunicationem communicantibus cum vitando, semper ac communicatio est peccaminosa. Affirmant vero satis probabiliter *Suar. D.* 15. *s.* 3. *n.* 3. *Holzm. p.* 383. *n.* 202. *Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 24. *cum Con. et Hurt.* Et probatur ex eod *c. Quoniam multos.* Primo quia, cum ibi expresse excusentur ignorantes, videntur omnes quomodocumque ignorantes excusari, et damnari tantum scienter communicantes; secundo quia, cum Pontifex excuset ignorantes, videtur aliquem favorem velle concedere culpabiliter ignorantibus, dum ignorantes inculpabiliter ipso jure naturæ excusantur; tertio quia (et hoc fortius urget) in dicto Canone Pontifex asserit moveri ad prædictam indulgentiam concedendam. *Quoniam multos* (sic enim ibi incipit loqui) *pro causa excommunicationis perire* (nota) *quotidie cerminus, partim ignorantia, partim simplicitate*, etc. Ergo Pontifex intelligit excusare etiam vincibiliter ignorantes, nullus enim petit ex ignorantia invincibili.

206. » V. *Necesse*, idest in casu necessita-
» tis, sive Animæ, sive Corporis, sive bonorum
» temporalium.

Excusat igitur quævis necessitas gravis, sive spiritualis, sive temporalis, sive communicantis, sive excommunicati, sive aliorum, si res n n possit haberi ab alio, quam ab excommunicato, ut communiter *Bon. p.* 6. §. 2. *n.* 59. *Pal. p.* 19. *n.* 20. *et Salm. c.* 3. *n.* 157. *cum Avila, Hurt. Sayr. et Lez.* Idque patet signanter ex *c. Si vere*, 34. *de Sent. exc. et dicto c. Quoniam multos.* Sic pariter excusat necessitas per coactionem metus, quia lex humana non obligat cum gravi incommodo, ut recte ibid. addunt *Salm.* juxta dicta *l.* 1. *n.* 175.

207. Ultimo autem hic advertendum, quod

nemo tenetur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet illum esse vitandum, vel ad minus sciat per publicam famam, vel per testimonium duorum saltem dignorum fide, cuivis enim unico testi credere non tenemur, ita *Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 19. *n.* 63. *Nav. c.* 22. *n.* 82. *Pal. p.* 19. *n.* 26. *Tourn. t.* 7. *p.* 512. *q.* 4. *et Salm. c.* 3 *n.* 156. *cum Bon. Avila, et Cornejo.* Bene tamen advertit *Tourn. l. c.* quod in dubio an quis sit vitandus, non licet ab eo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, propter periculum illud invalide percipiendi. Dicunt autem *Suar. D.* 15. *s.* 3. *n.* 7. *Pal. n.* 27. *Bon.* §. 2. *n.* 54. *et Salm. d. n.* 156. *cum Cov. Avila, Corn. et Hurt.* quod licite communicare possumus cum eo qui fuit excommunicatus si adsit fama publica de ejus absolutione; vel etiam si ipse excommunicatus (qui alias sit fide dignus) se absolutum fuisse asserat, possumus ei credere.

DUBIUM IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio Major?

208. » Cum hæ multæ sint, variæ sunt etiam » excommunicationes, quæ in 4. potissimum » classes dividuntur, nam aliæ nulli, aliæ Epi- » scopo, aliæ Pontifici per Bullam Cœnæ, » aliæ eidem extra illam reservantur.

ARTICULUS I.

Quæ sint excommunicationes non reservatæ.

209. *Excommunicationes contra omnes.*
210. *Contra Clericos.*
211. *Contra Religiosos.*
212. *Excommunicationes adjectæ a Tridentino. Dub.* 1. *an incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi Monasteria, tantum ut educentur? Dub.* 2. *an cogentes ex metu reverentiali? Dub.* 3. *An cogentes mares? An impedientes ingressum puellæ?*

209. » REsp. 1. Ex jure antiquo usitatio-
» res sunt sequentes: Contra omnes 1. In ve-
» xantes Ecclesiasticos, quod non elegerint eum,
» pro quo rogati fuerant, *c. Sciant, de Elect.*
» *in* 6. 2. In directores Monialium, si foveant
» discordias in electione, *c. Indemnitatibus*,
» *eod.* 3. In extorquentes absolutionem a cen-
» sura per vim, aut metum, *c. de Iis quæ*
» *vi, etc. in* 6. 4. In compellentes Ecclesiasticos,
» ut laicis submittant jura Ecclesiæ, *c.* 2. *de*
» *Reb. Eccl. non alien. in* 6. 5. In docentes
» leges, vel medicinam Religiosos, qui dimi-
» serunt habitum, vel eos retinentes in suis
» scholis, *c.* 2. *Ne Clerici, etc. in* 6. 6. In
» sepelientes tempore interdicti, vel interdictos,
» vel excommunicatos non toleratos vel manife-
» stos usurarios *Clem.* 1. *in* 6. 7. In impedien-
» tes Visitatores Monialium, *Clem. Attendentes*
» *de statu Monach.* 8. In contrahentes matri-
» monium in gradibus prohibitis, vel cum Mo-
» nialibus, *Clem. un. de Consag.* 9. In eden-

» tes glossas in Tridentinum, Bulla 73. Pii
» IV. 10. In imprimentes libros sine superio-
» rum licentia, *Bulla* 12. *Leonis X.* 11. In
» præcipientes suis subditis, ne officia commu-
» nia Reipub. exhibeant Ecclesiasticis, verb.
» gr., ne iis vendant, coquant panes, etc. *c.*
» *Eos qui*, *de Imm. Eccl.* (Et videtur reser-
» vata in Bulla Cœnæ §. 15.), 12. In Doctores,
» et Professores non facientes professionem fi-
» dei, ubi recepta est Bulla 88. Pii IV. 13.
» In negligentes administrare justitiam Ecclesia-
» sticis, *c. Administrationis* 12. *q.* 5. 14. In
» potestates foventes usuras, *Clem. un. de*
» *Usur.*

Item 15. qui ratas habent collationes Ordinum, et Beneficiorum a Schismaticis, *c.* 1. *de Schismat.* 16. Qui titulo Regaliæ, aut defensionis occupant bona Ecclesiæ vacantis, *c. Generali de Elect. in* 6. 17. Qui procurant, ut Conservatores Regularium se immisceant in aliis quam in manifestis injuriis, et violentiis, *c. fin. de Offic. Deleg. in* 6. 18. Qui ex judicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium, *c.* 2. *de Jud. in* 6. 19. Qui mandant interfici Christionos per assassinos, *c.* 1. *de Homicid in* 6. 20. Qui concedunt, vel concessas repræsalias extendunt adversus Ecclesiasticos, *c. un. de Injur. in* 6. (Repræsaliæ enim fiunt, quando passi injustum damnnm auctoritate Principis, invadunt bona eorum qui damnificaverant usque ad justam compensationem). 21. Qui sequestrum ab Ordinario super Beneficio factum impediunt; vel fructus occupant. *Clement. un. de Sequest. posses.* 22. Qui pingunt, inaurant etc. Agnos Dei a Pontifice benedictos, *Bulla* 2. *Greg.* XIII. 23. Qui non denunciant S. Officio, vel Ordi-

nario Hæreticos, Magos, Sortilegos, vel hæreticaliter blaspemantes Deum, B. Virginem, et Sanctos, *Edictum S. Officii.* 24. Domini qui permittunt agitationes taurorum in Terris suis, nempe periculosas, *Bulla* 48. *S. Pii V.* (Exceptis Regis Hispaniarum, juxta dicta *Tom. III. l.* 3. *n.* 365.) 25. Qui faciunt servari statuta contra libertatem Ecclesiasticam, *c. Noverit; de Sent. exc.* et hæc videtur reservari in Bulla Cœnæ.

210. » Contra Clericos. 1. In Clericos in » dignitate constitutos, aut Sacerdotes audien- » tes publice jus, aut medicinam, *c. fin. Ne* » *Clerici etc.* 2. In Sacerdotes recipientes præ- » fecturas sæculares, *c. Clerici, eodem.* 3. In » Clericos minores Episcopis locantes domos usu- » rariis. 4. In alienantes bona Ecclesiæ, vel » locantes ultra triennium, *Extrav. Ambitiose* » *de Reb. Eccles. etc.* 5. In impugnantes in » concionibus Montes pietatis, Bulla 11. Leo- » nis X. 6. In contrahentes matrimonium, si » sint in sacris, *Clem. un. de Consang.* 7. In » ficte resignantes, vel permutantes beneficia, » Bulla 58. S. Pii V. 8. In præsumentes ab- » solvere a casibus Bullæ Cœnæ.

Item 9. In eos qui se ingerunt in alterius Episcopatum ad Officium, sine licentia proprii Episcopi, *c. Quoniam de Offic. Ordinar.* 10. Qui procurant ut alii occupent jura, et bona Ecclesiarum vacantium, *c. Generali, de elect. in* 6. Et hæc videtur reservata in *Trid. sess.* 22. *c.* 21.

211. » Contra Religiosos. 1. In audientes le- » ges, vel medicinam extra claustra. *c. Non* » *magnopere, et c. super spectacula. Ne Cle-* » *rici, etc.* 2. In habitum temere dimittentes, » vel matrimonium contrahentes, *Clem. un. de*

» *Consang.* 3. In instituentes novum Ordinem,
» * (*vel locum acquirentes sine licentia Papæ,*
» *c. un. de Relig. Dom. in* 6.). * 4. Adeun-
» tes curias Principum, ad nocendum suis Mo-
» nasteriis, vel Prælatis, *Clem. Ne in agro,*
» §. *Quia vero de Statu Monach.* 5. Tenentes
» arma sine licentia intra claustra. *ib.* 6. Non
» servantes interdictum, quando servatur a Ca-
» thedrali. Vide *Fill. t.* 1. *tr.* 22. *c.* 84. *Bon.*
» *D.* 3. *p.* 5. §. 1. *n.* 36.

Item 7. Qui non adimplent disposita in Bulla Alexandri VII. quæ incipit *Felici* in Visitatione Monialium sibi subjectarum. 8. Qui occupant Decimas Ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent, *Clem.* 1. *de Decim.* 9. Qui ex Mendicantibus recipiunt novas Domos, vel receptas alienant sine licentia Papæ. *Clem. Cupientes, de Pœnit.* 10. Qui non observant Interdictum a Papa, vel ab Episcopo positum, *Clem.* 1. *de Sentent. excom.* 11. Qui de Capuccinis recipiunt Minores de observentia sine licentia Papæ, aut Ordinis Generalis, et qui recipiuntur, *ex Bulla* 20. *Sixti V.*

Item contra Episcopos. 1. Qui veniunt ad Urbem, et inde recedunt sine licentia Papæ, *Extrav.* 2. *et* 3. *de Major. et Obed.* 2. Qui impetrant a Principibus litteras ad Dignitates, Bulla 96. Pii IV.

212. » Resp. 2. Supradictis adjectæ sunt a Tri-
» dentino sequentes, quæ valent, ubi illud est re-
» ceptum. 1. In imprimentes, imprimi man-
» dantes, vendentes, apud se retinentes, vul-
» gantes libros de rebus sacris, sine nomine au-
» ctoris, et approbatione ab Ordinario obtenta. *
» (*In Trid. sess.* 4. *Decr. de edit. etc. sic*
» *habetur*, Nulli liceat imprimere libros de rebus
» sacris, vel imprimi facere; neque vendere,

» aut retinere sine nomine Auctoris, nisi pri-
» mum examinati probatique fuerint ab Ordi-
» nario, sub pœna anathematis) *. 2. In do-
» centes non esse necessariam confessionem ante
» sumtionem Eucharistiæ, *Trid. sess.* 13. *can.*
» 11. 3. In raptores mulierum, juvantes, fa-
» ventes. *Sess.* 13. *cap.* 9. *n.* 4. In cogentes
» contrahere matrimonia cum præscriptis. *sess.*
» 24. *c.* 9. 5. In Magistratus, qui requisiti non
» juvant Episcopos, ad restituendam clausuram
» Monialium, *sess.* 25. *c.* 5. *de Regul.* 6. In
» ingredientes (cujuscumque conditionis, vel
» sexus fuerint) Monasteria Monialium, sine
» licentia in scripto obtenta, *ib.* 7. In cogentes
» mulieres ingredi Monasterium, et profiteri,
» *sess.* 25. *c.* 18. *de Regul.* * (*Sed de hac ex-*
» *communicatione vide mox infra dicenda vers.*
» *Quoad etc.*) *. 8. In impedientes, sine justa cau-
» sa, sanctam voluntatem mulierum emittendi vo-
» tum. *ib.* 9. In dominos temporales, concedentes
» in terris suis locum pro duello, *sess.* 25. *c.* 9.
» *de Ref.*

Quoad excommunicationem mox supra relatam in cogentes mulieres ad ingrediendum Monasterium. Dubitatur 1. An eam incurrant qui cogunt feminam ad Monasterii ingressum, non ut profiteatur, nec ut habitum sumat, sed ut ibi honeste educetur? Affirmant *Suar. de Censur. D.* 23. *s.* 7. *n.* 9. *Nav. consil. l.* 5. *cons.* 56. *et Bon. tom.* 3. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 14. *cum Fill.* Id probant ex Tridentino *sess.* 25. *c.* 18. *de Regul.* ubi excommunicantur *quicumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam (præterquam in casibus in jure expressis) ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam*

professionem. Concilium igitur hic tria membra distinguit, et inurit censuras omnes cogentes feminam, sive ad ingressum Monasterii, sive ad susceptionem habitus, sive ad emissionem professionis; spectavit enim Tridentinum, ne occasione ingressus detur ansa mulieri suscipiendi habitum, aut profitendi minus libere propter suasionem monialium, vel ob exeundi pudorem. Negat vero *Sanch. Dec. l. 4. c. 4. n. 12. cum Manuel*. Ratio, quia in prædicta sanctione Tridentini videntur non tria, sed duo membra contineri; Ibi enim damnantur cogentes *ad ingrediendum Monasterium* (quod est quidquam commune habens duos fines, nempe) *vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem*. Ergo qui cogit ad ingressum, tantum causa educationis, non vero ad habitus susceptionem, vel ad professionis emissionem, ibi minime improbatur. Et cum simus in pœnalibus, juxta regulam juris, benignior facienda est interpretatio. Sed hoc non obstante prima sententia mihi est probabilior, et ducor, quia Concilium postquam principales cogentes damnat; eamdem fert censuram contra eos, *qui consilium, auxilium, et favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium* (nota), *aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint*. Ex hac igitur secunda parte sensus primæ colligitur; sicut enim in hac secunda parte tria membra distinguuntur, cum damnentur præbentes consensum actui coacto in tribus casibus; nempe quando mulier in vita aut ingreditur Monasterium, aut habitum suscipit, aut professionem emittit; sic etiam intelligendum prima parte quoad principaliter cogentes

Quia tamen Concilium excipit casus in jure expressos, dicunt probabiliter *Suar. et Bonac. cum Fill. ll. cc.* licite posse cogi mulierem delinquentem ad ingrediendum in sui criminis pœnam, vel ne labatur in aliquam incontinentiam, ut eruitur ex *c. Significavit*, et *cap. Gaudeamus de Conversat. Conjug.*

Dubitatur 2. An incurrant excommunicationem Parentes inducentes puellam ad ingressum Monasterii, vel susceptionem habitus, ex metu reverentiali? Si metus concipitur a puella ex se, absque illorum cooperatione, certum est non incurrere. Dubium est, si metus oriatur ex declaratione voluntatis Parentum. Affirmat incurrere *de Alexand. Conf. Mon. c. 2. §. 2. q. 9.* quia, ut ait, qui non contradixit ob reverentiam, in jure non censetur consentire, ex *l. Si cum dotem, §. Eo autem, ff. de Soluto Matr.* Sed probabilius negat *Barbos. in Trid. Sess. 25. c. 18. n. 4. cum Rod. Portel. Riccio, et Tam.* quia tunc revera non incutiunt metum Parentes, sed ipsa ob reverentiam metum concipit, juxta dicta *l. 3. n. 717. v. Idem; et l. 6. n. 1056.* Simplex enim inductio sive suasio non est coactio, ut fatetur idem *de Alexand. c. 7. §. 8. q. 4.* et decisum refert *Barbosa All. 104. n. 3. ex Armentar.* Et hoc etiamsi addentur preces importunæ, ut probabiliter subdit idem *Barbosa l. c. in Trid. cum Portella et Rodr.* (contra *de Alexandro* quia suasio etiam importuna non est vera coactio, quæ requiritur a Concilio ad excommunicationem incurrendam: et cum agatur de pœnis, talis coactio stricte est intelligenda. Secus vero ait *Rodriquez apud Barbos.* si preces excederent limites simplicis suasionis, nempe (ut dicit *Sanch. Dec. l. 3. D. 7. n. 8.*) si preces sint instantissimæ, et sæpius in-

culcatæ : ipsæ enim videntur involvere gravem metum ex probabili indignatione futura Parentum. Addunt *Suar.*, *et Bon*, *ll. cc.* licite posse cogi puellas ad ingrediendum Monasterium propter cautionem, vel ob aliam justam causam secundum jura. Hinc dico, quod etsi absolute loquendo non liceat eas cogere ad ingressum causa melioris educationis, si tamen contra prudens accedat suspicio, quod illa in sæculo manens pravis moribus imbueretur, puta si videretur nimis propensa ad conversandum cum maribus, vel si domi haberet unde facile sumeret scandalum ex propinquis, aut famulis, tunc non auderem damnare cogentes eam, ut cautionis gratia Monasterium intraret; nam eo casu utique finis Concilii prohibentis hujusmodi coactionem cessaret, non solum adæquate, sed etiam contrarie, cum alias si non fieret coactio, majus malum eveniret; vide dicta *l.* 1. *n.* 199. Ad hoc refert id quod scripsit D. Hieronymus ad Lætam : *Procul sit ætas lasciva puerorum : ipsæ puellæ, et pedissequæ a sæcularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant.*

Dubitatur 3. An incurrant excommunicationem, qui cogunt mares ad Religionem ingrediendam? Affirmant *Palacios apud Sanch. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 3. quia eadem ratio finalis currit in maribus, quæ in feminis. Sed communiter, et verius negant *Suar. de Censur. D.* 23. *sess.* 3. *n.* 8. *Sanch. l. c. cum Bannez*, *Bon. t.* 3. *D.* 2. *q.* 2. *n.* 15. *cum Fill. Barb. All.* 104. *n.* 7. *cum Miranda*, *ac Boss. de Effect. Matr. c.* 10. *n.* 74. *cum Nav. Fag. etc.* Ratio, quia a Concilio excommunicatio duntaxat fertur contra cogentes feminas, non mares: in pœnalibus autem non fit extensio de casu ad casum, licet

eadem ratio procedat; præterquamquod pro maribus non currit eadem ratio, quam pro feminis; quia facilius et frequentius mulieres quam mares inducuntur invitæ ad Religionem suscipiendam. Quamvis vero hujusmodi cogentes excusari possunt a gravi culpa.

Insuper in Tridentino *ib. sess.* 25. *c.* 18. excommunicantur, *qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.* Nomine *veli* intelligitur professio religiosa, quæ fit per veli susceptionem. Nomine autem *voti*, non intelligitur votum simplex castitatis, aut Religionis, sed eadem professio cum tribus votis, sine tamen susceptione veli, ut fit in aliquibus Monasteriis; ita *Suar. de Censur. D.* 23. *sess.* 7. *n.* 20. *Boss. de Defect. Matr. c.* 10. *n.* 67. *cum Pal. et Bon. t.* 3. *de Censur. D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. *et* 4. *cum Fill.* Sed dubium fit, an incurrat excommunicationem qui tantum impedit puellam ne Monasterium ingrediatur ad habitum suscipiendum. Negant *Sanch. Dec. lib.* 6. *c.* 4. *num.* 15. et *Bon. l. c. cum Palao*, quia Decretum Concilii est cum rigore accipiendum, nempe tantum cum professio impeditur. Sed probabilius affirmant *Suar. l. c. et Bon. n.* 3. *cum Fill.* Qui enim impedit puellam, ne habitum suscipiat, vel ne ingrediatur Monasterium ad habitum suscipiendum, impedit consequenter ejus professionem. Et recte subdunt *Bon. n.* 6. *et Sanch. n.* 1. *vers. ad finem, cum Salon.* hanc excommunicationem incurrere etiam qui dolo (non autem qui solis precibus) impediunt puellam, ne fiat Religiosa.

ARTICULUS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis?

213. *Excommunicatio. I. In eum qui leviter percutit Clericum. II. In eos qui absolvuntur in articulo mortis, et postea non se præsentant Superiori. III. In Fratres Minores etc. IV. In procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto. V. In eos qui communicant in eodem crimine etc. VI. Excommunicationes quas Episcopi sibi reservant.*

214. *De Excommunicatione imposita ex monitorio.*

215. *An obligatus revelare damnum, si non revelet, etc.*

216. *An sit obligatio revelare crimen emendatum?*

217. *Qui, facto Monitorio, excusentur a revelando?*

213. » REsp. Sunt hæ: I. Quæ contrahitur » ex levi percussione Clerici, vel gravi si sit » mulier. * (*De hac excommunicatione vide* » *infra ex n.* 279.) *. II. In eos, qui abso- » luti in articulo mortis a censura, vel peccato » habente censuram annexam) ab eo, qui alias » non poterat, non præsentant superiori se, » postquam convaluerunt. * (*Intellige, quando* » *censura reservata erat ab Episcopo, vide di-* » *cta n.* 92.) *. Vide *Fill. t.* 1. *c.* 10. *num.* » 241. 242. III. In Fratres minores, si ad- » mittant in suis Ecclesiis ad officia divina Fra-

» tres tertii Ordinis. IV. In procurantes abor-
» tum fœtus animati, effectu secuto. * (Vide
» dicta Tom. I. lib. 3. n. 395. et 327. *Quan-*
» *do autem fœtus censeatur animatus, vide ibid.*
» *n.* 394. *v. Qu. III. Ab hac excommunica-*
» *tione absolvere possunt etiam Regulares; vi-*
» *de ibid. n.* 397. *v. Pariter, et l.* 7. *n.* 99.
» *in fin.*) *. V. In eos, qui communicant in
» eodem crimine cum excommunicatis ab Epi-
» scopo VI. Hæ omnes, quas ferunt Episcopi
» per propria statuta, et sibi reservant, quas
» confessarii videant in Agendis.

214. Hic breviter agendum de excommunicatione, quæ imponitur ex vi Monitorii ad revelanda aliqua crimina, vel ad restituendam rem alienam, et similia. Et dicendum I. Si crimen non vergit in alicujus tertii damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia, sive rumor ortus ex probis hominibus per majorem partem Viciniæ, aut Collegii; Ratio, quia sine tali infamia non potest Superior de illo crimine inquirere; ita *Sylv. Avil. Gib.* cum *Salm. c.* 4. *n.* 2. Dicendum II. Si delictum vergit in damnum commune, etiamsi sit occultum, tunc revelandum est, nisi tamen firmissima sit spes, quod correctio foret profutura; *Salm. ib. n.* 3. cum *S. Th. Bon.* etc. Dicendum III. Si delictum cedit in damnum tertii, distinguendum. Quando crimen est jam commissum, et ita occultum est, ut probari non possit, non est revelandum; Secus vero, ut dicunt *Sotus*, *Corduba*, *et Avila*, si crimen probari possit saltem per unum alium testem; vel si sit in fieri; et non possit per mensionem impediri. Sed in hoc ultimo casu negant *Salm. c.* 4. *n.* 4. cum *S. Thoma*, *Bon.* etc. Quando autem in Monitorio non præcipitur denunciare, sed testificari, tenetur quisque manifestare, si præcedat semi-

plena probatio; etsi non possit probare. *Salm. n.* 5. cum *Nav. et Avila.*

215. Quæritur hic 1. An obligatus revelare ex Monitorio, si non revelet, teneatur tertio damnum restituere? Resp. Si ipse aliqua arte impedit, ne Monitorium sibi intimetur, ad nihil tenetur, neque incurrit excommunicationem, nec peccat non revelando. Peccat vero, et incurrit, si jam sit citatus, ut *Less. l. c. cap.* 30. *n.* 54. *Salm. c.* 4. *n.* 6. cum *Reb.* etc. Vide *Tom. V. l.* 4. *n.* 280. An autem teneatur ad restitutionem? Affirmant *Tourn. t.* 2. *pag.* 508, *et apud Salm. c.* 4. *n.* 7. *Nav. Sot. Val. Sayr.* etc. quia dicunt, quod hic peccaret contra justitiam, cum pars læsa habeat jus ad ejus testimonium, posito Judicis præcepto. At verius negant *Bon. de Præc. D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 13. *Sylv. Bon. Bann. Tan.* etc. cum *Salm. c.* 4. *n.* 9. Ratio, quia talis revera non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem, vel contra obedientiam, quæ non obligat ad restitutionem; Vide dicta *d. l.* 4. *n. n.* 270. *v. Dub.* 2. Excipiunt tamen tamquam certum *Salm. l. c.* cum *Bon.* etc. si testis susceperit munus testis ex præcepto Judicis, et coeperit respondere, quia, tali acceptatione posita, tenetur ex justitia veritatem detegere: Sed vide dicta *l.* 4. *eod. n.* 250. *Dub.* 3.

216. Quær. II. An sit obligatio ex vi Monitorii revelare crimen emendatum? Resp. Negative, nisi crimen habeat effectum in futurum, puta si sit homicidium cum adulterio, quæ inducant impedimentum Matrimonii, et similia, vel nisi crimen sit publicum, et emendatio occulta: vel denique nisi Superior non tantum emendationem Rei, sed etiam reatus punitionem intendat: ita *Salm. c.* 4. *n.* 16. *cum S. Anton. Sylvest. et Avila.*

217. Quinam autem, facto Monitorio, excusentur a revelando? Vide dicta *l.* 4. *n.* 248. *Q. II.* Adde dumtaxat hic, quod si in Monitorio præcipiatur revelatio omnibus scientibus, non tenentur revelare, qui tantum audierunt; Et si etiam audientibus, non tenentur qui audierunt a parum fide dignis; Vide *Salm. d. c.* 4. *n.* 15.

Advertit autem *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 499. peccare graviter I. qui petunt Monitoria levibus de causis. II. Judices sic concedentes, vel quando res potest aliter probari; vel si prævideren Populum illa contemturum; item si debitores non sunt solvendo, aut si res sit adeo antiquata, ut non sit qui revelet; item si delictum fuit factum coram iis, qui non tenentur denunciare.

ARTICULUS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ.

218. *Excommunicationes reservatæ Papæ contra omnes.*

219. *Excommunicationes reservatæ contra Clericos et Religiosos.*

220. *Specialiter agitur I. de excommunicatione contra Duellantes, et cooperantes.*

221. *Agitur II. de Excommunicationibus latis contra violantes Clausuram Monialium.*

222. *Dub.* 1. *An ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum? Dub.* 2. *An incurrant omnes introducentes in Clausuram?*

223. *Dub.* 3. *An talis licentia debeat esse in scriptis? Dub.* 4. *An licentia debeat esse specialis?*

224. *Dub. 5. A quo debeat concedi?*
225. *Dub. 6. Quæ causa requiratur ad licentiam concedendam?*
226. *Plura notanda circa ingressum Medicorum, et aliorum Officialium.*
227. *De ingressu Confessariorum.*
228. *Dub. 7. An ingrediens cum licentia teneatur statim egredi?*
229. *De alia excommunicatione reservata in Moniales violantes Clausuram, et in alios cooperantes.*
230. *De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes Clausuram Religiosorum.*
231. *Quæ feminæ excipiuntur ab hac prohibitione? Et quæ domus veniant nomine Conventuum?*
232. *De prohibitione colloquendi cum Monialibus, juxta jus commune. Quid circa Regulares?*
233. *Dub. 1. An vetetur solus accessus sine collocutione?*
234. *Dub. 2. An loquentes per nutus, aut signa, incurrant casum reservatum?*
235. *Dub. 3. An peccet gravitter semel colloquens cum Moniali?*
236. *Dub. 4. An in tali locutione detur parvitas? et an detur in Regularibus?*
237. *Dub. 5. An liceat colloqui cum Moniali ob utilitatem, sine licentia?*
238. *Dub. 6. An cum Abbatissa?*
239. *Dub. 7. Qui eximantur ab hac prohibitione? 1. Consanguinei in primo, et secundo gradu. 2. Metu coacti. 3. Pauperes, et quæstuantes.*
240. *Dub. 8. An impuberes.*
241. *Dub. 9. An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo?*

242. *Dub.* 10. *An Peregrini?*

243. *An Episcopi colloquentes cum Monialibus in Aliena Diœcesi incurrant excommunicationem latam ab Ordinario loci.*

244. *DISSERTATIO super Censuris circa sententias pertinentes ad Conceptionem B. V. Mariæ. Enuntiantur Bullæ editæ super hac materia.*

245. *Quando incurrant pœnas contradictores piæ sententiæ?* (usque ad n. 247.).

248. *Quando ejus fautores?*

249. *Probatur pia sententia usque ad n.* 262.

263. *An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali?*

218. » REsp. 1. *Contra omnes*, magis ob-
» viæ sunt sequentes. 1. In incendiarios, *c. Tua*
» *nos de Sent. exc.* * (*Modo sint ab homine,*
» *excommunicati, et denunciati, ut notat Ca-*
» *brin. de Cas. res. p.* 129.). * 2. In haben-
» tes litteras Apostolicas falsas, et non destruen-
» tes; item in falsarios litterarum Apostolicarum
» *c. Durand. eod. et c. Ad falsariorum, de*
» *Crim. falsi.* 3. In effringentes, et spolian-
» tes Ecclesias, *c. Conquesti eod.* 4. In com-
» municantes eodem crimine cum excommuni-
» catis a Papa, *c. Nuper eod.* 5. In vexantes
» eos, qui censuram in alios tulerunt, *c. Qui-*
» *cumque de Sent. exc. in* 6. 6. In absolutos
» ab excommunicatione, sub conditione, et
» non implentes, *c. Eos qui ibid.* 7. In vio-
» lantes interdictum Papale, *Extrav. Etsi de*
» *Pœn.* 8. In dantes, et recipientes aliquid
» ex pacto, ob admissionem ad religionem,
» *Extrav. comm.* 1. *de Simon.* 9. In Simo-

» niacos reales, circa ordinem, vel beneficium,
» *Extrav.* 2. *eod.* 10. In committentes simo-
» niam confidentialem, *Bulla Pii IV.* 86. *et*
» *Bulla. S. Pii V.* 11. In impedientes exe-
» cutionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ, *Bulla*
» 1. *Julii III.* 12. In dantes, et recipientes
» aliquid pro gratia, aut justitia, apud Sedem
» Apostolicam, *Extrav.* 1. *de Sent. exc. et*
» *Bulla Bonif. VIII.* 1. *et Greg. XIII.* 4.
» 13. In committentes duellum, et ad id coo-
» perantes, suadendo, etc. *Trid. c.* 19. *Sess.*
» 25. *et Bulla Clem. VII.* 11. *illius vices.*
» * (*Vide de hac excommunicatione dicenda*
» *n.* 220.)*. 14. In mulieres ingredientes Mo-
» nasteria Regularium. *Bullæ S. Pii V.* 20.
» * (*Vide n.* 230.)*. 15. In impugnantes in-
» stitutum Societatis JESU. 16. In facientes
» jurare illicita, et contraria libertati Ecclesia-
» sticæ, *Bulla Greg. XIII.* 93. 17. In ra-
» pientes bona Ecclesiastica, item in exigentes
» tributa ab Ecclesiasticis. 18. In violantes li-
» bertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad
» Ecclesiam, *Bulla Greg. XIV.* 7. 19. In do-
» centes posse fieri confessionem in absentia.
» * (*V. hic inf. n.* 7.). 20. In eos, qui
» alterutram opinionem de Conceptione B.
» Virginis damnant peccati mortalis, vel hæ-
» reseos; item in eos, qui in concionibus, aliis-
» que publicis actionibus, ut lectionibus, con-
» clusionibus, asserunt S. Virginem conceptam
» in originali, *Extrav. Grave nimis de Relig.*
» *etc. Bulla* 97. *S. Pii V.* * (*Vide ex n.*
» 244.)*. 21. In percussores Clericorum (*c.*
» *Si quis suadente* 17. 4.). Quæ cum celebris-
» sit, et multa scitu necessaria habeat, agetur
» de ea peculiariter infra ex *n.* 264.

Item excommunicantur 22. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ, *c. Quærenti, de offic. deleg.* 23. Offendentes Cardinales, *c. Felicis de Pœn.* 24. Exigentes tributa a personis Ecclesiasticis, *c. Clericis de Immun. in* 6. 25. Violantes interdictum modis prohibitis, *Clem. Gravis de Sent. exc.* 26. Exenterantes corpora Sanctorum, *Extrav.* 2. *de Sepult.* 27. Mentientes personas in litteris Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur, *Bulla Leonis X.* 27. 28. Simulantes et supponentes se alios esse pro obtinendis Beneficiis a Dataria, *Bulla* 12. *Pauli IV. Inter ceteras.* 29. Mittentes litteras aut nuncium in Conclave, vel inde recipientes: *Bulla Pii IV.* 63. *in eligendis.* 30. Occupantes bona Ecclesiarum, Montium pietatis, seu alterius loci pii, vel impedientes ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, *Conc. Trid. cap.* 11. *sess.* 22. *de Ref.* 31. Feminæ et masculi ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis, *Bulla Greg. XIII.* 28. *Ubi gratia.* Vide *inf.* 32. Capientes et retinentes Christianos habitantes intra Turcas, et illorum bona eripientes, aut remigare cogentes, *Bulla S. Pii V.* 149. *Licet.* 33. Publicantes Indulgentias, et facultatem dantes eligendi Confessores iis qui aliquid solvunt, *Bulla S. Pii V.* 99. *Quam plenum.* 34. Accipientes et retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem, *Bulla ejusdem Pontif.* 104. *Durum nimis.* 35. Diripientes animalia, et bona, vel illa ablata ementes ex Statu Ecclesiastico, *Bulla Greg. XIII.* 98. *Non sine.* 36. Docentes fieri Confessionem Sacramentalem in absentia per litteras,

Bulla Clem. VIII. 87. *Sanctissimus.* 37. Extrahentes frumentum, blada, legumina, et oleum extra Statum Ecclesiasticum sine licentia, *Paulus V, Bulla* 12. *Inter gravissimos.* 38. Docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas, *Decret. S. C. et S. Officii, quæ emanavere annis* 1665. 1666. *et* 1690.

219. » Resp. 2. *Contra Clericos, et Religiosos*, sunt hæ: 1. In participantes in sacris » cum excommunicatis a Papa, *c. Significavit* » *de Sent. exc.* 2. In procurantes alienationes » Ecclesiarum. 3. in Concionatores, qui Scri» pturæ sensum a Doctorum interpretatione alie» num circa tempus Antichristi, et extremi ju» dicii, aliaque similia revelata prædicant. 4. » In Parochos non implentes juramentum de » residentia factum. 5. In Mendicantes trans» euntes ad alium Ordinem præter Carthusia» num, *Extr. Viam de Reg.* 6. In Moniales » exeuntes claustris sine licentia, *Bulla S. Pii* » *V.* 8. 7. In religiosos, qui sine privilegio, vel » speciali licentia Parochi, Clericis, aut Laicis » Sacramentum Eucharistiæ, vel Unctionis mi» nistrare, vel Matrimonia solemnizare præsu» munt, *Clem.* 1. *de Privil.*

Item 8. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis, *Clem. Capientes*, §. *Sane, de Pœn.* 9. Commissarii, seu delegati interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolose procurantes, *Bulla* 2. *Pauli II. Cum in omnibus.* 10. Prædicatores non servantes Decreta circa eos lata in Concilio Lateranensi, *Bulla Leonis X.* 21. *Supernæ.* 11. Absolventes sub prætextu Privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decr. S.*

C. Episc. et Reg. a Clem. VIII. appr. ann. 1601. 12. Consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum, *Conc. Trid. cap.* 11. *Sess.* 22. *de Ref.* 13. Euntes ultra mare sine licentia Superiorum, *Extr. Ad nostra*, *de Regul.* 14. Superiores non denuntiantes Religiosos qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum, *Bulla Pauli V.* 26. *Romanus Pontif.* 15. Minores de Observantia subornantes vota in electionibus, *Bulla S. Pii V.* 128. *Pastoralis.* 16. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ, *Bulla Julii II. Virtute conspicuus*, *extra Bullar.* 17. Tertiarii portantes habitum Minorum, *Bulla Leonis X. Liceat alias*, *extra Bullarium.* 18. Episcopi qui conferunt Beneficia contra præscriptum S. Pii V. in eorum manibus resignata, *Bulla* 50. *Quanta.* 19. Cardinales ambientes Papatum, et simoniace ejus causa, *Pauli IV. Bulla* 16. *Cum secundum.* 20. Cardinales simoniaci in Beneficiis, *Bulla S. Pii V.* 85. *Hodie in Concistorio.* 21. Judices, officiales, Laici, ac Prælati Ecclesiastici trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale, *Bulla Martini V.* 10. *ad reprimendas*, *ut supra.* 22. Domini temporales, qui in Terris suis suppositis interdictis cogunt celebrare, et audire Divina Officia; *Clem. Gravis de Sent. exc.* 23. Officiales ac Domini temporales bannientes, seu facientes, et mandantes banniri personas Ecclesiasticas, *Bulla Urbani VI.* 3. *Quia sicut.* 24. Officiales, Judices, et Domini temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab alio ratificantes, *Clem.* 1. *de Pœn.* 74. 25. Principes et Domini temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in Terris suis, *Conc. Trid. Sess.* 25. *de Ref. cap.* 19. *Bulla Clem. VIII.*

11. *Illius vices.* 26. Episcopi et Inquisitores, eorumque substituti, qui faciendo vel omittendo contra diffamatos de hæresi, delinquunt in Officio, *Clem. Multorum*, §. *Verum*, *de Hæret.* 17. Gubernatores Civitatum, et locorum Status Ecclesiastici, recipientes munera præter comestibilia, *Bulla Pauli II.* 3. *Munera.*

Adde 28. Violantes Clausuram Religiosorum aut Monialium ad malum finem; *Decretum S. Congr. Concil.* editum jussu *Clementis VIII.* 22. *Novembris* 1722. Item viri et mulieres ingredientes Claustra Monialium prætextu facultatum; et Superiores ingredi facientes aut permittentes; Bulla Gregorii XIII. *Ubi gratia*, 13. Junii 1575. Item mulieres ingredientes Claustra Religiosorum prætextu facultatum; eadem Bulla Gregor. XIII. Item ex Bulla S. Pii V. *Decret. Romanum*, 16. Julii 1570. omnes mulieres intrantes Monasteria Religiosorum, etiam sine prætextu facultatum; Superiores autem, ac quicumque Religiosi introducere illas præsumentes ipso facto contrahunt privationem Officiorum, et inhabilitatem ad illa, et alia obtinenda, nec non suspensionem a Divinis sine alia declaratione. Item notandum quod Bened. XIV. in Bulla *Regularis*, sub die 3. Januar. 1742. decrevit quod feminæ ingredientes Clausuram Religiosorum incurrant ipso facto excommunicationem pariter reservatam, etiamsi prætextu pietatis et religionis ingrediantur.

Adde 29. Defendentes esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in Confessione scripto, aut verbo, aut impugantes Decreta contra hujusmodi praxim; aut temere ea detorquentes seu interpretantes in alienum sensum, constit. *Ubi primum*, Benect. XIV. 2. Jun. 1746. vide in fine Libri.

Hic operæ pretium est adjicere plura advertenda præsertim circa duas excommunicationes supra enunciatas *n.* 218. ad *n.* 13. et *n.* 219. et ad *n.* 29. nempe contra duellantes, et contra violantes Clausuram Regularium.

220. Et I. contra Duellantes, et ad duellum cooperantes, notandum 1. ex quinque Propositionibus nuper damnatis a N. SS. P. Benedicto XIV. in sua Constitutione quæ incipit, *Detestabilem*, edita die 13. Novemb. 1752. non esse licitum offerre, aut acceptare duellum, ne quis privetur officio, etiamsi ex ea aliquis se suosque sustentet, vel spem habeat promotionis alias sibi debitæ, nec licere acceptare duellum ad vitandam vilipensionem, quamvis certo sciatur quod pugna non secutura sit; vide alia *Tom. III. lib.* 3. *ex n.* 400. *v. Quæritur.* Notandum 2. quod ex Tridentino *Sess.* 25. *de Ref. c.* 9. excommunicantur non solum duellantes, patrini, suadentes duellum, et spectatores: sed etiam Reges, Domini in Terris suis locum ad duellum concedentes; atque illi privantur dominio territorii; et duellantes, ac patrini privantur suis bonis, ac sepultura Ecclesiastica. *S. Pius* V. hanc excommunicationem reservavit Pontifici; Et Greg. XIII. in sua Bulla quæ incipit, *Ad tollendum*, edita anno 1582. hæc omnia extendit ad duella privata, etiam sine patrinis, et ad Dominos ea non prohibentes in locis suis, atque ad quoscumque cooperantes. Tandem Clemens VIII. in alia Bulla quæ incipit, *Illius vices*, emanata an. 1592. pro locis, ubi duella a Dominis permittuntur, interdictum Papale imposuit, Vide *Salm. c.* 4. *n.* 42. et vide dicta *l.* 3. *n.* 401. Sed hæ pœnæ, præter excommunicationem, non incurruntur, nisi post sententiam saltem declaratoriam crimi-

nis, ut *Sanch. Pal.* et *Salm. n.* 43. Notandum 3. nomine *Spectatorum* non intelligi omnes duellum spectantes, sed tantum qui data opera ad duelli locum accedunt, et duello assistunt, cum in Bulla Gregorii dicatur, *ex composito spectatores*; unde recte ajunt *P. Milante* in Propos. 2. damnata ab Alex. VII. *et Salm. n.* 43. ex communi sententia, non incurrere excommunicationem, qui obiter et casu per locum duelli transeuntes aspiciunt curiositate ducti; Immo dicunt *Cont. Tour. to.* 3. *p.* 473. *et Salm. l. c.* etiam ex communi sententia, eos tantum spectantes incurrere, qui socii sunt duellantium, aut qui sua præsentia ad pugnam videntur illos incitare, non autem qui spectant a longe, vel in secreto, vel alio modo nihil ad pugnam acuendam inducente. Item bene addunt *Salm. ib.* neque incurrere qui comitantur pugnaturos, animo impediendi duellum. Notandum 4. quod licet ex Tridentino, et ex Bulla Gregorii non incurrant excommunicationem provocantes et acceptantes duellum, si duellum non sequatur, quia tam in Tridentino quam in dicta Bulla solum excommunicantur committentes duellum; tamen in Bulla Clementis §. *Præterea* (quam in extensum refert *Bon. D.* 2. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 23.) excommunicantur tam provocantes scripto aut verbo, quam duellum acceptantes, etiamsi pugna non sequatur, neque accessus nec actus ad pugnam proximus; necnon comitantes, nuncii, suadentes, consulentes, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes vel affigentes, et quomodolibet ad duellum cooperantes, publice vel occulte ineundum. Notandum 5. quod, nisi duellum sit notorium, aut deductum ad forum contentiosum, bene possint Episcopi absolvere excommunicatos, vi facultatis datæ a Trid.

in *c. Liceat* 6. *sess.* 24. ut recte notant *Salm. c.* 4. *n.* 45. *cum Sanch. Bon. Pal. Barb.* et aliis communiter. Regulares vero extra Urbem, et intra Italiam non possunt vi Privilegiorum ab hac excommunicatione absolvere; secus tamen in Urbe, vel extra Italiam, ex Decreto S. C. mandante Clem. VIII. prout diximus *num.* 96.

221. II. Circa autem violantes Clausuram Monialium, aut Religiosorum, notandum quod ingredientes Monasteria Monialium sine licentia in scriptis incurrunt excommunicationem ipso facto ex Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de Reg.* ibi: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat cujuscumque generis, aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.* Hujusmodi ingressus prohibetur etiam Prælatis, sive sæcularibus, sive regularibus, ex Motu Gregorii XIII. incipiente, *Dubiis* (*apud Barbos. All.* 102. *num.* 43.) edito die 23. Decembr. ann. 1581. sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ Prælatis sæcularibus, si præter casum necessitatis prima vice ingrediuntur, suspensionis a munere Pontificali, et a Divinis pro secunda, et excommunicationis pro tertia: Prælati vero Regulares incurrunt excommunicationem, e privationem omnis officii et ministerii, etiam pro prima vice, ut censent *Sanch. Dec. l.* 7. *c.* 16. *n.* 102. Quamvis *Bon. to.* 1. *tr. de Clausura pag. mihi* 760. *n.* 11. *cum Llamas* putat probabile tantum pro tertia vice incurrere pœnas excommunicationis et privationis. In casu autem necessitatis, causa Visitationis possunt præfati Supe-

riores ingredi Monasteria Monialium ; sed tunc (ut dicitur in eadem Bulla) debent esse *a paucis*, *iisque senioribus ac religiosis personis comitati*. *Pauci* intelliguntur quatuor vel quinque, ut putat *Bonac. et Victorelli*. *Religiosi*, idest probatæ vitæ. Dicit tamen *Tambur. cum Victorell. apud de Alexandro Confess. Monial. c.* 7. §. 4. *q.* 5. quod si Episcopus solus intraret, vel non adhiberet comitantes senes, aut non religiosos, aut non paucos, non incurreret pœnas ; quia pœnæ tantum afficiunt Prælatos ingredientes sine necessitate. Pro Superioribus autem regularibus habetur in *Constit.* Alexand. VII. *apud de Alexandro loc. cit.* Quod si visitet Generalis, potest ipse habere secum duos sui Ordinis socios, qui sint exemplares et maturæ ætatis ; si vero alius a Generali, unum tantum ; et insuper debent assistere quatuor Moniales ex senioribus, quæ non separentur a Visitatore.

Excommunicationes hæ non sunt reservatæ, sed adest excommunicatio Papæ reservata (ut supra innuimus) contra violantes Clausuram Monialium ad malum finem, ut habetur in Decreto S. C. Concilii, edito jussu Clementis VIII. an. 1602. Quomodo autem intelligatur illud *ad malum finem ? Mazzott. tom.* 3. *p.* 510. intelligit finem quomodocumque pravum ; sed melius *Pellizzarius*, apud ipsum intelligit tantum finem libidinosum, quia finis Clausuræ est, ut castitas custodiatur ; et ideo vetatur etiam accessus, et collocutio.

Adest alia excommunicatio Papæ reservata, *lata* a Gregorio XIII. die 13. Junii 1575. in Bulla, *Ubi gratia*, contra quascumque personas utriusque sexus, etiam Comites, Marchiones, et Duces ingredientes Monasteria Monialium, vel

feminas ingredientes Claustra Religiosorum, prætextu facultatum ibi revocatarum; et contra omnes Superiores Monasterii utriusque sexus, qui præter excommunicationem reservatam incurrunt insuper privationem Officiorum, et inhabilitatem ad ipsa, si ingredi faciant, vel permittant aliquem ingredi prætextu facultatum; et contra Abbatissas aliasve Superiores, si admissum quoquo modo retinere ausæ fuerint, ut declaravit Paulus V. in alia Bulla incipiente, *Monialium*, *apud de Alexand. c.* 7. §. 11. *q.* 3. Hic tamen advertendum, quod Episcopi, et Prælati Regulares, qui ratione sive prætextu Officii, sed absque justa causa, ingrediuntur Monasteria, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt: nam licet in hac Bulla omnes comprehendantur, tamen in Bulla, *Dubiis*, citata *n. præced.* emanata post aliam, *Ubi gratia* ut supra, eximuntur Episcopi, et Superiores regulares, ut bene advertit *Fagnan. lib.* 5. *in c. Nuper*, *de Sentent. excomm. n.* 38. contra aliquos, cum in dicta *dubiis*, fiat diversa dispositio circa pœnas in Episcopos, et Regulares, ibique excommunicatio lata in ipsos, si ingrediantur tertia vice sine justa causa, non sit reservata; probat enim *Fagnanus*, illam fuisse novam Constitutionem respectu pœnarum, non autem declaratoriam primæ Bullæ. Demum notandum, quod N. SS. P. Bened. XIV. novissime die 3. Januarii 1742. duabus Bullis (quas invenies in calce Libri, incipientes una, *Salutare*, altera *Regularis*) confirmavit omnes Constitutiones antecessorum Pontificum tam ante, quam post Concilii Decreta emanatas: Et signanter in Bulla, *Regularis*, prohibuit quibuscumque feminis ingredi Clausuram Religiosorum sub prætextu pietatis ac Religionis; tantum

id concessit nobilibus feminis de familia Fundatorum, vel insignium Benefactorum, qui de hoc Indultum Apostolicum obtinuerint ingrediendi solum, ut ad Ecclesiam recto tramite pergant. Quo revocata manet Constitutio S. Pii V. incipiens, *Decet Romanum Pontificem*, (*apud Holzm. tom.* 1. *p.* 480. *n.* 592.) ubi permittebatur mulieribus ingredi Claustra Religiosorum causa Processionis, audiendæ Missæ, vel Concionis, aut Sepulturæ, aut magni concursus.

222. Sed dubitatur 1. An ingredientes Monasteria Monialium sine licentia incurrant præfatam excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum? Affirmant *de Alexand. c.* 7. §. 11. *q.* 2. *cum Navar. Azor. Graff. etc.* quia (ut ait) relata Constitutio Gregorii XIII. *Ubi gratia*, ex Stylo Curiæ intelligitur generaliter emanata in omnes intrantes Monasteria, etiam sine tali prætextu. Sed probabilius negant *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 16. *n.* 79 *Bon. de Claus. q.* 4. *p.* 5. *n.* 4. *Suar. de Censur. D.* 22. *Se.* 6. *n.* 11. *Fagnan. loc. cit. n.* 12. *Holam. pag.* 338. *num.* 31. *Mazzott. tom.* 3. *pag.* 521. *n.* 3. *et Barbos. All.* 102. *n.* 37. *cum Sayr. Rodriq. Miranda*, *Sa*, *et Zerol.* quia expresse in citata Bulla Gregorii requiritur ingressus prætextu facultatum.

Dubitatur 2. An præter Superiores incurrant excommunicationem omnes qui alios introducunt in Clausuram? Affirmant *Bonac. q.* 4. *p.* 7. *n.* 3. *et de Alexand. cap.* 7. *s.* 11. *q.* 4. *cum Pill. et Llamas*. quia in eadem Bulla Gregorii dicuntur incurrere *Superiores*, *et personæ*, *quocumque nomine vocentur*, admittentes extraneos in Clausuram, nomen autem *personæ* (ut dicunt) genericum est, et quascumque personas comprehendit. Attamen negant *Sanch. l.* 6. *cap.* 16.

num. 83. *cum Manuel*, *et Diana apud de Alexand.* Ratio enim opposita tunc valeret, si in Bulla diceretur, *Superiores*, *et quæcumque personæ*, sed cum dicatur, *Superiores*, *et personæ*, *quocumque nomine vocentur*, nequeunt utique intelligi omnes Religiosi qui diversum nomen quam Religiosorum non habent, sed potius intelliguntur Superiores qui in diversis Ordinibus diversa habent nomina, nempe Abbatum, Præpositorum, Priorum, Guardianorum, Correctorum; idque clare explicavit S. Pius V. in Bulla, *Regularium*, *apud Bonac. q.* 5. *p.* 3. *n.* 2. His tamen non obstantibus adest Decretum S. C. Episcop. et Regul. apud *Ferrar. tom.* 2. *v. Conventus*, *art.* 3. *num.* 7. ubi dictum fuit respectu ad Fratres Minores de Observantia, quod si ingrediantur Mulieres ipsorum Clausuram, tam Prælati, quam subditi eas introducentes incurrant eamdem excommunicationem reservatam, et remaneant ipso facto privati eorum Officiis, et inhabiles in futurum.

223. Dubitatur 3. an licentiam ingrediendi Monasteria Monialium quoad forum conscientiæ debeat esse in scriptis (Affirmant *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 16. *n.* 50. *Palaus p.* 3. *D.* 4. *par.* 10. §. 2. *n.* 6. *et Suarez apud Diana par.* 3. *tra.* 2. *R.* 129. quia, deficiente scriptura, licentia est nulla, cum deficiat forma in ejus concessione a Tridentino præscripta in *Sess.* 25. *cap.* 5. ubi: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat cujuscumque generis aut conditionis*, *sexus aut ætatis*, *sine Episcopi*, *vel Superioris licentia*, *in scriptis obtenta*, *sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.* Negant vero *apud Diana loc. cit. Homobon. et Bellochius*, qui citat pro se *Innoc. Abb. et Felin.* Ratio, quia scriptura videtur requiri tan-

tum pro foro externo : Idque non videtur improbabile, cum non constet, an scriptura ibi requiratur pro forma, prout diximus in simili casu *l.* 4. *n.* 123. *v. Hic.* Dicit autem *Diana loc. c. cum Rodriq. et Villab. ac Barbos. All.* 102. *n.* 57. *cum Delacrux*, quod etiam juxta primam sententiam (quamvis adhuc repugnet *Sanchez*), licentia in scriptis non requiritur in casibus ordinariis, quando causa est manifesta, puta in ingressu Medici, Confessarii, Cœmentarii, et similium Operariorum, quorum repentina opera passim indigent Moniales, prout explicat Glossa *v. Causa in capite Periculoso, de Statu Regulari in* 6.

Dubitatur 4. An hujusmodi licentia debeat esse specialis? Resp. affirmative, ita ut sufficiat, si alicui concedatur licentia ad quoscumque casus, ad quos Superior potest eam præbere, ut expresse habetur in dicto *c. Periculoso*, ibi : *Nisi speciali licentia etc.* Dicit tamen *de Alexand. c.* 5. §. 2. *q.* 5. *cum Miranda*, hoc non obstante, validam esse licentiam generalem, ut omnes Medici, Bajuli, et similes ingrediantur, quia licet sit generalis quoad personas, est tamen specialis quoad ingressus : Sed huic minime acquiesco, quia censeo textum præfatum, et Concilium exquirere licentiam specialem, non tantum ut Superior sciat ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, nimirum an ingressuri sint viri probi, maturæ ætatis, et similia. Bene tamen poterit Prælatus generaliter committere Abbatissæ, vel Confessario, aut alteri viro prudenti facultatem concedendi licentiam aliis ad ingrediendum, ut dicetur in sequendi Dubio in fine.

224. Dubitatur 5. A quo debeat concedi licentia ingrediendi Monasteria Monialium? Si Mo-

nasteria sint Episcopo subjecta, certum est ipsi competere jus concedendi licentiam, *auctoritate propria*, *delegata* vero, si Monasterium immediate subsit Summo Pontifici, ut in Trid. *sess.* 25. *c.* 5. Idem probabiliter docent *Sanch. Dec. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 30. *et Bon. de Claus. q.* 4. *p.* 2. *n.* 2. *cum aliis* de Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem in aliqua Diœcesi, et de Vicariis Generalibus Ordinum Militarium, quia hi sunt vere Ordinarii, aut saltem nomine Ordinariorum comprehenduntur, ut probat idem *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 29. *num.* 35.

An autem possit hanc licentiam dare Vicarius Generalis Episcopi? Negant *de Alexandro cap.* 7. §. 2. *quæst.* 2. nisi de hoc habeat speciale Episcopi mandatum; et idem sentit *Barbosa All.* 102. *n.* 38. citans *Bonac. loc. supra citato*, sed ibi hoc *Bonacina* non dicit: Unde satis probabiliter docet *Sanch. Dec. d. n.* 30. *cum Navar. et Llmas*, quod in Monasteriis subjectis Episcopo Vicarius Generalis bene potest licentiam concedere sine speciali mandato. Idque probatur 1. Motu proprio S. Pii V. incipiente, *Decori*, dum ibi Pontifex explicuit, *Episcopum, aut alium loci Ordinarium*; Vicarium autem Generalem Episcopi bene dicitur Ordinarius, et nomine Ordinarii jam compredenditur in omnibus Decretis, ut probat idem *Sanch. eadem D.* 29. *de Matrim. n.* 10. *et* 35. Probatur 2. ratione, quia Episcopus in Monasteriis ei subjectis procedit auctoritate ordinaria, Vicarius autem Generalis (ut probant *Fagnan. lib.* 1. *in c. Quoniam in Offic. deleg. n.* 15 *cum Imola, Cardinal. etc.* et idem *Sanch. d. D.* 29. *n.* 16.) potest omnia quæ potest Episcopus de jurisdictione ordinaria, quia cum Episcopo

unum facit Tribunal. Secus vero dicendum de iis quæ potest Episcopus de jurisdictione delegata, unde recte subdit *Sanch. Dec. eod. n.* 30. in Monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis Vicarium Generalem non posse dare licentiam sine speciali mandato Episcopi.

Vicarius autem Capituli Sede vacante potest utique concedere licentiam in Monasteriis Episcopo subjectis, quia succedit in omnia quæ competunt Episcopis de jure ordinario. Sed difficultas est, an possit etiam in iis quæ subduntur Sedi Apostolicæ? Affirmat *de Alexand. cap.* 6. §. 2. *q.* 2. *cum Mol. Pal. Barbos. et Tamb.* quia talis jurisdictio ex delegatione Sedis Apostolicæ in perpetuum committitur muneri Episcopali, unde cum ipsa competat Episcopo de Officio, bene transit in Capitulum, sive ejus Vicarium. Hanc rationem non approbat *Sanch. d. n.* 30. Attamen id alia ratione etiam concedit, quia (ut ait) Concilii mens est ut Capitulum bene possit dare licentiam, ne Monasteria remaneant absque Prælato, ad quem pro licentia recurrant.

Major difficultas est, a quo sit concedenda licentia, si Monasterium Regularibus subsit? *De Alexand. cap.* 7. §. 2. *q.* 1. propugnat licentiam esse impertiendam tam a prælato Regulari, quam ab Episcopo, afferens de hoc Decretum S. C. Concilii editum 13. Novembris 1610. Sed probabilius docent *Fagnan. lib.* 5. *in cap. Nuper de Sent. exc. num.* 17. *Bon. q.* 4. *p.* 2. *n.* 3. *cum Rodriq. Graff. et Miranda, Croix lib.* 4. *n.* 76. *cum Pal. et Piasec.* ac *Barb. All.* 102. *n.* 41. (asserens oppositum Decretum ejusdem S. C. Concilii ab ipso visum, editum eodem anno quo ipse scribebat, nempe circiter annum 1628. *ac Sanch.*

Dec. lib. 6. *cap.* 16. *num.* 13. *cum Azor. Manuel., Llmas, et Navarro*, qui (ut refert *Sanch.*) testatur etiam declaratum fuisse a S. Pio V. nempe quod licentia concedi potest et debet a solo Prælato Regulari, scilicet a Generali, aut Provinciali) vel etiam ab immediato Superiore Monasterii, ut sentiunt *Sanch. num.* 15. *et Bonac. l. c. cum aliis* ab eo citátis, contra *de Alex. l.* 5. *qu.* 2. *et Suar.* ab eo citatum). Ratio, quia Tridentinum prohibet ingressum, *sine Episcopi, vel Superioris licentia*; ergo loquendo disjunctive, declarat licentiam posse respective concedi vel ab Episcopo, vel a Prælato Regulari, prout cui Monasterium subest. Bene tamen advertit *de Alex. d. q.* 2. ex Decreto S. C. 21. Maji 1630. approbato ab Urbano VIII. licentiam concedendam a solo Episcopo, etiam quoad Monasteria exemta, ubi talis viget consuetudo.

Abbatissa autem nequit de jure ordinario hanc licentiam dare, ut dicunt *de Alexandr. c.* 7. §. 2. *q.* 2. *et Sanch. n.* 22. *cum Nav. Azor. Man. etc.* contra aliquos ibi citatos *n.* 21. Bene vero Episcopus potest delegare Abbatissam, vel Confessarium, aut alium prudentem virum, ad hanc licentiam concedendam, ut addunt *Bon. p.* 2. *n.* 5. *de Alexand. l. c. Sanch. n.* 23. *cum Nav. Man. et Graff. ac Barbos. l. c. n.* 53. contra *Suarez.*

225. Dubitatur 6. Quæ causa requiratur ad hanc licentiam concedendam? Resp. Ad licentiam impertiendam non sufficit quidem quælibet causa, sed requiritur necessitas, ut præscribit *Trid. cap.* 5. *sess.* 25. illis verbis: *Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.* Necessitas autem hæc debet esse ex parte ipsius Monasterii, quia ad

ipsius Monasterii solam utilitatem permittitur ingressus; non enim sufficit si sit tantum ex parte extraneorum, nisi jus naturale aut Divinum aliud suadeat, ut ex communi dicunt *Bon. q. 4. p. 4. n. 8. et Alexand. c. 7. §. 3. q. 2.* ex Declar. S. C. die 9. Sept. 1611. Unde ait *Diana p. 3. tr. 3. R. 30.* ex alio Decr. S. C. non effugere excommunicationem uxores, quæ adhuc cum licentia Ordinarii intrarent Monasterium causa adulterii, vel dissensionis cum viris, cum S. C. raro hanc licentiam concedat. Et sic pariter nec valet licentia ad collocandam in Monasterio aliquam feminam, ne redeat ad vomitum, ut *de Alex. l. c.* ex alio Decr. S. C. 18. Aug. 1588. Neque ad docendam Monialibus artem, nisi quando in Monasterio nulla adesset alia perita; *præfatus de Alexand.* ex alio Decr. S. C. 11. Mart. 1586. Notant tamen *Pignatel. t. 7. Con. 47. n. 42.* et ipse *de Alexand. ibid.* ex S. Congr. bene posse Ordinarium dare licentiam intrandi puellæ, de qua controvertitur, ut in Monasterio ad tempus maneat, donec lis terminetur.

Talis vero necessitas ex parte Monasterii, non stricte, sed late sumitur, intelligitur enim necessitas moralis, nempe cum intervenit quævis causa rationabilis, sive probabiliter justa; ita *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 4. Bon. q. 4. p. 4. n. 2. de Alex. c. 7. §. 3. q. 1. cum Delbene, et Barb. All. 102. n. 48. cum Miranda, Portel. et Campanile.* Dicitur, *causa probabiliter justa*, nam dubie justa non sufficit ut recte advertunt *ib. Sanch.* et *Barbos.* qui insuper (contra *Bon.*) censet minorem causam requiri pro ingressu feminæ in Monasterium Monialium, quam viri: et pro ingressu diurno, quam nocturno, et pro ingressu consanguineæ,

quam extraneæ: et pro ingressu in priora receptacula, quam in interiora. In necessitatibus autem urgentibus, quæ moram non patiuntur, et alias grave damnum immineret, non requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiæ, et similium, quia lex humana in tanto discrimine non obligat, ut recte docent *Sanch. num.* 34. *et de Alexand. c.* 7. §. 2. *q.* 6. *cum Nav. Graff.* et communi. Hinc potest quivis Sacerdos in casu repentinæ mortis ingredi ad ministrandum Moniali Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, et etiam extremæ Unctionis, ut probabiliter ait *de Alexan.* Et tunc ne Abbatissæ quidem licentia requiritur, ut etiam probabiliter censet idem *de Alexand. q.* 7. *cum Nav. Graf.* et aliis pluribus (contra *Sanch. n.* 36.), quia tunc licentia rationabiliter præsumitur concedi immediate a Papa. Excipe nisi Abbatissa habeat generalem facultatem a Prælato præbendi licentiam.

226. Hic autem notandum, quod medicus non potest ingredi nisi ex licentia renovata in singulis trimestribus, ut ex Decret. Sacr. Congr. edito die 27. Mart. 1588. (vide *de Alexand. cap.* 7. §. 5. *quæst.* 1.). Necnon debet associari a duabus Monialibus senioribus; et intrare solus nisi infirmitas sit valde gravis. Medicus autem non potest ingredi sub initio Quadragesimæ ad cognoscendum, quæ Moniales sint dispensandæ, quia hoc bene potest præstari ad crates, *de Alexandr. ibidem quæst.* 2. Posset tamen ingredi ad invisendam Monialem decumbentem in lecto, et dubitantem an febri laboret, licet posset ipsa sine gravi damno accedere ad januam, si illuc renueret ire ob erubescentiam. Ita *Bon. quæst.* 4. *p.* 4. *n.* 5. *et de*

Alexandr. d. quæst. 2. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum Monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium; *de Alexand. quæst.* 3. *cum Barchio.* Chirurgus potest quidem intrare ad secandam venam, et etiam Pharmacopola ad docendum (si opus sit), quomodo medicamentum sit parandum; *Sanch. lib.* 6. *c.* 16. *n.* 59. *et de Alexandr. quæst.* 4. Factores, Notarii, et similes etiam ingredi possunt, si necessitas urgeat, puta ad judicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in Archivio, ad faciendum testamentum puellæ, *de Alexandr. quæst.* 5. Sic etiam ingredi possunt ex licentia fabri, hortulani, fabricatores, puteari, putatores, molitores, et similes, qui artem suam non possint extra commode exercere: Item bajuli ad ferenda, quæ a Monialibus ferri non possunt. Si autem licentia nominatim sit data pro uno bajulo, isto deficiente, non potest alius substitui, nisi licentia esset indeterminata, v. gr. *ut bajulus ingredi possit*; ita *Alexandr. qu.* 7. *Sanch. c.* 16. Admittit etiam *Sanch.* Sartores, si extra non possent commode aptare vestes; et consentit *Cassian.* si adsit usus; Sed merito id negant *Bon. q.* 4. *p.* 4. *n.* 11. *et Pal. D.* 4. *p.* 10. §. 3. *n.* 11. An autem, concessa licentia pro magistro artis cum discipulo, possit ingredi, vel immorari discipulus sine magistro? Negat *Barchius apud de Alexandro* §. 5. *q.* 8. Nisi ex aliquo impedimento magister non potuerit ingredi, aut immorari. Affirmant vero alii, et *de Alexandr.* putat probabile, quia dictio *Cum* æquivalet dictioni *Et.* An autem possint admitti in Clausuram infantes nondum doli capaces? Affirmat *Barb. cum Nav. Azor. Bon. com. etc.*

quia prohibitio principaliter afficit ingredientes: cum ergo infantes non ligentur præcepto ob carentiam usus rationis, nec etiam Moniales. Attamen S. C. sæpius declaravit oppositum: vide *de Alexandr. quæst. XI. l. c.* Et tanto magis hoc dicendum de amentibus, ex quibus insuper potest facile timeri periculum scandali.

227. Confessarius vero ingredi potest ad ministranda Sacramenta Pœnit[illegible] Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis Moniali ægrotanti, quæ ad confessionale non potest accedere; Et non solum in periculo mortis, sed quoties ex præscripto Regulæ dispensatur Communio: Item quoties illa Monialis communicare consueverit; ita communiter *Bon. q. 4. p. 4. num. 4. Barb. All. 12. n. 49. et de Alexandr. cap. 7. §. 6. qu. 2. cum Sanch. Rodr. et communi*, ex Declar. S. C. debet autem confessarius ingredi indutus superpelliceo, et stola, atque sic ibi morari; debetque egredi, quin ad aliam Monasterii partem se divertat, etiamsi esset ad visitandam aliam infirmam, quæ tamen non indigeat Sacramentis; *de Alex. q. 2. et Barbosa d. n. 59.* Confessarius sæcularis intrare debet sine socio, ut S. C. declaravit; Regularis vero debet habere socium probatæ vitæ, et maturæ ætatis, ex Bulla Alexandr. VII. Dum autem confessarius confessionem audit, debent assistere Comitatrices ad januam, ita ut eum videre possint; vide *de Alex. ibid.* Potest etiam confessarius ingredi, et pernoctare in Monasterio, si Monialis laboret in extremis; *De Alexandr. §. 6. q. 3.* ex Declar. S. Congr. Potest etiam ingredi confessarius ad benedicendum Monasterium a Spiritibus infestatum; *de Alexand. cum Nav. Nald. ex Declar. S. Congr.* An

autem ad exorcizandam obsessam, S. C. die 10. Novembris 1582. annuit posse, si Sacerdos sit probatæ vitæ; Sed postea 1. Julii 1606. id prohibuit, et dixit potius impetrandam esse a S. C. licentiam, ut Monialis illa exorcizetur in Ecclesia exteriori Monasterii, vide *de Alexandr. ibid. q.* 5. Potest etiam confessarius post Sacramentum collatum dare Reliquiam ad osculandum, benedicere cellam, etc. et etiam tunc de aliquo negotio temporali loqui; ita *de Alexan. c.* 7. §. 6. *q.* 9. Probabiliter dicunt plures *de Alex. q.* 10. ex *Glossa in c. Decret. verb. Debet, de Reg. Jur. in* 6. quod si confessarius extraodinarius, ingrediens cum licentia data pro una vice, non possit Confessionem excipere, vel perficere propter morbum, poterit postea iterum ingredi sine alia licentia; Et idem dicunt, si Monialis confessa statim advocet confessarium egressum, ad dicendum peccatum oblitum, cum illud spectet ad idem judicium. Præterea sentit *de Alexand.* quod confessarius, postquam Confessionem Monialis infirmæ audierit, bene potest aliquod novum ædificium Monasterii benedicere, et etiam deferre cuidam aliæ infirmæ quamdam insignem Reliquiam; sic etiam, ait posse ob aliquam justam causam immorari in Monasterio ad breve tempus ad intuendas Officinas, et ad tractandum aliquod temporale negotium.

228. Dubitatur 7. an qui est ingressus Monasterium cum licentia, incurrat excommunicationem, aut graviter peccet, si finito negotio statim non egredietur? Resp. 1. Non incurrit censuram, licet ipse multum immoretur, quia Clausura tum solum violatur, cum sine licentia usurpatur ingressus; ita *Sanch. Dec. l.* 6. *a.*

16. *n.* 60. *Bon. q.* 4. *p.* 5. *n.* 22. *et Bordon. de Zerola apud de Alexand. c.* 7. §. 3. *q.* 4. et hoc ait *Sanch. l. c.* (contra *Rodriq.*) procedere etiamsi quis immoretur ad malum finem, quia hic jam est cum licentia ingressus, ut Concilium permittit. Sed *Bon. l. c.* censet quod esto hic non incurrat excommunicationem Tridentini., incurrit tamen excommunicationem Papæ reservatam in Decreto S. C. edito jussu Clementis VIII. die 22. Novemb. 1622. ubi excommunicantur omnes *violantes Clausuram ad malum finem*; hunc enim ait jam violare Clausuram immorando cum prava intentione; sed huic responderi potest, quod cum agatur de pœnis, violatio illa stricte intelligenda est, prout intelligit Concilium, nempe de ingressu et egressu sine licentia.

Resp. 2. E contrario non excusatur a peccato mortali, si mora sit longa, quia delinquit adversus obligationem Clausuræ: Secus si mora sit brevis, cum in hoc præcepto non immorandi bene admittatur parvitas materiæ; ita communiter *Sanch. et Bon. ll. cc. ac Barbos. All.* 102. *n.* 56. *cum Miranda, et Rodriq.* Immo *Sanch. ib. ac Molin. Rodr. et Miranda apud Bon.* dicunt eum qui parum immoratur excusari etiam a veniali, tum quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratæ conscientiæ; tum quia, cum hoc præceptum sit morale, morali modo accipiendum est. In hoc autem brevem moram censet *Diana p.* 3. *tr.* 2. *R.* 51. *cum Villal.* esse quadrantem.

Dubitatur 8. an incurrat excommunicationem qui ingreditur cum licentia, et ex causa justa, sed simul cum intentione prava? Sentit *Bonac. Dub.* 4. *p.* 5. *n.* 18. esse probabile quod hic

incurrat, quia non præsumitur Superior in eo casu licentiam concessisse. Sed oppositum tenet *de Alexandro cap.* 7. §. 3. *qu.* 5. et merito id probabile censet ipse *Bon. cum Rodriq. et Zerola*, quibus adhæret quoque *Sanch. lib.* 6. *c.* 16. *n.* 68. *et cap.* 17. *n.* 28. quia censura fulminatur tantum in ingredientes sine licentia, non autem in eos qui cum licentia intrant etsi cum malo fine; pœnæ enim stricte sunt intelligendæ, et prava intentio non tollit primam ingrediendi causam, propter quam data est licentia.

229. Moniales autem clausuram violantes, necnon alii concedentes illis violare; sive eas comitantes, aut receptantes, pariter excommunicationem papalem incurrunt, Const. S. Pii V. quæ incipit, *Decori*, edita 1. Febr. 1569. *apud Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 11. *n.* 35. ubi contra excusatur egressio, si adsit justa causa, nempe (ut ibi dicitur) *magni incendii, vel infirmitatis, leprœ, aut epidemiæ.* Nomine autem *Epidemiæ* declaravit S. Congr. *apud Alexandr. c.* 7. §. 9. *q.* 2. intelligit tantum veram et realem pestem. Sed dicunt *Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 2. *Holzm. t.* 1. *p.* 480. *n.* 592. *et Sanch. l. c. n.* 35. *cum Nav. Manuel, et Cenedo*, venire non solum morbum vere pestilentem, sed quemcumque morbum contagiosum, qui alios inficere soleat, prout est morbus S. Lazari, ignis sacri, et similium, casu quo Monialis infirma non possit curari in Monasterio sine periculo infectionis aliarum. Idque inferunt ex *cap. Periculoso de Statu Reg. in* 6. ubi prohibetur egressus Moniali, *nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non possit cum aliis sine gravi periculo seu scandalo commorari:* E converso recte ajunt *Bon. l. c. n.* 18. *cum*

Rodriq. Zerola, *Gutt. et Cord. ac Barbos. All.* 102. *n.* 20. *cum Miranda*, *Sorbo*, *et Cenedo* (contra *Nav. Azor. Suar. et Graff.*) non sufficere ad egrediendum infirmitatem gravem sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in Const. S. Pii; tum quia alias magnum sequeretur damnum Clausuræ, cum tales morbi in Monasteriis sint frequentes. Docent autem *Sanch. c.* 15. *num.* 60. *et* 61. *et Bon. n.* 21. Monialem, finita curatione, aut cessante causa egressus, statim teneri reingredi: Illud tamen *statim* recte dicunt intelligi moraliter; unde excusant Monialem a mortali, si moretur extra per unum vel duos dies. Item ait *Sanch. c.* 16. *n.* 69. illam non incurrere excommunicationem, si extra commoretur, quia ipsa jam egressa est cum licentia. Quamvis autem in *c. Periculoso*, fiat mentio de sola causa incendii, etc. ut supra, bene tamen ajunt *Sanch. c.* 15. *n.* 37. *et* 44. *Bon. n.* 6. *et* 7. *ac de Alexand. c.* 7. §. 9. *qu.* 2. *cum Nav. et Barb.* sufficere ad egrediendum causas similes, ut bellum imminens, inundatio fluminis, aut ædificii ruina. Quando vero patet aditus et tempus, nempe si periculum patitur moram, requiritur omnino ex præfata Bulla S. Pii V. ad egrediendum licentia in scriptis ab Episcopo, et etiam a Prælato regulari; si Monasterium sit exemtum, cum ibi dicatur: *Sitque causa hæc cognita, probata, atque in scriptis expressa per Superiores, et simul per Ordinarium.*

An autem incurrat excommunicationem Monialis egrediens extra Monasterium ad unum tantum pedem? Negant *Graff. Nald. Meroll.* et adhæret *Croix l.* 4. *n.* 85. *et l.* 1. *n.* 673. si statim redeat. Sed probabilius affirmant *Bon. q.* 1. *p.* 8. *n.* 6. *et Sanch. l.* 6. *c.* 16. *n.* 70.

Valde tamen rationabiliter excusanda est cum *Sanch.* Monialis, quæ non egreditur toto corpore extra Clausuram, ut dicunt *Sanch. et Bon. ll. cc.*

Notandum hic ex Decreto Clementis VIII. (apud *Pelliz. c. 7. q. 7. n. 22.*) unamquamque Monialem debere solam dormire, ideoque tot cellas in unoquoque Monasterio faciendas esse, quot ibi degunt Moniales. Idem declaravit S. C. Episcop. et Regular. *apud Ferrar. Bibl. t. 5. v. Moniales art. 2. n. 7.* Sic etiam S. C. Episc. et Regular. *apud eumdem Ferrar. l. c. art. 1. n. 5.* pluries statuit Puellas commorantes in Monasteriis Monialium causa educationis debere habere locum separatum a Monialibus pro earum dormitione, sicut et pro operibus.

230. Hæc quoad Clausuram Monialium. Adest autem alia excommunicatio Papæ reservata contra mulieres violantes Clausuram Religiosorum, lata a S. Pio V. in Bulla *Regularium*, an. 1566. et in alia Gregorii XIII. *Ubi gratia*, *edita* 13. Jun. 1575. quas referunt *Bon. de Claus. q. 5. p. 3. n. 1. Salm. tr. 15. c. 5. n. 176. et Sporer t. 3. p. 100. n. 159.* Hancque excommunicationem incurrunt non tantum feminæ quæ prætextu facultatum prætendunt ingredi in Monasteria virorum vel mulierum, ut declaravit Gregorius XIII. sed etiam illæ quæ sine tali prætextu conventus virorum ingrediuntur, ut per aliam Bullam editam die 16. Jul. 1570. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, idem S. Pius V. declaravit, dicens: *Declaramus fuisse et esse mentem nostram, quod dictæ litteræ non solum comprehendant mulieres habere prætendentes Indultum ingrediendi Monasteria, sed etiam quascumque alias, tam in genere quam in specie etc.* et ita communissime et recte tenent *Pal. tr.*

16. *D.* 4. *p.* 8. *n.* 1. *Suar. de Rel. t.* 4. *tr.* 8. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 9. *Bon. l. c. Nav. c.* 27. *n.* 105. *et Salm. l. c. n.* 176. *cum Lez. Pell. Garc. etc.* (contra *Laym. Delb. etc.*). Idemque docet *Sanch. Dec. lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 79. qui cum *Suarez* dicit, quod Auctores ideo contrarium tutati sunt, quia non legerunt præfatam Declarationem S. Pii V. Neo obstat id quod objiciunt *Laym. et Delbene apud Salm. num.* 195. nempe quod cum Gregorius XIII. innovaverit solam priorem Const. S. Pii V. *Regularium*, faciendo tantum mentionem de feminis prætextu facultatum ingredientibus, videtur secunda Const. S. Pii *Romanum Pontificem*, vel non fuisse promulgata, vel non recepta. Nam respondetur, ex eo quod præfata secunda constitutio fuit posita in Bullario S. Pii, et ex praxi atque stylo S. Pœnitentiariæ satis ostendi, quod præfata secunda Constitutio jam fuit promulgata, et usu recepta. Et hic insuper notandum, quod ex Bulla Gregorii, *Regulares*, præsertim Superiores, præter pœnas suspensionis a Divinis, et privationis Officiorum, ac inhabilitatis ad alia, latas in Bulla S. Pii, incurrunt etiam excommunicationem, si ingredi faciunt, vel permittant mulieres prætextu facultatum in eorum Monasteria. An autem Regulares admittentes feminas ingredientes sine prætextu incurrant excommunicationem? Negat *Fill. tr.* 15. *cap.* 5. *q.* 7. *n.* 119. ac *Bon. p.* 3. *n.* 2. putat probabile quia S. Pius jam declaravit mentem suam, quod in prima Bulla comprehendebantur mulieres intrantes etiam sine prætextu, sed Gregorius hoc non declaravit.

231. Excipiuntur tamen ab hac prohibitione I. Reginæ, Electrices, et similes, earumque filiæ, ut docent *Suarez de Censur. D.* 22. *sess.*

6. *n.* 12. *Sanch. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 9. *Bon. q.* 4. *p.* 2. *n.* 5. II. Fundatrices, quæ fundum concesserunt, vel situm Monasterii, vel propriis sumtibus illud ædificare fecerunt, aut redditibus dotaverunt: quibus insuper remittitur decens comitatus aliarum; *Sporer l. c. et Elbel n.* 650. Hoc tamen declaravit regnans P. Benedict. XIV. in Bulla *Regularis*, (quam reperies in calce Libri) intelligi, dummodo habeant privilegium a Sede Apostolica in forma Brevis, illudque exhibeant locorum Ordinariis; vel Præsulibus Monasterii. III. Feminæ necessariæ ad curationem alicujus Religiosi (intelligendum cum licentia Superioris): vel quæ fugerent ad evitandam necem, *Sporer*, *et Elbel ll. cc.* Nomine autem *Conventus*, dicunt *Pal. tract.* 16. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 6. *et Elbel. p.* 642. *cum Sanch. Laym. et aliis*, non venire domos privatas, seu Residentias, ubi unus vel alter Religiosus habitare consuevit, quia hæ nequeunt dici conventus. Nec venire domos addit *Elbel*, ubi Religiosi degunt causa ædificandi Monasterium, nisi ubi sufficientia sint habitacula, ita ut Communitas regulariter jam vivere possit. Ceterum ait idem *Elbel. n.* 671. quoad modum servandi Clausuram, attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate Superiorum approbatas: non autem eas, quæ potius abusus, et corruptelæ dicendæ sunt. Dicunt autem *Barbosa*, *Bon. etc.* Sacristias Regularium esse Clausuram; sed *P. Ferraris* (*Bibliotech. verb. Conventus*, *num.* 14.) asserit praxim fere undique esse contrariam.

232. Hic autem refert plura adnotare circa prohibitionem indictam in Jure, et in casu reservato in Diœcesi Neapolitana, viris colloquendi cum Monialibus. Pro hac sciendum quod in

Concilio Lateranensi anno 1179. ut habetur in *cap. Monasteria*, *de Vita*, *et Honest. Cleric.* latam fuisse excommunicationem ferendæ sententiæ ab Episcopo contra Laicos, et suspensionem in Clericos frequentantes Monasteria Monialium, his verbis. *Monasteria Monialium, si quisque Clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumserit, per Episcopum arceatur; et si non destiterit, ab Officio Ecclesiastico reddatur immunis; Si Laici, excommunicationi subdantur.* Per quot autem vices hæc frequentia constituatur, Glossa in *cit. c. Monasteria*, censet constitui per duas vices, scil. in uno die, vel duobus continuis, ut dicit *Gratianus*. Verum communius *Navarrus*, *et Manuel*, putant constitui per tres vices in tribus diebus continuis, ut etiam *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 16. *n.* 22. *et Bon. de Claus. t.* 1. *q.* 3 *p.* 2. *n.* 4. vel per unam vicem singulis mensibus, ut iidem *Sanch. et Bon.* aut quater in eadem hebdomada, ut ait *Bon.* qui contra addit cum *Nav. et Manuel. apud Sanch.* non constitui frequentiam; si sit quater in anno, sive semel in trimestri. In hoc tamen ultimo casu dicit *Barbos. All.* 102. *n.* 70. posse Episcopum excommunicare accedentes, si velit.

Circa autem Regulares ipsis jam prius specialiter interdictus fuerat accessus ad colloquendum cum Monialibus in VIII. Synodo an. 787. ut habetur in *c. Definimus* 21. *Caus.* 28. *qu.* 2. ubi: *Adulterium intercipi, si habeat aditus Monachus ad Monacham secreto singulariter ad collocutionem.* Præterea, in Decreto S.C. edito jussu Sixti V. an. 1590. Regularibus colloquentibus cum quibuscumque Monialibus, sive sui, vel alterius Ordinis, vel cum qualibet muliere in Monasterio degente, imposita est pœna pri-

vationis Officii, vocis activæ et passivæ, ipso facto incurrenda. Confessariis autem Regularibus fuit interdictum, in ædibus Monialium Monasterio contiguis pernoctare, aut facere ut alii pernoctent, vel alias secum retinere; item ne in iis cibum sumant extra tempus Confessionum generalium. Et hæc lex verius obligat sub mortali, ut docent *Bon. q* 3. *p.* 4. *num.* 4. *cum Sayro*, *Homob. et Barchio*, *ac Ciera D* 6. *n.* 26. *v. Verum*, *cum Potestà*, *Verricel. Donato*, *Lamas*, *et Manuel* (contra *Nav. et Palaum*) ex Decreto S. C. Conc. edito 1. Jul. 1626. ubi declaratum fuit, Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam præfati Decreti editi mandato Sixti V. *ultra pœnas incurrere etiam pœnam peccati mortalis*. Item hic notandum quod in præfato Decreto Sixti V. dictum fuit, Regulares tantum a S. C. impetrare posse licentiam ad colloquendum cum Monialibus; sed eadem S. C. Conc. in alio Decreto (in extensum relato a *Bon. q.* 3. *p.* 4. *n.* 4. et a *Ciera D.* 6. *n.* 26.) de mandato Urbani VIII. 20. Nov. 1623. concessit *locorum Ordinariis*, *ut*, *quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire*, *licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuique Regulari*, *ut Moniales sibi in primo et secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas convenire*, *et alloqui possit. Id vero ut nullo modo liceat diebus festivis*, *aut Adventu*, *Quadragesima*, *feria sexta*, *sabbato*, *et vigiliis*: *prædictaque licentia obtenta ab Ordinario*, *et ab alio ad quem spectat eam concedere*, *assignetur Confessario ordinario Monasterii*, *qui penes se retinere debeat*, *isque associet et præsens sit*, *et Auscultatrices de more*, *non aliæ*, *assistant*: *prædictaque licentia pro die et hora certa*, *et in scri-*

ptis concedatur, in librisque Cancellariæ ejusdem Ordinarii adnotetur. Quod si Ordinarii aliter quam servata forma supradicta licentias concesserint vel permiserint, sciant se intentionis SS. D. N. transgressores; Regulares autem pœnis in supradicto Decreto (scilicet Sixti V.) *contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, se noverint addictos, etc.*

Sed postquam hæc scripsi inveni, quod cum apud S. C. Concilii factum fuisset Quæsitum, an Regulares accedendo ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi, peccent mortaliter, etiamsi accedant ex rationabili causa? S. C. die 26. Novembr. 1682. ut habetur apud *Monacell. Tom. I. Append. pag.* 436. respondit, non licere sine licentia Episcopi. Et idem habetur in Bulla *Gravissimo*, edita die 31. Octobr. 1749. a Benedicto XIV. (vide in *Bullar. tom.* 2. *ibi n.* 32.) in qua refertur vetitum fuisse Regularibus a S. C. accedere sine licentia Episc. ad Monasteria Monialium, nec etiam ipsis subjecta. His autem positis videtur hodie Regulares (quicquid alia decreta prius statuerint, quæ in desuetudinem abierunt) licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum Monialibus ex licentia Episcopi.

Hæc præscripta sunt de jure communi; In omnibus autem fere Diœcesibus, et signanter in Neapolitana adest casus reservatus cum excommunicatione *in loquentes sine Archiepiscopi, vel Vicarii Monialium licentia cum Monialibus in Monasteriis etiam exemtis, vel cum aliqua aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur, conjunctis in primo vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod qui facultatem obtinue-*

rit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera et ex professo cum aliis loqui. Insuper (excommunicantur) *ii præsertim qui cum aliqua ex prædictis aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscœnis per verba aut actus impudicos præsentes egerint, absentes vero per litteras aut internuncios. Necnon viri aut mulieres, sive intra sive extra Monasterii vel Conservatorii aut Collegii septa, qui prædictas litteras vel mandata detulerint.*

233. Dubitatur 1. An in tali prohibitione vetetur solus accessus sine collocutione? Affirmant *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 112. et Bonac. de Claus. D. 3. p. 1. n. 3. cum Navarr. et Rodr.* Hinc dicunt prohiberi accessum ad Monasterium, etiam ad inspiciendas Moniales. Sed probabilius *de Alex. c. 7. §. 10. q. 1. ex Januar. et Jordan.* dicit vetari accessum formalem, scilicet cum effectu; Unde accessus prohibitus duo importat copulative, nempe accedere ad locum, et colloqui; sic enim clare colligitur ex *cit. c. Definimus*, in quo simultanee prohibetur *aditus ad collocutionem*; et ex Decretis mox supra relatis editis de mandato Sixti V. et Urbani VIII. ubi semper fit mentio copulative de accessu, et colloquio.

Hinc probabiliter dicunt *Diana p. 3. tr. 2. R. 48. de Alexand. l. c. cum Lez. Tambur. et Januar.* et consentit idem *Bon. l. c. n. 2. cum Graff. et Homob.* (contra *Meroll. et Pasqual.*) per se loquendo, non esse vetitum colloqui cum Monialibus e domo propinqua, quia deficit accessus; Sicut nec etiam scribere, ut *Bon. D. 3. p. 2. n. 5. Mazz. t. 3. p. 534. et de Alex. ib. cum Barbos. Riccio, Tamb. Januar. et aliis.* Sic etiam non prohibetur col-

loqui per nuncium transmissum, *Bonac p.* 1. *n.* 2. *cum Graff. et Homob. ac Mazzott. l. c. cum Quarti*, *Januar. et Diana.* Dixi *per se loquendo*, nam juxta casum reservatum Neapoli, ut bene notant *Ciera D.* 6. *n.* 26. et idem *Mazzotta p.* 523. *v. Nov.* 1. incurrunt excommunicationem etiam qui colloquuntur e domibus propinquis, et etiam qui loquuntur cum Moniali nihil respondente; ibi enim excommunicantur non solum colloquentes, sed simpliciter *loquentes*: Item omnes *absentes*, qui cum Moniali, vel alia degente in Monasterio, vel Conservatorio, *de rebus obscenis egerint per litteras, aut internuncios.*

234. Dubitatur 2. An loquentes per nutus aut signa non obscena, incurrant casum reservatum? Affirmant *Mazzotta t.* 3. *p.* 534. *cum Quarti, Januar. Graff. et Bancio*, quia conceptus bene alteri manifestantur tam verbis quam signis. Sed merito probabile putat oppositum ipse *Mazzotta cum Pelliz. Tamb. et Diana*, nam locutio per signa non est proprie locutio; prohibitiones autem tamquam odiosæ stricte sunt intelligendæ.

235. Dubitatur 3. An sit peccatum mortale semel colloqui cum Moniali? Loquendo de jure communi, *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 16. *n.* 120. *cum Navar.* censet, quod etiam frequenter, et sine justa causa cum Monialibus colloquentes non peccant mortaliter, nisi ipsi post monitionem Episcopi non desistant. At dicunt *Bon. de Claus. q.* 3. *p.* 3. *n.* 1. *et de Alex. c.* 7. §. 10 *q.* 2. *cum Miranda*, *Rodr. et aliis*: ex Decreto S. C. 1. Jul. 1606. quod hujusmodi Monasteria frequentantes, licet non incurrant pœnas nisi post monitionem Episcopi, tamen non excusantur a mortali, quia in Decreto S. C. Concilii (edito ut supra jussu Sisti V.) imponitur pœna valde gravis, quæ non solet imponi nisi pro gravi

culpa. Sed huic responderi potest, id ibi dispositum esse tantum circa Regulares. Loquendo vero de casu reservato in nostra Diœcesi, nulli dubium peccare mortaliter qui adhuc semel per tempus notabile loquitur cum Moniali, ut bene ajunt *Mazzott. pag.* 343. *et Ciera Dist.* 55. *n.* 9. *cum Januar. et Quarti*: ibi enim non frequentatio, sed sola locutio vetita est.

236. Dubitatur 4. An in hujusmodi locutione detur parvitas materiæ? Negant *de Alexand. cap.* 7. §. 10. *quæst.* 3. idque probat ex Decreto S. C. edito 1. Maji 1669. approbato ab Innoc. IX. ubi: *S. Congregatio Concilii Trident. habita notitia quod nonnulli Regulares absque licentia crates Monialium adire et frequentare non dubitent, prætendentes non esse prohibitum per breve tempus etiam ad quadrantem horæ cum dumidio, Moniales alloqui: ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam imgrobans ac damnans, declaravit, Regulares qui ad Monasteria Monialium, quamvis ipsius Regularibus subjecta, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, peccare mortaliter, eosque pœna excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque statutis pœnis posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coërceri.* Ex verbis igitur illis, *per quodcumque modicum temporis spatium*, infert *de Alessandro*, non dari parvitatem materiæ in tali collocutione.

Affirmant tamen communiter *Bon. de Claus. q.* 3. *p.* 5. *n.* 1. *Diana p.* 3. *tr.* 2. *R.* 48. *v. Nota* 6. *Mazzotta p.* 534. *cum Quarti, Veric. et Tamb. ac Ciera D.* 6. *n.* 9. (*cum Januar.*) qui ait parvitatem materiæ ab omnibus in hoc admitti debere: et merito, nam

adhuc in præceptis divinis datur materiæ parvitas, quæ excusat a mortali, nisi (ut communiter DD. tradunt) in qualibet parva materia reperiatur tota malitia culpæ, ut est in perjurio, re venerea, et simonia. Discrepant vero AA. in assignando, qualis sit in tali collocutione parva materia. *Ciera l. c. cum Januar.* censet esse verba, quæ *Merolla ib.* putat esse decem verba. *Diana* autem, *et Mazz.* putant esse spatium unius *Miserere*, et aliquid amplius. Demum *Quarti, et Vericelli apud Mazz.* dicunt esse unum quadrantem. Neque videtur (ut putat *de Alex.*) in Decreto Clem. IX. reprobatam fuisse hanc opinionem; licet enim prohibeatur collocutio per quodcumque modicum spatium, id tamen declaratum est tantum de Regularibus, quibus utique valde strictius vetita est collocutio cum Monialibus. Nec etiam ibi omnino videtur, ut censet *Ciera*, rejectam esse opinionem *Quarti*, nempe quadrantem esse materiam parvam; nam ibi verius non fuit damnata, nisi opinio de quadrante cum dimidio, verbis illis: *Prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio.* Propositio copulative damnata est, scilicet, quod sit breve tempus, etiamsi extendatur ad quadrantem cum dimidio. Si quis autem multoties per plurimos dies colloqueretur cum aliqua Moniali per aliquod tempus continuatum, etiam per se non notabile, difficulter eum excusarem a mortali, et ab excommunicatione: quia tales collocutiones, licet non physice, moraliter tamen conjungi videntur.

237. Dubitatur 5. An liceat colloqui cum Moniali ob necessitatem, vel utilitatem spiritualem sine licentia? Affirmant *Diana p.* 3. *tr.* 2. *R.* 104. *et Lez. Januar. Peyrin. Bord. etc. apud*

Mazz. p. 534. quia non præsumitur Prælatus velle impedire spiritualem Monialium profectum; sicut enim taliter loquens potest colloqui cum excommunicato, ita cum Moniali. Sed negat *Ciera D.* 6. *n.* 8. et isti omnino ipse adhæreo; nam si aliis permitteretur loqui cum Monialibus propter hanc causam boni spiritualis sine licentia, id noceret bono communi, cùm facile plurimi alucinarentur; et ideo bonum commune præferri debet privato. Præterquamquod in nostro casu vix unquam cessat adæquate (nec etiam in particulari) finis prohibitionis, eo quod de facili in tali collocutione subest periculum, quod inter se loquens et Moniales aliquo affectu capiantur, et ipsorum conversatio ex spirituali deveniat carnalis. Hinc recte decrevit S. Congr. die 26. Novembris 1632. (ut refert Benedictus XIV. *de Synod. l.* 7. *c.* 41. *n.* 7.) nullam quamvis honestam et rationabilem causam a gravi culpa excusare Regularem, qui colloquitur cum Moniali.

238. Dubitatur 6. An liceat sine licentia loqui cum Abbatissa? Affirmant *Diana p.* 5. *tr.* 2. *R.* 49. *v. Not.* 3. *et p.* 10. *tr.* 14. *R.* 49. *cum Vidal. et Zambello*, *Pelliz. c.* 5. *n.* 208. *Mazzott. p.* 536. item *Lezzana*, *Tamb. et Januar. apud de Alexand. c.* 7. §. 10. *q.* 5. ac adhæret *Felix Potestas p.* 2. *n.* 1477. quia nomine Monachorum non venit abbas, ut censet Glossa in *c. fin. de Simonia*, et ibi *Panorm. ac Cardin. apud Dian. l. c.* Negant vero *de Alexand. l. c. cum Megala*, *Calderin. et Rotæ Rom. ac Ciera D.* 6. *n.* 11. *cum Graff. et Meroll.* Ratio, tum quia prædicta prohibitio non est odiosa, sed potius est favorabilis, cum ipsa valde prosit spirituali prefectui Monialium; tum quia in Decreto S. C. edito jussu Sixti V. re-

lato *u.* 232. *v.* *Circa autem*, vetatur locutio non solum cum Monialibus, sed cum qualibet persona intra Claustra degente, et in Constitutione Alexandri VII. *Sacrosancti* (*apud de Alexandro d. q.* 5.) prohibetur hujusmodi allocutio etiam cum *Abbatissis*, *Priorissis*, *etc.* Sed his non obstantibus non audeo improbare primam sententiam, præsertim quia Abbatissæ ut plurimum eliguntur ex senioribus et prudentioribus, ipsæque frequentiorem necessitatem habent ratione officii tractandi cum extraneis. Ad decretum autem Alexandri respondet *Potestas l. cit.* illud fuisse particulare pro Urbe Roma, forte ob peculiares causas ibi emergentes. Præterquamquod respectu Urbis ibi expressum est, comprehendi, etiam Abbatissas. Si igitur Pontifex ubi voluit eas comprehendi, illas expressit, ergo ubi non exprimuntur, videntur non comprehendi, alias non erat opus eas exprimere.

239. Dubitatur 7. Quinam eximantur ab hac prohibitione? Eximuntur 1. Conjuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis, ut exprimitur in Casu Neapoli reservato. Putat autem *Ciera D.* 6. *n.* 5. eximi etiam qui sunt consanguinei in secundo et tertio gradu, quia in favorabilibus lata facienda est interpretatio. Sed huic opinioni non acquiesco, nam qui est in secundo et tertio, revera non potest dici esse in secundo; ille enim secundus gradus computatur in Moniali respectu ad stipitem, respectu vero ad colloquentem reipsa est in tertio, juxta regulam a nemine dubitatam, nempe consanguineos tot gradus distare inter se, quot gradibus remotior distat a stipite. Eximuntur 2. qui gravi metu ducti, honeste alloquuntur Moniales, quia in tali discrimine lex Ecclesiastica non obligat; est commune, vide *Ciera n.* 20. Eximuntur 3.

Pauperes et publice quæstuantes, ex usu et ex tacita licentia Superiorum. Et sic etiam famuli deferentes dona, breviterque se expedientes; *de Alexandro c. 7. §. 10. q. 14. et Mazz. pag. 534. cum Pelliz.*

240. Dubitatur 8. An pueri impuberes eximantur a prohibitione loquendi cum Monialibus? Nulli dubium quod ipsi, si essent doli capaces; si talem collocutionem frequentarent, non excusarentur a peccato, cum prohibitio in *cap. Monasteria de Vita, et honest. Cler.* omnes comprehendat: An autem in illis Diœcesibus, in quibus collocutio prohibetur sub excommunicatione Ordinario reservata, impuberes ab ea excusentur? Negat *Graffius.* Sed verius affirmant *de Alexand. c. 7. §. 10. q. 9. cum Bon. Diana*, et aliis, ex *c. Pueris. de Delict. puer.* ubi dicuntur pueri non esse puniendi sicut puberes. Et hoc certum est in Diœc. Neapolit., ubi pueri minores 14. ann. expresse eximuntur a casibus reservatis.

241. Dubitatur 9. An. Regulares colloquentes cum Monialibus incurrant excommunicationem reservatam latam ab Episcopo? Adsunt quatuor sententiæ. *Prima* absolute negat cum *Diana, Lez. Quarti*, et *Merolla apud Ciera D. 6. n. 24.* quia, licet Episcopi circa Clausuram Monialium ex Trident. *Sess. 25. c. 5.* procedant ut Delegati Sedis Apostolicæ; tamen ibi nulla fit mentio facultatis ferendi censuras contra Religiosos. *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenent *Navar. Graff. et Campanil. apud Barbos. All. 102. n. 73.* et cui adhæret *Ciera n. 26.* dicit omnes Regulares, etiam speciali privilegio donatos, incurrere excommunicationem latam ab Episcopo. *Tertia* sententia, quam tenent *Januar. Duard. Fagund. et Riccius*

apud eumd. Ciera n. 25. distinguit et dicit non incurrere, si monasteria sint Episcopo subjecta, quia cum in illis Episcopus procedat Jurisdictione ordinaria, ei non subduntur Regulares; secus vero si sint exempta, quia in his Episcopi procedunt ut Papæ Delegati. *Quarta* demum sententia communior, cui magis adhæreo, et tenent *Sanch. de Matr. l.* 7. *D.* 33. *n.* 23. *Barbos. All.* 103. *num.* 73. *Bon. de Claus. q.* 3. *p.* 4. *n.* 8. *Fagnan. lib.* 4. *in c. Quanto, de Priv. n.* 9. *et de Alexand. c.* 7. §. 10. *q.* 12. cum Decreto S. C. 9. Aprilis anno 1583. aliter distinguit et ait, quod Regulares si habeant speciale privilegium, quod non possint excommunicari aut suspendi ab Episcopis (prout habent Mendicantes ex *Compend. Privileg. v. Exemtio n.* 9. 23. *et* 24. et Religiosi Societatis Jesu ex Bulla Pauli III. anno 1549.) hi non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam; secus vero, si tali privilegio careant. Idque probatur ex Bulla *Inscrutabili*, edita 5. Februarii 1522. a Gregor. XV. ubi sic dictum fuit: *Ad hæc lam sæculares quam Regulares nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, aut circa administrationem bonorum Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectorum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.* Unde infertur quod Regulares speciali privilegio non muniti, bene incurrunt excommunicationem latam ab Episcopo in colloquentes cum monialibus, sive Monasterium sit exemtum, sive subjectum Episcopo; quia etiam in hoc Episcopus procedit contra Regulares tamquam Delegatus Sedis Apo-

stolicæ, alias in eos nullam haberet jurisdictionem puniendi et corrigendi; sicut habere dicitur in Bulla. Secus vero dicendum de Regularibus speciali privilegio gaudentibus; tale enim privilegium hoc importare debet, ut contra eos Episcopus nec etiam ut Delegatus Sedis Apostolicæ possit procedere, quia, cum Regulares ordinarie in aliis sint exemti a jurisdictione Episcopi, quando contra eos Episcopus procedit, semper ut Delegatus procedere debet. Hoc tamen intelligendum, si privilegium post Bullam Gregorii sit concessum, non vero si ante; dum in Bulla dicitur, *nullis privilegiis et exemtionibus tueri se possint, etc.*

242. Dubitatur 10. An peregrini colloquentes cum Monialibus in aliena Diœcesi incurrant excommunicationem ibi reservatam? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia absolute affirmat, et hanc tenent omnes Auctores citati *lib.* 3. *de Voto num.* 332. *in fin.* qui dicunt peregrinum etiam ad breve tempus commorantem in aliquo loco, fieri illius Ordinarii subditum. Eamdem sententiam tenent *de Alexand. c.* 7. §. 10. *q.* 10. *et Ciera D.* 6. *n.* 31. sed aliis rationibus ducti, quæ meo judicio non suadent. *Secunda* vero sententia, quam tenent *Januar. de Casib. reserval. Res.* 34. *num.* 24. *et Donatus in Praxi t.* 4. *de Access. ad Monial. tr.* 6. *q.* 22. *n.* 8. dicit comprehendi Peregrinos, si Monasteria sint exemta, quia in his Episcopi ex Trident. *Sess.* 25. *c.* 5. procedunt ut Papæ Delegati, unde ipsi etiam peregrini subjiciuntur. Secus si Monasteria sint Episcopo subjecta, quia ex eodem Trident. in illis Episcopus procedit jurisdictione ordinaria, cui non subsunt peregrini per breve tempus commorantes, ut tenet probabilior sententia, juxta dicta *l.* 1. *de Legibus*

n. 156. *v. Pro majori. Tertia* vero sententia, quam tenent *Pellizzar. Diana*, et alii *apud Mazz. p.* 536. qui non reprobat, dicit peregrinos brevi alicubi commorantes non incurrere excommunicationem latam ab Episcopo loci, sive Monasterium sit ei subjectum, sive exemtum, propter rationem supra allatam, quia peregrini non tenentur legibus loci. Nec obstare dicunt quod ex Tridentino Episcopi circa Clausuram Monasteriorum exemtorum procedant ut Papæ Delegati; nam hoc habent tantum in ordine ad restrictionem et conservationem Clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Sed huic responso merito contradicunt *Januar. de Casib. reserv. Res.* 34. *n.* 19. *et Fagn. l.* 5. *in c. Quanto de Privil. n.* 15. *et* 16. quia accessus ad colloquendum, juxta sensum Doctorum, spectat ad Clausuram, idque colligitur ex *c. Periculoso de Statu Regul.* (renovato a Trid. *Sess.* 25. *c.* 5.) ubi dicitur: *Nullique ingressus, vel accessus* (nota) *pateat ad easdem, ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatæ omnino servire Deo valeant liberius, et lasciviendi opportunitate sublata eidem corda et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.* Ergo non solum ingressus, sed etiam accessus prohibitio pertinet ad Clausuram, dum etiam accessus præbet Monialibus lasciviendi opportunitatem, eisque obstat ne corda Deo diligentius custodiant. Et ideo Episcopi in Monasteriis exemtis procedunt ut Papæ Delegati, quia ut tales sunt destinati a Trident. circa Clausuram Monialium, prout declaravit S. C. *apud Fagnan. l. cit. n.* 31. His tamen non obstantibus, vide mox dicenda in fine numeri sequentis *vers. Sed quicquid.*

243. Dubitatur II. An Episcopi colloquentes cum Monialibus in aliena Diœcesi incurrant excom-

municationem latam ab Ordinario loci? Non videtur dubitandum, quia ex *c. Periculoso*, *de statu Regul. in* 6. etiam Episcopi prohibeantur a colloquendo cum Monialibus extra suam diœcesim, vel intra cum exemtis, dum ibi dicitur *nullique ingressus, vel accessus pateat ad easdem*. Nullibi enim habetur quod Episcopi, aut etiam Cardinales, sint exemti a communibus legibus ut docet *Bon. de Leg. D.* 1. *q.* 1. *p.* 6. *n.* 35. cum Rot. Rom. et aliis: et hoc dicit cum *Ugolin.* procedere etiam in odiosis. Quoad excommunicationem vero, *Mazz. tom.* 3. *pag.* 534. *in fin.*, *et Diana ac. Graff. apud de Alexand. cap.* 7. §. 10. *q.* 6. negant Episcopos eam incurrere, quia lex non ligat æqualem, ex *c. Cum inferior de Major. et obed.* Sed affirmat *de Alexand. l. cit. cum aliis*, quia Episcopi in alieno territorio censentur privatæ personæ ex *Panorm. Hostiensi*, et aliis, unde ipsi subjiciuntur ac alii eisdem pœnis; et sic *de Alexand.* refert decisum a S. C. *apud Navarr.* die 20. Maji 1619.

Sed quicquid dixerint Doctores præfati, hodie concludendum, tam exteros, quam Episcopos peccare quidem accedendo ad colloquendum cum Monialibus existentibus in aliena Diœcesi, sed non incurrere excommunicationem; nam in Bulla *Gravissimo* Bened. XIV. edita die 31. Octobr. 1749. dicitur, quod tam Episcopi, quam exteri sunt quidem subjecti Constitutionibus Ordinarii loci quoad auctoritatem directam, non vero quoad coactivam; quapropter, licet peccent, non tamen pœnas incurrunt, quia Episcopi, et externi non subjiciuntur auctoritati ordinariæ Episcoporum: *Cum vero* (verba bullæ) *iidem ordinariæ Episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideoque sint im-*

munes a pœnis. Ratio quippe est, quia etsi Episcopi sint Delegati Apostolici circa Clausuram Monialium; eorum tamen jurisdictio est ordinaria, tamquam perpetuo annexa Episcopali officio, juxta dicta *l.* 7. *n.* 694. *Dub.* 9.

Brevis dissertatio super Censuris circa Immaculatam B. Virginis Mariæ Conceptionem.

244. ANte omnia operæ pretium est recensere diversas Bullas a summis Pontificibus super hac materia emanatas.

Et I. Sixtus IV. in sua Extrav. *cum præexcelsa*, quæ habetur in 6. *Decretal. Extrav. Comm. de Reliq. et Vener. Ss.* sic ait: *Cum præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum Virgo Dei Genitrix ... utpote via misericordiæ, mater gratiæ et pietatis, amica humani generis, consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix, et pervigil, ad Regem, quem genuit, intercedit, debitum reputamus universos Christi fideles, ut Omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias et laudes regerant, et institutas propterea in Dei Ecclesia Missas, et alia divina Officia, dicant et illis intersint.* Inde S. Pontifex eis, qui Missam, et Officium hujusmodi in die festivitatis Conceptionis Mariæ, et per octavam dicunt, et illis intersunt, eamdem Indulgentiam impartitur; quam lucrantur in festo Corporis Christi. Idem Pontifex in sequenti Extrav. *Grave nimis, eodem tit.* edita ann. 1483. excommunicationem ipso facto imposuit asserentibus in concionibus, vel alias quomodolibet, esse hæreticos, vel graviter pec-

care, qui tenent B. V. Mariam præservatam fuisse a peccato originali, vel qui celebrant Officium Conceptionis, vel audiunt de hac conciones. Et pariter ibi excommunicantur qui pro veris tenent, vel legunt libros idem, ut supra, asserentes. E converso etiam ibi excommunicantur qui dicunt esse hæreticos, vel peccare graviter tenentes oppositam sententiam.

II. S. Pius V. in sua Bulla 114. edita ann. 1570. incipiente, *Super speculam*, statuit: *Quatenus nemo cujusque ordinis, gradus etc. in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum, et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel DD. auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac quæstione ... vulgari sermone scribere, vel dictare, præsumat. Qui contra fecerit, suspensionis pœnam a Divinis ipso jure incurrat, si fuerit in Sacris constitutus, et quocumque gradu, dignitate, et administratione sit ipso facto privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuo inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius; super quibus nisi a Romano Pontifice dispensari, aut absolvi non possit.* Ceterum additum fuit: *Liceat doctis in publicis Academiæ disputationibus, ubi intersunt qui rem capere possunt, nec scandali substet occasio, de illa quæstione disserere; dum tamen neutra veluti erronea prædicetur.* Insuper S. Pius V. in Festo Conceptionis B. V. mandavit recitari Officium de Nativitate, mutato verbo *Nativitatis* in aliud *Conceptionis*.

III. Paulus V. in sua Bulla 97. emanata anno 1616. (ut refert Illustriss. Episcopus *Torni in Adnot. ad Estium l. 2. Dist.* 3. §. 2.) inter-

dicit sub pœna suspensionis, et aliis contentis in Bulla S. Pii V. mandavit, *ne audeant cujusque conditionis, etc. personæ, in publicis lectionibus, concionibus, conclusionibus, aliisque actis publicis asserere B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.* Ulterius idem S. Pontifex mandavit sub eisdem censuris, et pœnis, *quod negativam opinionem, videl. quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent; nec de ea aliquo modo agant seu tractent.*

IV. Gregorius XV. in sua Bulla 29. edita anno 1622. quam refert *Bon. Tom.* 3. *Disp.* 3. *de Susp. q.* 6. *p.* IV. *n.* 2. prohibitionem extendit, et mandavit omnes sub eisdem pœnis, ut supra, *ut neque etiam in sermonibus, et scripturis audeant asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali: nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei prorsus præjudicium inferre, etc.* Tantum autem ab hoc Pontifice indultum fuit Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut in privatis colloquiis seu conferentiis inter se dumtaxat, et non alios, possint de opinione affirmativa disserere, sine ulla censura.

V. Demum accessit Constitutio Alexandri VII. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, edita ann. 1661. (quam refert illustriss. *Torni in Adnot. ut supra, l. c.*) ubi S. Pontifex sic incipit loqui: *Vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus Animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii humani generis Redemptoris, a macula*

peccati originalis præservatam immunem; atque in hoc sensu Conceptionis festivitatem sollemni ritu colentium et celebrantium. Crevitque eorum, atque hujusmodi cultus post editas a fel. rec. Sixto IV. Prædecessore nostro in ejus commendatione Apostolicas Constitutiones, quas S. Concilium Trident. innovat. Deinde addit: *Aucta rursus, et propagata fuit pietas hæc, et cultus erga Deiparam .... ita ut, accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.* Deinde prosequitur: *Decreta Sixti* IV. *Pauli* V. *et Gregorii* XV. *edita in favorem sententiæ asserentis Animam B. M. Virginis in sui creatione, et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali præservatam fuisse; necnon et in favorem Festi, et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam exhibiti, innovat, et sub pœnis, et censuris in eisdem Constitutionibus contentis observari mandat. Insuper omnes, qui præfatas Constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, et Festo, et cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, seu cultum in disputationem revocare, et aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte quovis prætextu, scripto, seu voce loqui, concionari, tractari, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel contra ea argumenta afferendo, et insoluta relinquendo, aut alia quovis excogitabili modo disserendo ausi fuerint,* præter pœnas in Const. Sixti IV. contentas concionandi, et publice docendi facultate, nec non voce activa, et passiva in quibusvis electionibus ipso facto Pontifex privat. Idem Alexander VII. libros, in quibus præfata sententia, Festumque

seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra eam quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, et disputationes contra contineutur; post Pauli V. Decreta edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibet sub pœnis, et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, atque ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi mandavit.

245. Hinc cum *Bonac. Tom.* 3. *Disp.* 3. *de Suspens. q.* 6. *p.* 4. infertuntur sequentia, et I. Incurrit pœnas inflictas qui diceret defendi posse sententiam affirmativam, scilicet, quod Conceptio B. V. fuerit maculata; vel qui rationes ad eam probandam adduceret, nisi eas produxerit ad illis respondendum, quia hoc non esset agere de sententia affirmativa, sed de pia sententia opposita, ut ejus veritas magis eluceret, ut fusius mox explicabimus.

246. Infertur II. Pœnas etiam incurrit, qui asserit Festum Conceptionis celebrari, quia B. Virgo sanctificata fuit in utero Matris, nam hoc pacto (recte ait *Bonac.*) satis aperte assereret per consequentiam necessariam, Deiparam fuisse in peccato conceptam, et inde sanctificatam; sanctificatio enim necessario privationem sanctitatis supponit. Tanto magis, quod Gregorius XV. mandavit in Missa, et Officio non alio, quam Conceptionis vocabulo fideles uti debere. Insuper Alex. VII. in præcitata Bulla expresse prohibuit frustrari, aut interpretari, vel in dubium revocari ex quoquo modo directe, vel indirecte quovis prætextu favores per dictas Bullas præstitos piæ sententiæ, et Festo secundum eam exhibito. Quam autem esset favor præstitus sententiæ piæ, si Conceptionis nomine posset accipi sanctificatio B. V. in alio instanti, quam

in primo suæ Conceptionis? Et quamvis alias impropriissime acciperetur Conceptio pro sanctificatione; nam ita etiam S. Jo. Baptista, et Jeremia possent dici sancte concepti; attamen hæc etiam impropria interpretatio vetita certe fuit ab Alexandro VII. in sua Const. ut dixi, sub pœnis ibi contentis.

247. Infertur III. Pariter incurrit, cui transcribit sententiam affirmativam, ut indicet ipsum sectari eam; hoc enim esset saltem de illa agere. Infertur IV. Transgrediens ipso facto incurrit suspensionem a divinis, et etiam (ut probabilius tenent *Bonacina* contra alios) incurrit inhabilitatem ed Officia. Recte vero dicit non incurrere privationem Dignitatum, etc. nisi post sententiam Judicis. Infertur V. Pœnæ supradictæ non solum incurruntur a constitutis in Sacris, ut præscribit S. Pius V. sed etiam ab omnibus sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus, ut extendit Paulus et Greg. XV. Infertur VI. ab his pœnis solus Pontifex absolvere potest; et Episcopus, quando delictum est occultum.

248. Quoad tuentes autem sententiam Conceptionis immaculatæ, vetatur quidem eis sub eisdem pœnis sententiam oppositam censurare, et piam sententiam asserere tanquam Dogma fidei. Non autem prohibetur eam rationibus, et auctoritatibus probare; nam licet S Pius V. in sua Bulla (ut supra *n.* II. citata) prohibuerit in popularibus concionibus disputare de alterutra parte hujus controversiæ, rationibus, vel DD. auctoritatibus propriam sententiam asserendo, et contrariam refelleudo; et insuper Paulus V. in alia Bulla relata *n.* III. mandaverit iis qui piam sententiam tuentur, ut aliam opinionem in publicis actibus non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent, quibus verbis viden-

tur hi Pontifices prohibuisse adhuc confutare fundamenta sententiæ oppositæ; attamen dicendum vel quod prædictæ Bullæ quoad hoc non sint usu receptæ, vel quod laudati Pontifices intellexerint loqui tantum de iis, qui pro pia sententia contendunt, ac si de *Dogmatibus esset*, juxta verba quæ S. Pius subdit in dicta Bulla; vel quod vetaverint tantum directe contrariam sententiam impugnare, non autem indirecte argumenta solvendo, vel tandem omnino dicendum, easdem Bullas super hoc puncto moderatas fuisse ab ultima Bulla Alexandri VII. ubi aperte permittitur argumenta solvere contrariæ sententiæ.

249. Quamvis igitur non liceat piam sententiam ut Dogma fidei defendere, licitum tamen nobis proculdubio est, eam veram, et communem asserere cum *Salm. Tract.* 20. *c.* 9. *n.* 12. *Abelly in sua Med. Theolog. de Incarnat. cap.* 7. *Sect.* 3. Immo eam vocare moraliter certam et proxime definibilem de fide, ut tenent *Viva in Q. Prod. ad Trutin.* et in suo *Cursu Theolog. Schol. part.* 8. *p.* 8. *Disp.* 1. *q.* 2. *n.* 7. cum *Velasquez*, *et Sifilino*; ut etiam sentiunt *Raynaudus in sua Pietate*, *Lugduni n.* 29. *Auctor Coronæ Virgineæ Propos.* 102. *Platellius part.* 2. *n.* 353. *Franc. Peyrin. in sua Theolog. Edmundus Simonet in suis Instit. Theolog. Tom.* 1. *p.* 353. *Cardinalis Everardus in suo Exam. Theolog. Lossada in sua Disc. Theolog. super defin. Immac. Concep.* Idem tenet *Duvallius* t. 2. *quæst. ult. de Peccatis*, ubi sic concludit: *Satius puto dicere opinionem nostram esse in apice certitudinis Theologicæ; nihilque ei pro fidei assensu, præter expressam Ecclesiæ definitionem, deesse.*

250. Tot igitur auctoritatibus munitus idem

ego ut minimus assero, et breviter hic probabo. Protestor quidem nullatenus me recedere velle a Pontificiis Decretis, quibus obediens subscribo, sed tantum in meæ Reginæ obsequium hic rationes promovere sententiæ piæ ad mentem alicujus dilucidandam, qui contrarium sentiret. Etenim reapse mihi videtur pia sententia, licet usque adhuc non sit de fide declarata, esse hodie luce meridiana clarior.

251. Omitto eam probare Revelationibus, quas alii afferunt. Scriptum enim invenitur, Beatam Virginem sic revelasse S. Birgittæ *lib.* 6. *cap.* 12. *Tom.* 2. *Omne peccatum Adæ segregatum fuit a me. Et cap.* 49. *Et veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali. Et cap.* 45. *Sed scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit; sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, et quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret in tempore opportuno.* Aliam affert *Caramuel* Revelationem factam a D. Thoma Aquinate Ven. Dominico a Jesu Maria Generali Carmelitarum Excalceatorum, nempe revelatum eidem fuisse, quod futurum esset Concilium, quo immaculata Deiparæ Conceptio definiretur. Hanc autem Revelationem asserunt *Suarez*, et *Vasquez*, qui *disp.* 179. *in* 3. *p. n.* 78. contra eos qui prædictas Revelationes tamquam somnia feminarum super hoc puncto contemnunt, sic subdit: *Revelationes figmenta muliercularum appellare, revera temeritate non vacat.* Et paulo ante dixerat: *Bonaventura cautius de Revelationibus sui temporis locutus est, non audens reprehendere celebrantes hujusmodi Festum propter factas Revelationes. Petrus Canisius* ita quoque scripsit: *Neque tamen aspernemur, si quæ extent Revelationes, quæ bono-*

rum fidem merentur, et Conceptionis doctrinam confirmant, cum scriptum esse sciamus: Spiritum nolite extinguere, Thess. 3.

252. Ceterum piæ sententiæ certitudinem illius fautores non jam intendunt ex his Revelationibus vindicare; firmiora adsunt argumenta ad eam probandam, ut exhinc breviter exponam. Probatur 1. ex Scriptura, et præsertim ex illo (*Cant. 4.*): *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Hic autem textus litteraliter intelligitur de Beata Virgine, et ex eo S. Idelphonsus, ac D. Thomas 3. *p. q. 27. art. 4.* probant immunitatem Deiparæ ab omni culpa actuali. Si ergo ex hoc textu probatur B. Mariam nullam incurrisse actualem culpam, ex eodem etiam probatur nullam incurrisse culpam originalem, alias non esset tota pulchra. Hinc dixit Idiota (*in Contempl. B. V. c. 3.*): *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te.* Item quid significat illud: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, quod dixit Angelus Mariæ? Quid illud: *Benedicta inter mulieres*, quod protulit Elisabeth? Quid illud: *Fecit mihi magna qui potens est*, quod ipsa B. Virgo pronunciavit? Nisi quod ipsa sola benedicta, inter mulieres propter culpam originalem maledictas, inter magna quæ Deus ei contulit, hoc maximum privilegium (utique negatum Angelis, et Adamo) obtinuerit: et divina gratia plena, idest numquam a peccatis labe inquinata, semper Deo amica, et unita, sua gratia fuerit decorata. Hoc enim expressit *S. Aug. Serm. 11. in Natal. Dominicum*, super enunciatis verbis: *Ave gratia plena*, ubi sic S. Doctor dicit: *Quibus ostendit ex integro* (nota hoc *ex inte-*

gro) *iram primæ sententiæ exclusam*, *et plenam benedictionis gratiam restitutam*. Opponunt Adversarii illud *Apostol. ad Rom.* 5. *Omnes in Adam peccaverunt*. Sed respondetur, argumentum probare nimis, quia probaret esse de fide; quod B. Virgo maculata fuisset, quod nemo dicit, nec dicere potest. Itaque Scriptura hæc accipienda est cum exceptione B. Mariæ; in Scriptura enim etiam universaliter asseritur: *Non est homo*, *qui non peccet*. *Paralip. l.* 2. *In multis offendimus omnes*. *Jac.* 3. Et tamen de fide est, ut declaravit *Trid. sess.* 6. *Can.* 23. B. Virginem nullam culpam actualem commisisse.

253. Probatur II. Ex Bullis Pontificum; Sixtus enim IV. in sua Bulla: *Cum præexcelsa*, ut supra, loquens de Conceptione Mariæ: dicit: *De ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione*. Cur mira, nisi Immaculata fuisset? Idem Pontifex approbavit Officium B. V. *Leonardi de Nogarolis*, ubi non semel nominatur *immaculata Conceptio*, et asseritur; *Virginem per merita Christi prævisa ab omni macula præservatam*. Deinde Paulus V. expresse mandavit, ut fideles in Missa, et Officio hujus festi celebrandi, non alio quam Conceptionis nomine uti debuissent; ex quo videtur certum, a Pontifice præcepisse hoc ad omnem æquivocationem tollendam, ne sub nomine Conceptionis sanctificatio Virginis in utero post primum instans, ut Adversarii intelligebant, intelligi posset. Sed maxime urget Bulla Alexandri VII. ut supra *n.* V. enunciata, qua fuit declaratum ab Ecclesia celebrari Festum B. V. non quidem sanctificatæ post primum instans, sed a labe originali in primo instanti suæ Conceptionis secundum piam sententiam præservatæ. Et inde Pon-

tifex prohibet omnem contrariam interpretationem directe vel indirecte quovis prætextu etiam definibilitatis.

254. Probatur III. ex Conciliis. Prætermitto Concilium Basileense, in quo decretum fuit piam sententiam esse tenendam. Quamvis quoad hoc Concilium aliqui non frustra notant, quod etsi Eugenius IV. Illud exauctoravit, tamen (ut ait *Raynaldus*) Concilii decreta, quæ nec ipsum Eugenium, nec auctoritatem Pontificiam tangebant, rata esse voluit. In VII. autem Synodo Generali *act.* 5. sic habetur: *Si quis non confitetur Sanctam semperque V. Mariam proprie ac vere Dei genitricem sublimiorem esse omni visibili, et invisibili creatura, anathema sit.* Quomodo B. Virgo posset dici sublimior omnibus creaturis adhuc Angelicis, si aliquando fœdata fuisset a culpa originali, qua non solum inferior aliquando omnibus Angelis, sed omnino gratiæ expers, et Dei inimica extitisset?

255. Accedit Concilium Trident. quod revera noluit piam sententiam de fide expresse declarare, dum in *sess.* 5. *Can.* 5. tantum dixit: *Declarat tamen hæc ipsa S. Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse Constitutiones fel. record. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Sed hic obiter notandum illud quod testatur *Hieronymus Ormachæa Prolog.* 3. *in Cant.* nempe ipsummet legisse Romæ totam sessionem Tridentini, ubi de hac quæstione tractatum fuit, et fere nullum, qui non esset de familia S. Dominici, contra Immaculatæ Conceptionis sententiam suffragium præstitisse. Addit *Lancisius Tom.* 1. *O-*

puscul. 11. *cap.* 13. *p.* 49. Concilium demum conclusisse, ut declararetur Beata Virgo concepta fuisse sine peccato originali, sed ob istantissimas preces aliquorum Theologorum Sancti Dominici, ut supersederent a Decreto usque ad aliud tempus, Concilium supersedit.

256. Quamvis tamen Tridentinum hoc Decretum tunc omiserit emanare, verum in alio Canone, quem emisit, certam nostram sententiam reddidit. In Canone enim 23. *sess.* 9. sic dixit: *Si quis dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Ex quo Canone certe deducitur Deiparam a culpa originali immunem fuisse; nam, ut bene arguit *P. Coninck* in sua Theol. et *Spinellus* in suo aureo libro de B. Virgine, si certum est juxta Concilium, et de fide, divinam Matrem nullam culpam actualem commisisse, certum consequenter est certitudine theologica, quod ipsa maculam originalem non contraxit. Ratio patet, quia sicut impossibile est, ut qui peccatum originale una cum suo fomite contraxit, expers sit omnis peccati actualis; ita qui nullum peccatum actuale commisit, necessario impossibile est, quod maculam originalem contraxerit, ut docet *S. Aug. l.* 5. contra *Julianum cap.* 9. ubi ideo Christum Dominum nullum peccatum actuale perpetrasse dixit, quia nullum peccatum contraxit originale.

257. Probatur IV. ex SS. PP. falsum quippe est dicere omnes Patres esse pro opposita sententia: *Bellarminus* enim *in Controv. de Amiss. Gratiæ lib.* 4. *c.* 15. *et* 16. probabiliter interpretatur Patres, qui contrarium sentire videntur, et plures refert piæ sententiæ faventes, in-

ter quos bene numerari potest *S. Ambros.* qui scripsit in *Psalm.* 118. ad ultimum versum: *Suscipe me non ex Sara, sed Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. S. Anselm. in c. 12. ad Cor. Omnes mortui sunt in peccatis sive originalibus, sive voluntate additis, nemine prorsus excepto, demta Matre Dei. S. Petrus Damianus serm. de Assum. Caro Virginis ex Adam assumta, maculas Adæ non admisit.*

258. His et aliis accedit sensus communis fidelium; immaculatam enim Conceptionem testatur *Ægidius a Præsentatione de Præserv. Virginis qu. 6. art. 4.* omnes tueri Religiosos Ordines, et ex eodem Ordine S. Dominici, licet sint 92. Scriptores pro contraria, tamen 137. pro pia sententia adsunt, ut quidam Recentior enumerat. Alexander VII. in sua Bulla, ut supra, declarat hanc sententiam celebriores Academias, et Catholicos fere omnes complecti. Quo argumento *Petavius Tom. 5. p. 2. l. 14. c. 2. n. 10.* maxime enititur ad illam probandam, et bene convincit, ut ait doctissimus Episcopus Torni in *Adnot. ad Estium loc. c.* Ex quo enim, nisi ex communi fidelium sensu hauritur certitudo, quod Deipara, saltem ante nativitatem fuerit sanctificata? Ex quo certi sumus, quod eadem B. Virgo in Anima, et corpore fuerit in cælo assumta? Si ergo de his nemo dubitat, quomodo dubitari potest de Conceptione Immaculata, quam Fideles omnes tenent, et defendunt?

259. Opponunt Adversarii auctoritatem S. Bernardi, et S. Thomæ. Sed ex eisdem Sanctis Doctoribus magis nostra sententia valide firmatur; licet enim S. Bernardus in sua *Epist. in Canonicos Lugdunenses* invexisset, quod festum

Conceptionis Deiparæ celebrassent, monens quod Apostolicæ Sedis auctoritatem expectare debuissent (Et ibi addidit bene colendum diem Nativitatis, et Assumtionis B. Virginis, quia sic ab Ecclesia jam fuit acceptum): attamen ex hoc eodem arguitur, ut bene notat *Bellarm. l.* 3. *de Cultu SS. c.* 16. quod si Sanctus Bernardus nunc videret Festum Conceptionis Immaculatæ ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ celebrari, ipse quoque libentissime celebraret.

260. Quod autem ad doctrinam S. Thomæ, revera adhuc incertum est, de qua sententia fuerit S. Doctor; quamvis enim in *Summa* aliud sensisse videatur, tamen in pluribus locis, præsertim in *Epist. ad Gal. c.* 3. *lect.* 6. clare Conceptionem Virginis Immaculatam fuisse censet, ubi scribit: *Mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ a peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima, et omni laude dignissima Virgo Maria.* Clarius in 1. *Sententiarum Dist.* 44. *art.* 3. *ad* 3. sic scripsit: *Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario: et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas Mariæ Virginis, quæ a peccato originali, et actuali immunis fuit.* Quibus verbis (ait Episcopus Torni *loc. cit.*) nimis aperte patet Divum Thomam hoc loco sensisse B. Virginem ab originali culpa fuisse expertem, cum ea verba minime aliam contrariam interpretationem patiantur. In *Summa* autem, etsi *D. Thomas* 3. *p. q.* 27. *art.* 2. *ad* 3. dicat, quod in festo Conceptionis celebratur festum sanctificationis potius, quam Conceptionis Deiparæ; quia tunc temporis dubium erat, de quo festum celebra-

batur, an sanctificationis in utero, vel an Conceptionis in primo instanti. Sed hodie jam est declaratum ex Bulla Alexandri VII. ut diximus celebrari festum non sanctificationis, sed Conceptionis B. Virginis a peccato originali præservatæ. Idem autem S. Doctor in *art.* 1. prædictæ *qu.* ubi tractat, an B. Virgo fuerit in utero sanctificata? Ex ratione, quia Ecclesia jam ex tunc Nativitatem celebrabat B. Mariæ, infert tenendum, ipsam ante Nativitatem sanctificatam fuisse; et cur? Quia, dicit, *Non celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo fuit in utero sanctificata.* Hinc patet, quod si S. Thomas nunc temporis scriberet, quo ab Ecclesia declaratum est secundum piam sententiam celebrari festum B. Mariæ præservatæ a peccato originali in primo istanti suæ Conceptionis, sive infusionis Animæ in corpus, certe aliter sentiret ac scriberet, ut ait *Suarez in comm. art.* 2. his verbis: *Si præsentem Ecclesiæ faciem D. Thomas vidisset, aliter de Immaculata Virginis Conceptione docturus esset.* Idem dicit *Petavius* de D. Thoma. Idem *Gabriel in* 3. *Dist. q.* 1. qui scribit: *Non esse culpandos S. Bernardum, nec S. Thomam, S. Bonaventuram, et ceteros DD. oppositum olim opinantes; quia eorum tempore nulla determinatio Apostolicæ Sedis facta fuit: nec Festivitas illa generaliter tunc fuit per Orbem celebrata.* Idem dicunt plures etiam Dominicani, et signanter *Joannes de Fenario* Doctor Parisiensis, et Magister Generalis Ord. Præd. ut refert *Catharinus.* Idem dicit *Joannes a S. Thoma Tom.* 1. *p.* 1. *Q.* 2. *de Approb. Doctrinæ S. Thomæ*, citans alios Thomistas.

Accedit S. Augustinus, qui disputans de quadam alia doctrina, contra *Cresconium l.* 1. *cap.*

23. eum monet Ecclesiam consulere. Sed nunc non est opus super nostra sententia Ecclesiam consulere, cum jam Ecclesia mandaverit festum Conceptionis immaculatæ juxta piam sententiam celebrari. Et ex hoc maximo argumento, in Ecclesiæ auctoritate fundato, fautores piæ sententiæ recte asserunt nostram sententiam esse proxime de fide definibilem; de Ecclesiæ enim auctoritate loquens *S. Thomas* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. sic docet: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam Augustini, etc.* scribit etiam *Valent. Tom.* 3. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 41. loquens de auctoritate Pontificis. *Circa quæ ad pietatem Religionemque spectant, est infallibilis ejus auctoritas.* Addit *Euseb. Nierenb. in Theoria comp.* 2. *p.* §. 1. quod decreta morum, approbatio sanctitatis, etc. necnon institutiones Festorum, quæ considerantur ab infallibili Capite ordinatæ, ab omni errore excipiuntur. Deinde idem *Eusebius* in Opere *Pathen. de Perpetuo object. Festi*, *c.* 31. refert votum a Cardinale Bellarmino prolatum circa B. Virginis Conceptionem jussu Pauli V. coram S. C. Inquis. Generalis Romanæ, quo Bellarm. ita sensit: « (Si forte non placet tunc ulla formalis definitio, saltem deberet fieri præceptum omnibus Ecclesiis, ut recitent Officium de Conceptione, quomodo recitat Ecclesia; sic enim sine definitione haberet intentum) ».

261. Hinc non satis pie, nec probabiliter quidam Recentior scripsit possibile fore, quod Ecclesia aliquando definiat Conceptionem B. Virginis fuisse maculatam. Dum, ut bene advertit *Vasquez*, minime censendum, quod Ecclesia unquam tamquam fidei Dogma definiat B. Vir-

ginem in peccato originali conceptam esse, eo quod auctoritate sua Festum Conceptionis in tota Ecclesia jam præceperit celebrari. Et idem sine dubitatione asseruit *Thrysus Gonzalez* in suo Opusc. quo tuetur proximam definibilitatem Immaculatæ Conceptionis. Ideo opportune notanda sunt verba *Blosii c. 5. fol.* 623. ubi sic ait. *Mirum sane est adhuc nostro ævo inveniri, qui puritatem Conceptionis Beatissimæ Virginis vocent in dubium, et suam opinionem obstinate tueantur, citantes sententias SS. PP. qui si nunc viverent, aliud proculdubio sentirent. Certe Romana Ecclesia, hoc ipso quod festum Conceptionis celebrandum assumsit, satis affirmavit eamdem Conceptionem fuisse omnis contagionis expertem: profana siquidem Festa non celebrat Ecclesia.* Et Summ. Pont. Benedictus XIV. in suo doctissimo Opere *de Canoniz. Sanctor. l.* 1. *cap.* 42. dicit nostram sententiam hodie esse moraliter certam, et solummodo deesse definitionem Ecclesiæ, ut fideles teneantur credere fide divina Conceptionem Virginis Immaculatam.

262. Nec valet dicere, quod alias Maria, si maculam originalem non contraxisset, non posset dici a Christo redemta; nam communiter respondetur, quod ipsa, cum fuerit a culpa præservata, vere, et modo nobiliori redemta fuit; docet enim D. Augustinus in *Psalm.* 85. verbo *Confitebor*, quod mittendus in carcerem, etiam dicitur a carcere liberatus ab illo qui eum liberat, ne in carcerem perducatur. Hæc autem nobilior Virginis redemtio maxime Virginem decuit, ut numquam dici posset Mater Dei Deo inimica extitisse, et Regina Angelorum subdita Diabolo aliquando fuisse. Immo dicit *Arnoldus Carnot. de Christi Nativ.* §. *Nihil: Non solum de decentia, sed etiam de justitia fuit, ut il-*

lud vas electionis communibus non laxaretur injuriis.

Ex omnibus his deducitur, piam sententiam præservationis B. Virginis hodie tenendam ut certam, et oppositam non esse amplius probabilem. Quod sic evidenter probatur: Certum est 1. de fide esse, quod Ecclesia non potest errare in materia morum. Certum est 2. cultum Sanctorum (prout est celebratio festi præservationis Deiparæ) pertinere ad materiam morum; ad mores enim utique pertinet præstare B. Virgini Mariæ cultum debitum, et indebitum denegare. Si ergo Ecclesia præcipit celebrari festum præservationis Dei Matris, et in hoc non potest errare, vera et certa debet esse præservationis sententia. Ex quo bene infert quidam doctus Auctor recentior in libro nuperrime Neapoli edito anno decurso 1753. cui titulus *Deipara ejusque cultores vindicati etc.* quod contraria sententia post Decretum Alexandri VII. prout antiquata non est amplius nec practice, nec speculative probabilis.

Immo licet nostra sententia ab Ecclesia nondum sit definita; bene tamen potest de fide teneri; nam bene possumus credere de fide sententias illas, quas probabile est de fide esse, nimirum canonizationem Sanctorum, præsentem Pontificem esse verum Pontificem, esto hæ sententiæ non sint ab Ecclesia declaratæ de fide, ut late probat *Viva in suo Cursu Theolog. p. 4. de fide ex pag. 54. cum Suar. Lugo* et communiori. Dicit enim *D. Thomas in 3. Sent. D. 3. art. 2.* quod credere possumus de fide non solum ea quæ habemus per fidem infusam, sed etiam quæ percipimus per conclusiones Theologicas: *Dicitur fides* (ait Sanctus Doctor) *acquiri per scientiam Theologiæ.* In nostro autem

casu conclusio Theologica bene eruitur ex mox supra prædictis; si enim de fide est Ecclesiam non posse errare in materia morum, et cultus præservationis Deiparæ certe ad mores, bene de fide tenere possumus præservationem esse de fide.

263. Hic ultimo operæ pretium ducimus breviter perpendendam quæstionem illam, an liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali? Negant *Lamindus Pritanius in suo Opere de Moderat. ingen.* et eum secuti sunt *Antonius Lampridius de Superstit. vitanda*, *ac Ferdinandus Valdesius in suis Epist.* Ratio, quia nemo potest exponere vitam ad tuendam opinionem humanam, cui falsitas subesse potest; opinio autem defendens præservationem Deiparæ a culpa originali, quamvis pia, humana tamen est, cum Ecclesia hanc sententiam nondum statuerit niti Revelatione Divina, aut traditione. Affirmant vero valde probabiliter plures Neoterici, et signanter Auctor supra enunciatus in cit. libro, *Deipara*, *etc.* Distinguere enim oportet sententias pure humanas ab iis quæ pertinent ad morum disciplinam, et suo modo ad fidem, prout est hæc quæ spectat ad cultum Sanctorum, et præsertim Reginæ Sanctorum, quæ præ omnibus Sanctis veneranda est. Quod autem sententia præservationis spectet ad cultum B. Virginis, patet (ut vidimus supra) ex Bulla Alexandri VII. qui declaravit festum Conceptionis Dei Matris juxta piam sententiam celebrari debere. Præterea, dato quod hujusmodi sententia esset per se humana, tamen cum referatur in Deum, qui vult, ut fideles Sanctos suos, et præcipue Matrem honore prosequantur, non est pure humana, sed religiosa, cum ad Deum re-

feratur, juxta Doctrinam *D. Thomæ* 2. 2. *q.* 124. *art.* 5. ubi docet posse esse Martyrii causam, non solum defensionem eorum quæ sunt de fide, sed etiam opera omnium virtutum, quæ sunt protestationes fidei; en ejus verba: *Omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat; et secundum hoc possunt esse Martyrii causa.* Hic deinde subdit ad 3. *Quia bonum humanum potest effici divinum, si referatur in Deum, ideo potest esse quodcumque bonum humanum Martyrii causa, secundum quod in Deum refertur.* Cum autem nullum sit dubium esse actum Religionis cultum exhibere Virgini, celebrando juxta piam sententiam festum suæ Conceptionis Immaculatæ in primo instanti, prout exigit Ecclesia; certum etiam est juxta Angelici doctrinam hujusmodi cultum bene posse esse causam Martyrii. Ergo, si licitum et meritorium est cuique vitam prodere, ne ab exhibitione hujus cultus desistat; tanto magis ei licitum, et meritorium erit mortem subire pro tuendo hujus cultus objecto, nempe pro B. Virginis a labe originali præservatione, ad quam ipse cultus refertur. Hinc Summ. Pont. Benedictus XIV. in suo præfato Opere *de Canoniz. Sanctor. l.* 1. *c.* 14. postquam ostendit Ecclesiam esse propensam versus sententiam præservationis B. Virginis immaculatæ, dixitque neminem negare eam esse magis piam, et religiosam, *n.* 13. sic ait: *Inter Martyres ab Ecclesia recensentur, qui occisi fuerunt a tyranno, vel quia sententiam magis religiosam exercebant, vel ne omitterent exercitium alicujus actus virtutis, a quo tamen poterant sine peccato cessare,*

Et sic jam satisfactum est objectioni *Lamindi*, nimirum quod non liceat vitam profundere pro tuenda præservatione Deiparæ, eo quod talis sententia non sit de fide.

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum?

264. *Verba Canonis.*
265. *Quid intelligatur I. per verba*, si quis? *An impuberes? et a quo ipsi possint absolvi?*
266. *Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes? etc.*
267. *Quomodo ratihabentes?*
268. *Quomodo non impedientes?*
269. *An qui tenentur impedire tantum ex caritate?*
270. *Quid intelligatur II. Per* Clericum?
271. *Quid per* Monachum? *An Eremitæ?*
272. *Quid III. per verba*, manus injecerit?
273. *An requiratur, ut percussio sit cum peccato mortali, et externe gravi?*
274. *Incurrit I. Clericum conspuens, vel aliter gravi injuria afficiens. II. Violenter detinens, etc. III. Persequens eum, ut decidat. IV. Apprehendens equum, etc. V. Hæc agens, etiam Clerico consentiente. VI. Clericus seipsum percutiens; sed alii id negant. VII. Judex laicus percutiens Clericum, vel Ecclesiasticus percutiens per laicum.*
275. *Non incurrit I. Fur clam furans. II. Percutiens jocose, vel casu. An pueri Clerici se percutientes? Et an defendentes*

se vel suos, aut sua? III. Si absit mortale. IV. Percutiens Clericum per ignorantiam, aut inadvertentiam, aut per iram subitaneam. Dub. 1. Quid si percutit ignorans alterum esse Clericum, animo tamen comparatus quod percuteret, etiamsi sciret? Dub. 2. An excuset ignorantia crassa? Dub. 3. Quid si quis percutit Petrum Clericum credens Paulum Clericum? V. Excusatur etiam Prælatus, aut Præceptor percutiens. An Pater? VI. Percutiens Clericum exercentem officium cauponis, etc. vel turpiter agentem, aut sollicitantem uxorem, aut consanguineam in primo gradu? Quando excusetur puella percutiens Clericum sollicitantem.

276. *Quando Episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione?*

277. *Quæ percussio dicatur* Levis, *quæ* Gravis, *et quæ* Enormis?

278. *Quot modis percussio levis possit fieri gravis?*

279. *Quinam possint absolvere a percussione levi, et quinam a gravi?*

280. *Dub. 1. An in dubio percussio judicanda sit levis, aut gravis? Dub. 2. An incurrat excommunicationem qui venenum dat Clerico.*

264. » REspond. ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, et*

» *ejus mandata recipiat.* Ita ex *c. Si quis*, 17. » *q.* 4.

265. » Dicitur I. *Si quis*, intellige cujuscumque sexus, aut status, etiam impubes; dummodo rationis compos, et doli capax. * (*Ut habetur ex c.* 1. *c. Mulieres*, *et c. Pueris. De Sent. excomm. Quamvis impuberes possint absolute absolvi ab Episcopis, etsi post pubertatem absolutionem petant; Salm. de Cens. c.* 2. *n.* 67. *ex dicto c. Pueris. Et etiamsi percussio fuerit enormis, ut dicunt Palaus D.* 3. *p.* 23. §. 4. *n.* 6. *et Bon. t.* 3. *de Cens. in part. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *n.* 18. *cum Suar. Mol. Fill. Sayr. et Reg. ex cap. ult. de Sent. excomm.*) *.

266. » Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes, et consentientes.

Recte dicit *Busemb. efficaciter*, quia, ut hi incurrant excommunicationem, requiritur ut percussio de facto eveniat, atque ipsi per mandatum, consilium, aut consensum, graviter in illam influant; ita communiter *Nav. cap.* 27. *n.* 51. *Suar. D.* 22. *sect.* 1. *n.* 55. *Salm. c.* 4. *n.* 22. *et Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. §. 2. *n.* 1. *cum Sayr. Avila*, *Mol. Sylv. Fill. etc. ex c. Quantæ*, et *c. Mulieres*, *de Sent. exc.* An autem incurratur censura in dubio, an mandatum, vel consilium influxerit? Vel si mandatum, aut consilium fuerit revocatum ante executione m? Vide de his dicta *n.* 39. *et* 40. Notandum autem hic; quod si quis diceret coram suis: *Cupio vindictam talis Clerici*, bene incurret excommunicationem, si ex hoc dicto alii Clericum inde percutiant; ita *Croix l.* 7. *n.* 303. *Renz. tom.* 1. *p.* 266. *q.* 4. *cum Diana*, *et Avila*, *ac Salm. c.* 4. *n.* 22. *in fin. cum Con. Sylvest. etc, argum. c. ult. de Homic. in* 6. Intellige, si prævidet ex eo alios percussuros.

267. » Extenditur etiam ad ratihabentes per-
» cussionem suo nomine factam.

Certum est, quod ratihabitio sufficit ad incurrendam censuram, ut habetur ex *c. Cum quis, De sent. exc.* Sed ad hoc requiritur. I. Ut percussio sit facta nomine tuo, vel in tui gratiam. II. Ut ratihabitionem externe significes. III. Ut quando evenerit percussio, fueris habilis ad mandatum, vel consilium percussionis, saltem habitualiter; nam si fueris amens, non incurris: secus, si ebrius, aut dormiens; ita communiter *Bon. D. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 12. Pal. D. 3. p. 23. §. 2. n. 14. Conc. tom. 10. pag. 467. n. 6. Croix l. 7. n. 36. et Salm. n. 4. n. 25. cum Suar. Sayro, etc.*

268. » Item non impedientes, saltem si ex
» officio, aut justitia teneantur, ut Reges, Ju-
» dices, et ceteri superiores. Item patres, tu-
» tores, heri, pædagogi, parochi, etc. quibus
» aliorum cura demandata est. Ita *Laym. l. 1.*
» *t. 5. p. 2. c. 5. n. 9. Bon. d. 2. q. 4. p.*
» *1. art. 8. ex Molin.* et *commun.*

269. » Dixi *Saltem etc.* quia, si ex cari-
» tate tantum teneantur, etiam excommunicari
» docent *Suar. Caj. Fill. Mol. Sayr.* etc. Ve-
» rum id probabilius negat *Bon. l. c. ex Nav.*
» *Con. Reg. Henriq. Mol.* etc. * (*Et ita ve-*
» *rius tenent Nav. c. 27. n. 78. Bon. D. 2.*
» *q. 3. p. 6. §. 2. n. 7. Lay. tr. 5. p. 2. c.*
» *5. n. 6. et Pal. D. 3. p. 23. §. 2. n. 13.*
» *cum Mol. et Henr. ac Salm. c. 4. num. 23.*
» *cum S. Anton. Pal. Con. Bon. Avil. Ratio,*
» *quia hi tantum percussioni censentur favere*
» (*ut loquitur c. Quantæ, de Sent. excomm.*),
» *qui ex justitia tenentur impedire; non autem*
» *qui solum ex caritate, etsi ex odio non im-*

» *pediat*, *cum ad incurrendam censuram etiam* » *actus exterior requiratur*, *juxta dicta n.* 34.) *.

270. » Dicitur II. *Clericum*: quo nomine in- » telligitur omnis prima saltem tonsura initiatus » (etiamsi conjugatus, dummodo cum unica » virgine), et deferat habitum, serviatque ali- » cui Ecclesiæ; item etiam excommunicatus, » suspensus, interdictus, degradatus verbaliter » tantum * (*Ita comm. etiam Salm. c.* 4. *n.* » 21. *Non incurrit vero, qui percutit Clericum* » *bigamum ex reali bigamia; secus autem, si* » *ex similitudinaria, nempe qui in Sacris con-* » *stitutus Matrimonium contraxerit, et consum-* » *maverit; neque incurrit percussor Clerici, qui* » *habitum deponens sæcularibus negotiis se in-* » *gesserit, nec post tertiam monitionem sui Præ-* » *lati resipuerit. Salm. d. n.* 21. *communiter.* » *Vide hoc et alia l.* 6. *n.* 827.) *.

271. » Dicitur III. *Monachum*; intellige quem- » vis religiosum, etiam laicum, conversum, » novitium, utriusque sexus. Item Tertiarios » S. Dominici, S. Francisci, si gestent habi- » tum et vivant in communitate. Item Eremitas » subjectos alicui regulæ, vel superiori.

Unde gaudent privilegio Canonis omnes viventes in communi sub aliquo Prælato, ex expressa, vel tacita Papæ auctoritate, quamvis in eorum communitate non fiat professio, ita *Nav. c.* 27. *n.* 70. *Suar, D.* 21. *sect.* 1. *n.* 22. *et Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 3. *n.* 16. *cum Con. Mol. Fill. Reg. Avila, Graff. etc.* Idem dicit *Fagnan. in c. Nullus, de Foro comp. n.* 59. de mulieribus conviventibus in Conservatoriis, quamvis religio non sit adhuc approbata, quia cum religiose vivant, censentur personæ Ecclesiasticæ. Et idem ait *Renzius p.* 534. *q.* 11. de Seminaristis, et pueris Collegiorum,

ut sunt Neapoli pueri S. Mariæ Lauretanæ, S. Onuphrii, etc.

Eodem privilegio gaudent Eremitæ, qui ex voto, aut pacto addicuntur alicui loco sacro, cum subjectione ad Episcopum, ut docent *Suar. D.* 22. *sect.* 1. *num.* 22. *Fagnan. l. c. Cont. Tourn. t.* 2. *pag.* 493. *Roncaglia pag.* 102. *q.* 2. *et Bon. l. c.* Idem dicit *Palaus D.* 3. *p.* 22. §. 1. *n.* 14. de Eremitis qui sub aliqua regula, et obedientia vivunt, edito obedientiæ, aut paupertatis voto. Communiter vero docent præfati AA. minime gaudere Eremitas vagos qui habitum singularem gestant, licet inserviant alicui Ecclesiæ, etiam ex commissione Episcopi, ut *Fagnan. l. c. n.* 59. ex Decis. Rotæ Rom.

272. » Dicitur IV. *Manus injecerit*: per quod » intelligitur quævis contumeliosa actio exterior » mortalis, circa Clerici personam, vel res ei » adhærentes, sive fiat manu, sive baculo, » gladio, etc. *Bon d.* 2. *q.* 4. *p.* 1.

273. Ad incurrendam igitur hanc excommunicationem requiritur, ut percussio sit mortaliter peccaminosa, et etiam externe gravis, ut docent *Bonac. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6 *sect.* 1. §. 1. *ac Cajet. Mol. Pignat.* etc. *apud Croix l.* 7. *n.* 301. Quare non incurrit, qui tantum signum facit percussionis, et non percutit; ut *Salm. c.* 4. *n.* 27. *Concina p.* 467. *n.* 7. *Tourn. p.* 493. et alii passim. Sed hic recte notant *Pal. D.* 5. *p.* 23. *n.*... §. 2. *Suar. D.* 72. *sect.* 2. *n.* 26. *Croix l. c. cum Sperelli, et Bonac. d.* 3. *n.* 2. *cum Con. Fill. et Reg.* quod semper ac percussio existimetur graviter injuriosa, ratione reverentiæ Clerico debitæ, sufficiet ad censuram quævis percussio levis, etiamsi levissimus tactus physicus intercedat. Advertendum cum communi DD. (ut notat *Croix ib.*) quod

hic Canon, prout in favorem Clericorum emanatus, non stricte, sed latissime intelligendus est.

Ex his resolves.

274. » 1. Hanc excommunicationem incurrit » I. Qui talem conspuit, conspergit a qua, pulvere, conspurcat luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim, et injuriam de ejus corpore, verbi gr. pileum, pallium, etc. ita ut actio sit graviter injuriosa. *Bon. l. c. Laym. c.* 5. II. Qui concludit, aut violenter detinet carcere, vel loco, unde sine dedecore non potest exire. *ibid.* III. Qui persequitur, ut in flumen, fossam incidat, equo decidat, etc. *ibid.* * (*An autem incurrat is qui Clericum insequens, præter intentionem, et prævisionem, est causa ut ille cadat? Negant Bonac. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 1. § 1. *n.* 5. *cum Sylvest. et Renz. to.* 1. *pag.* 577. *qu.* 6. *et merito probabile putat Croix l.* 7. *n.* 308. *quia tunc casus mere per accidens se habet. Sed non minus probabiliter affirmat idem Croix cum Sperelli; hinc dicit cum eod. Sperelli Fagnan. etc.* (*et huic consentit ipse Bonac. l. c.*) *non excusari ab excommunicatione explodentem sclopum in Clericum, qui ob metum exanimis caderet, licet globus eum non tangeret, quia tunc explodens est causa per se talis læsionis*) *. IV. Qui manus violentas injicit in equum, cui is insidet, occidendo, vulnerando, cædendo, sistendo per frænum; quæ actio, licet sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris, *ib.* * (*Idque docent communiter Suar. Palaus, Bonac. et alii citati n.* 273. *ac Salm. c.* 4. *n.* 26. *et* 27. *cum Laym. Avila, etc.*) *. V. Qui aliquid supradictorum facit, etiam Clerico consentiente, dummodo

» sit injuriosum ordini Clericali. *Laym. l. c.* *
» (*Ita communiter Suar. Bonac. Con. et alii*
» *cum Salm. c. 4. n. 25. ex c. Nemo*, 11.
» *q. 5. et ex c. Contingit*, *De Sent. excom.*
» *Clericus autem consentiens ex eod. c. Con-*
» *tingit*, *etiam subest excommunicationi*, *sed*
» *hæc est tantum ferendæ sententiæ*, *ut bene*
» *advertunt Bonac. et Croix l. 7. n.* 305. *dum*
» *in d. textu dicitur*: Si quis Clericus sponte se
» subjecerit, excommunicetur. *Hoc tamen in-*
» *telligendum*, *si talis percussio*, *non obstante*
» *consensu Clerici*, *non desineret esse injurio-*
» *sa*; *nam secus esset*, *si consensus auferret*
» *injuriam*, *puta si Clericus petat cædi ab alio*,
» *ut luat sua peccata*; *Salm. c. 4. n.* 20. *in*
» *fin. cum Con.*) * VI. Clericus si seipsum
» ex malitia, vel passione (secus si ex devo-
» tione) percutiat injuriose; *Laym. l. c. ex*
» *Nav.* * *Ita cum Busemb. tenent Suar. D.*
» 22. *sect.* 1. *n.* 59. *et Bonac. D.* 2. *q.* 3.
» *p.* 6. *sect.* 2. *n.* 7. *cum Nav. Con. Sayr.*
» *Avila*, *etc. Sed merito oppositum putant pro-*
» *babile Palaus D.* 3. *p.* 22. §. 2. *n.* 4. *Dia-*
» *na p.* 9. *tr.* 4. *R.* 7. *et Croix l.* 7. *n.* 310.
» *cum Tolet. Barb. Turrian. Pasqual et Del-*
» *bene*, *quia revera Canon videtur tantum lo-*
» *qui de altero Clericum lædente*). * VII. Qui
» percutit Clericum etiam meritum, si fiat vel
» per quem non debet, ut si morte dignus pu-
» niatur a judice sæculari, vel modo illicito,
» ut si a Prælato punitur per laicum. *Bonac.*
» *l. c. ex Nav. Sayr. Suar. Fill. Con.* etc.
» V. *Laym. c.* 5.

275. » 2. Non incurrit I. Fur, qui clam
» abscondit crumenam, vel vestem tollit Cleri-
» co; quia non est actio violenta, sed fraudu-

» lenta. * (*Secus, si violenter auferat, ut*
» *Laym. de Cens. c.* 5. *n.* 5. *cum Caj. Con.*
» *Suar. Mol. et Salm. eod. tit. c.* 4. *n.* 26.
» *cum Pal. Avila etc. communiter, quia tunc*
» *actio, etsi non corpus Clerici, lædit tamen*
» *honorem*). * II. Si percussio sit jocosa *
» (*Quamvis sit gravis*, et *etiam cum aliqua ira*
» *irrogetur, modo non pertingat ad peccatum*
» *mortale, ut recte dicunt Palaus D.* 3. *p.* 23.
» § 3. *n.* 3. *Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 4.
» *n.* 3. *et Salm. c.* 4. *n.* 28. *cum Avila et*
» *Tamb. ex c.* 1. *de Sent. excom. ubi dicitur:*
» Nec Clerici (*excommunicantur*), si sunt
» plenæ ætatis, et non ex odio (*intelligitur gra-*
» *vi*), vel invidia, vel indignatione, sed le-
» vitate jocosa se ad invicem percutere contin-
» gat) * vel casualis, v. gr. si janitor, vel
» apparitor turbam arcens percutiat Clericum;
» item si pueri habentes primam tonsuram se
» pugnis percutiant; *Bon. l. c. ex Mol. Fill.*
» *Con.* etc. * (*Immo etiam in Minoribus con-*
» *stituti; et quamvis sanguis e naribus effun-*
» *datur, ut Salm. c.* 4. *n.* 28. *Pal. l. c. n.*
» 2. *cum Lay. Con. et Mol. ac Bon. l. c. sect.*
» 1. §. 1. *n.* 14. *cum Fill. et Avila, quia re-*
» *gulariter percussio puerorum non reputatur*
» *graviter injuriosa; idque admittit Sotus apud*
» *Salm. l. c. etiamsi percussio fuerit gravis;*
» *hoc tamen intelligendum, si hæc non fuerit*
» *intenta*) * item si percussio sit ad defenden-
» dum se, vel vitam suam, vel uxoris, pa-
» rentum, filiorum, vel res suas, cum mo-
» deramine tamen inculpatæ tutelæ. *Lay. infra.*
» III. Et denique, quandocumque percussio ob
» levitatem, vel imperfectionem actus non esset
» mortalis, illata laico, ut docent *Cajet. Avi-*
» *la*, et *Sa*: quod tamen *Suar.* universaliter

» non admittit. Vide *Bon. l. c.* IV. Si fiat in » tenebris, vel Clericum non agnoscas, quod » habitum non gestet; quia ignorantia excusat.

Si etiam excusat ira subitanea, quæ efficiat, ut non plene advertatur quod fit, ut communiter *Suar. D.* 22. *sect.* 1. *n.* 50. *Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 4. *n.* 3. *Lay. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. *Pal. D.* 3. *p.* 5. §. 3. *n.* 3. *cum Con. et Salm. cap.* 4. *n.* 8. Sed hic dubitatur 1. an incurrat excommunicationem qui percutit aliquem ignorans esse Clericum, sed animo comparatus, ut si sciret, etiam percuteret? Affirmant *Covar. Ugol. etc. apud Croix l.* 7. *n.* 314. Sed communius, et probabilius negant *Sanch. Dec. l. c. c.* 10. *n.* 16. *Suar. D.* 4. *sect.* 8. *n.* 8. *Bonac. de Cens. in commun. D.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 14. *cum Vasq. Mol. et Fill.* item *Pal. et Nav. apud Croix l. c.* quia in ignorantia concomitante adest tantum voluntas interpretativa, quæ non est vera voluntas. Secus vero dicendum, si percutiens jam dubitaret, an ille esset Clericus, ut bene docet *Bonac. ib. n.* 18. *cum Avila.* Et idem tenent *Suar. n.* 10. *Sanch. n.* 14. *Croix d. n.* 314. *ac Bonac. n.* 21. *cum Fill. Avila, et aliis*, si quis Clericum percutiat ignorans esse Clericum, sed intendens eum percutere, sive laicus ille sit, sive Clericus. Dubitatur 2. an ab incurrenda excommunicatione percussionis Clerici excuset ignorantia crassa? Affirmant *Sylvest. Abb. Felin. etc. apud Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 41. quia (ut ajunt) illud, *suadente Diabolo*, importat dolum, qui non reperitur in ignorantia crassa, sed merito id reprobant *Croix l.* 7. *n.* 314. *et Sanch. l. c. cum Covar. Tabien. et aliis*, quia to, *suadente diabolo*, tantum importat percussionem cum peccato gra-

vi. Dubitatur 3. an incurrat qui percutit Petrum Clericum, reputans Paulum Clericum? De hoc vide dicta *Tom. III. l.* 3. *n.* 628. *v. Q. I.* ubi sententiam affirmativam tenuimus.

» V. Si prælatus, præceptor, pater subdi-
» tum in minoribus constitutum correctionis
» causa (licet ira accedat) percutiat moderate,
» habita ratione culpæ *. (*Ita etiam Salm. c.*
» 4. *n.* 29. *cum Bon. Avil. etc. Et idem aiunt*
» *Salm. ibid. de consanguineo, qui percutit*
» *Clericum, cujus curam habet, ex c. Cum*
» *voluntate.* 54. §. *Si quis, de Sens. excom.*)
» * Immo Prælatus, et Præceptor Ecclesiasticus
» potest etiam in majoribus constitutum castiga-
» re. * (*Intellige semper moderate; nam S.*
» *C. declaravit excommunicatum quemdam Pa-*
» *rochum, qui Clericum suum discipulum corre-*
» *ctionis causa in capite pluries percusserat,*
» *et deinde pugnis et baculo verberavit, ut re-*
» *fert P. Zacharia Adn. ad Croix l.* 7. *num.*
» 318. *qui ib. ob eamdem rationem non excusat*
» *ab excommunicatione Prælatum si Religiosum*
» *cum excessu verberet, pede trudat, aut si-*
» *milia faciat*) *. An idem possit pater? con-
» trovertitur in utramque partem probabiliter.
» Vide *Laym.* loco mox citando.

Quæritur, an Pater possit verberibus Clericum punire? Certum est posse, si Clericus est in Minoribus, ex dicto *c. Cum voluntate.* 54. §. *Si vero, de Sent. exc.* ubi id conceditur omnibus illis, *qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, ut cohibeantur a suis insolentiis duxerint corrigendos.* Dubium est, an possit, si Clericus est in Sacris constitutus? *Prima* sententia negat: et hanc tenent *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 9. *Pal. D.* 3. *p.* 23. §. 3. *n.* 8. *cum Host. Pa-*

nor. Ang. Mol. etc. quia nullibi habetur, quod Pater possit manus injicere adversus Clericos in Sacris. Hæc est probabilis, at sententia affirmans videtur probabilior, et hinc tenent *Suar. D.* 22. *Sect.* 1. *n.* 49. *Bonac. D.* 2. *q.* 3. *pag.* 6. *Sect.* 4. *n.* 4. *Concina t.* 10. *p.* 468. *n.* 8. *Eourney t.* 2. *p.* 449. *et Salm. c.* 4. 30. *cum Valent. Bann. Con. et Avila.* Et probatur ex *c.* 1. *de Sent. exc.* ubi excusatur Magister, *si scholarem Clericum* (quamvis *sit plenæ ætatis*, ut ibi præmittitur, unde includitur etiam Clericus constitutus in Sacris) *intuitu disciplinæ, vel correctionis percusserit.* Si ergo non solum causa disciplinæ, sed etiam correctionis potest Magister Clericum percutere, tanto magis poterit Pater, cui principaliter et de jure naturali incumbit compescere insolentias filiorum.

» VI. Si percutiatur realiter degradatus, vel
» bigamus, vel exercens publice officium cau-
» ponis, vel macellarii, vel scurrani, et ter
» monitus non cesset, vel inventus turpiter
» agens cum uxore, matre, sorore, vel filia,
» vel denique mulierem ipso facto sollicitans ad
» turpitudinem, quia perdit privilegium. V.
» *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2 *c.* 5. *Fill. l.* 13. *c.* 1.

Ita *ex c. Si vero.* 3. *de Sent. exc.* ubi excusatur a censura qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas; secus si mulier illa non sit ita proxima in consanguinitate. Hinc *Filliuc. tr.* 15. *c.* 1. *q.* 6. *n.* 12. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 8. *et Bonac. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 4. *n.* 7 *cum Mol. Con. etc* communiter non excusant percussorem Clerici inventi cum avia, aut nepte. Putant vero *Nav. c.* 27. *n.* 84. *et Bon. l. c. n.* 6. *cum Mol. Con.*

et Avila, excusari Maritum, si ex industria se abscondit expectans Clericum id ignorantem, ut deprehensum in adulterio occidat; secus si conventione facta cum uxore se abscondat, cum jura numquam intendant fraudes patrocinari. Sed etiam in primo casu rectius *Lay. l. c. cum Nav.* contradicit *Bonacinæ*, quia tunc minime verificatur quod vir inveniat Clericum, dum eum expectat; hic enim ideo excusatur, quia (ut ait *Glossa*) nequit compescere subitaneam iram, ad quam potius tunc se excitaret. Dicunt autem *Suar. D.* 22. *Sect.* 1. *n.* 37. *Bonac. l. c. n.* 8. *Tourn. pag.* 494. *et Salm. c.* 4. *n.* 31. *cum Pal. Laym. Con. etc.* bene excusari virum, si occidat Clericum inventum cum uxore in loco suspecto, vel cum ea colloquentem post monitionem, quod se abstineat a tali collocutione. Notant item *Tourn. l. c. Concina p.* 469. *et Croix l.* 7. *n.* 307. *cum Nav. Sylv. Ang. etc.* tunc tantum excusari virum percutientem talem Clericum, quando percussio fit in ipso facto, vel continuo post adulterium; tunc enim solum acer ille doloris sensus meretur indulgentiam. Excusatur etiam mulier percutiens Clericum qui eam sollicitat, si non possit illum verbis avertere. Unde si Clericus tantum verbis tentat, verbis tantum debet repelli; nisi ille sit adeo importunus, ut non valeat femina per sola verba ab eo liberari; ita *Suar. D.* 22. *sect.* 1. *n.* 23. *et Salm. cap.* 4. *n.* 31. *cum Sylvest. Avila, Sayr. etc.* Hoc tamen intelligendum, si ex tali sollicitatione constituatur mulier in aliquo morali periculo labendi, saltem in peccatum cogitationis.

276. » Resp. 2. Etsi hæc excommunicatio sit » reservata Papæ, potest tamen Episcopus ab » ea absolvere his casibus, 1. Quando percus-

» sio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum
» judicio levis, comparata cum enormi * (*ita*
» *ex c. Pervenit de Sent. exc.*) *, v. gr. si
» fiat palma, pugno, aut lapide non relinquen-
» te vestigium, et secundum *Anton.* et *Dian.*
» *p.* 9. *t.* 4. *Res.* 19. nisi notabilem injuriam,
» et magnum scandalum pariat, qualem negat
» esse, si quis Sacerdotem pugno percutiat in
» faciem, licet guttæ sanguinis effluant. * (*Ita*
» *etiam Viva q.* 5. *Art.* 3. *n.* 8. *cum Dian.*
» *et Glossa*) *. Enormis vero erit, si mem-
» brum proscindatur, copiosus sanguis funda-
» tur; vel etiam ratione dignitatis personæ, ut
» si percutiatur Episcopus, vel Abbas etiam
» alapa. 2. Si percussor sit impubes, pauper,
» æger, senex, mulier, cæcus, claudus, servus, fi-
» liusfamilias, vel non sui juris, uti et regu-
» lares, ac moniales invicem verberantes; item
» si sint homines delicati, et quotquot habent
» legitimum impedimentum, ut non possint ire
» ad Papam, aut ejus Legatum; vel si dubium
» sit de excommunicatione, *Fill. l.* 15. *c.* 6.
» *n.* 35. *et seq.* Deinde si sit occulta. V. supra
» *hic c.* 1. *d.* 6. et *Dianam p.* 9. *t.* 4. *R.*
» 63. In quibus omnibus casibus pro foro con-
» scientiæ potest etiam facultas absolvendi im-
» petrari (gratis quidem ex Pœnitentiaria Ro-
» mana a majore Pœnitentiario, ut supra *hic l.*
» 1. *t.* 2. *c.* 4. *in append.*

277. Oportet igitur distinguere: alia est percussio *Enormis*, alia *Mediocris*, sive gravis, alia *Levis*, quæ non jam dicitur levis, quia importat tantum peccatum veniale; ad incurrendam enim excommunicationem semper requiritur calpa gravis; sed dicitur levis respectu ad gravem et enormem. Hujusmodi distinctio communiter a DD. assignatur, et colligitur a Con-

stitutione in *Extrav. Perlect.*, quæ in extensum refertur a *Navarro Man. c.* 27. *n.* 91. (*pag. mihi* 547.) ibique ab aliis attribuitur Innoc. IV. et ab aliis Pio II. sed *Navar.* eam attribuit Joanni XXII. Ceterum communiter AA. illam admittunt, ut *Cabass T. I. l.* 5. *c.* 2. *n.* 6. *et Pal.*, *Bon. Roncag.*, et infra citandi. In præfata autem *Extrav.* sic legitur: *Respondemus percussionem levem esse pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque suggillationem carnium relinquit, neque abscindit membrum, sine extractione dentium, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere, quod hujusmodi levis percussio, ut pugni, aut unguis, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad judicandum tamen, quæ læsio sit levis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi, non solum factum, sed etiam qualitatem ejus et modum percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personæ, et aliis. Personæ, si est Magister, Prælatus, Pater, Patronus, aut Dignitas percussus injuste a subdito, aut ab alio se viliori, quia ex hoc interdum censentur graves injuriæ, quæ ex se sunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus suo arbitrio, ut declares quæ sit levis, et quæ enormis injuria, admonentes ut potius declares in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere, quam declarando levem esse, occasionem præbeas lædendi Statum Ecclesiasticum.*

Hinc dicunt DD. esse percussionem *mediocrem* illam qua extrahitur dens, vel capillorum copia evellitur, aut fit suggillatio carnis, qua sanguinis copia effenditur absque gravi læsione,

vel injuria; ita *Bon. d.* 2. *p.* 6. *sect.* 5. *n.* 8. *et Roncag. pag.* 104. *q.* 1. *R.* 3. Percussionem vero enormem dicunt idem *Bon. et Ronc. ac Palaus D.* 3. *p.* 23. §. 4. *n.* 2. *Tourn. t.* 2. *p.* 495. et *Conc. p.* 468. *n.* 9. esse si magna intervenit vulneratio, vel magna sanguinis effusio, aliunde quam e naribus, vel magna injuria.

278. Communiter autem advertunt præfati AA. et alii, quod sæpe percussio levis potest evadere gravis vel enormis ratione circumstantiarum, nimirum I. Ratione *personæ læsæ*, prout Abbas, Prælatus Monasterii, aut Judex, Herus, aliusve in dignitate constitutus, dicunt *Palaus*, *Bon. Conc. Tourn. et Ronc. ll. cc.* II. Ratione *personæ lædentis*, ut si Officialis laicus auctoritative percutiat Clericum, vel plebejus Ecclesiasticum nobilem: *Suarez D.* 22. *Sect.* 1. *n.* 91. *Ronc. l. c. et Bon. d. n.* 8. *cum Navarr. Mol. Fill. et Reg.* III. Ratione *personæ coram qua fit percussio*, nempe si fit coram Prælato, aut alia persona in dignitate constituta, *Bon. Ronc. et Pal. cum Mol.* IV. Ratione *scandali*, nempe si Monachus cum gravi scandalo Clericum sæcularem percutiat; *Viva de Censur. qu.* 5. *art.* 3. *n.* 8. *Ronc. l. cit. et Bonac. ibid.* qui addit idem esse, si quis percutiat Clericum in Claustro coram Regularibus. V. Ratione *loci*, nempe si percussio fit in Ecclesia, vel platea; *Cabassut. T. I. lib.* 5. *c.* 2. *n.* 6. *Pal. Conc. Tourn. et Ronc.* VI. Ratione *temporis*, ut si quis percutiat Clericum sacris vestibus indutum, vel dum vacat publicis Officiis in choro, vel in actu Processionis, aut publicæ supplicationis; *Cabassut. Pal. Tourn. et Ronc.* VII. Ratione *injuriæ*, ut si quis Clericum deiindet, vel atramento aut stercore ejus vultum fœdet, ut *Cabassut. l. c.*

279. His positis, sciendum quod a percussione levi, etiam publica, possunt absolvere Episcopi, ut docent communiter DD. cum *Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 7. *sect.* 5. *n.* 3. et patet ex *c. Pervenit, de Sent. exc.* Et sic pariter eorum Vicarii Generales, quia hoc habent Episcopi de jure ordinario, ut *Sanch. de Matr. l.* 3. *D.* 7. *n.* 10. *et Bonac. l. c. p.* 6. *s.* 5. *n.* 4. *cum Mol. Reg., Lazar. etc.* vide dicta *n.* 224. Utrum autem possint ab ea absolvere habentes jurisdictionem quasi Episcopalem? vide dicta *n.* 79. A percussione vero enomi, aut mediocri, si est publica, potest absolvere tantum Papa, aut Legatus a Latere, qui gaudet auctoritate Pontificia, ex *c. ad eminentiam, de Sent. exc.* Item possunt etiam Legati missi ad aliquam Provinciam, ex *cap. Penul. de Offic. Legati.* Si vero percussio fuerit occulta, possunt ab ea absolvere etiam Episcopi, ex *c. Liceat* 6. *in Sess.* 24. *Trident.* Et a publica etiam mulieres ex *c. Mulieres de Sent. exc.* Et hoc etiamsi percussio fuerit enormis, ut *Viva q.* 5. *art.* 5. *n.* 10. *cum Suar. Mol. et Fill.* Et sic pariter possunt absolvere impuberes, etiamsi hi post pubertatem absolutionem petant, *Viva l. c. cum iisd. AA.* ex *c. Pueris fin. eod. tit.* Item eos qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis, non vero si enormis; vide dicta *n.* 68. *circa fin. ad n.* X. Item omnes impeditos adire Romam juxta dicta *c. n.* 88. Quos autem, et quando Prælati regulares possint absolvere subditos et alios ab hac excommunicatione, vide dicta *n.* 107. Bene autem advertit *Croix. l.* 7. *n.* 325. quod pro absolutione censuræ ob percussionem Clerici etiam publicam potest recurri ad S. Pœnitentiariam.

280. Dubitatur 1. An in dubio percussio ju-

dicanda sit levis, aut gravis? *Bordon. apud Vivam qu.* 5. *art.* 3. *n.* 8 dicit censendum esse levem. Sed omnino dicendum est oppositum cum *Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 5. *n.* 8. *Viva*, *et Ronc. l. c. ac Conc. p.* 468. *n.* 9. qui testatur esse commune, et patet ex cit. *Extrav. Perlectis n.* 277. ex verbis illis: *Admonentes, ut potius declares in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere.* Ibique datur ratio, *ne occasionem præbeas lædendi statum Ecclesiasticum.*

Dubitatur 2. An incurrat hanc censuram qui Clerico venenum præbet? Adsunt quatuor sententiæ. *Prima*, quam tenent *Avila*, *et Rodrig. apud Dian. p.* 9. *tr.* 4. *R.* 36. absolute negat nisi venenum per vim præbeatur ad potandum, nam alias (ut ajunt) non fit violentia personæ, sed naturæ; sed merito *Diana l. c.* hanc opinionem rejicit, cum sit contra communem; et *Renzius t.* 1. *p.* 578. *q.* 9. refert anno 1640. eam fuisse expunctam ex Summa *Rodriq.*, ob mandatum S. Inquisitionis in suo expurgatorio. *Secunda* sententia, quam tenent *Fill. tr.* 11. *n.* 126. *et Suarez*, ac alii *apud Croix l.* 7. *n.* 302. dicit non incurrere censuram, nisi morte secuta; sed neque hæc opinio videtur satis probabilis. *Tertia* sententia, quam tenet *Croix. l. c. cum Beja*, *et Sperelli*, dicit hunc ab initio incurrere, quia venenum de se est aptum statim lædere. *Quarta* demum sententia communior, quæ videtur mihi probabilior, dicit non incurrere, nisi postquam venenum incœperit lædere. Ratio, quia ad incurrendam censuram Canonis non requiritur mors, sed requiritur quidem effectus secutus, nempe violentia illata; antequam autem venenum lædat, non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad vio-

lentiam inferendam; ita *Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 1. §. 1. *n.* 6. *Viva q.* 5. *art.* 4. *n.* 2. *et Diana l. c. cum Squillante*, quibus adhaeret etiam *Rencius l. c.*

ARTICULUS V.

Quae sint excommunicationes Papae reservatae per Bullam Coenae?

281. *De excommunicatione in retinentes, legengentes, etc. libros Haereticorum.*
282. *Ad quam incurrendam, requiritur I. ut Auctor sit haereticus. An legi possint libri Infidelium, vel Hebraeorum?*
283. *II. Ut liber haeresim contineat, vel de Religione agat. Quid si error abradatur? vel si Auctor non sit damnatus ut haereticus? Quid si quis legat ad confutandum Haereticum?*
284. *III. Ut legatur materia notabilis.*
285. *IV. Ut scienter legatur, etc.*
286. *Non incurritur I. Si legas librum referentem verba Haereticorum. II. Si legas Scholia Haereticorum.*
287. *An prohibeantur libri Philosophici, vel qui incidenter haeresim continent?*
288. *Quinam libri prohibentur in Indice?*
289. *Quot Classes librorum prohibitorum Index constituat?*
290. *Ad quem spectet libros prohibere?*
291. *An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros haereticos? Et an legere libros prohibitos ei qui certus est lectionem non esse sibi obfuturam?* (Vide de hoc dicta Tom. I. l. 1. n. 199. *in fin.*).
292. *An incurrat qui legit proaemium, indi-*

cem, etc. An qui audit legere? Et quid si inducat ad legendum?

293. *An qui legit scripturam brevem, vel manuscriptum?*

294. *An qui legit duas lineas, vel minus quam paginam?*

295. *An qui retinet parvo tempore?*

296. *An excuset ignorantia crassa? Quid si quis scit ex viro probo librum esse prohibitum?*

297. *An incurrat excommunicationem qui impedit, ne liber comburatur, aut laudat stylum, etc.*

298. *An incurrat qui deponit librum prohibitum apud alium?*

299. *An qui eum comburit? A quo impetranda licentia legendi?*

300. *Ad incurrendam excommunicationem ob hæresim, requiritur I. Ut sit formalis.*

301. *Qu. 1. An incurrat errans ex ignorantia crassa, vel affectata?*

302. *Qu. 2. An qui dubitat circa res fidei?*

303. *Requir. II. Ut error externetur.*

304. *Requir. III. Ut manifestatio sit moraliter mala. Requir. IV. Animus profitendi errorem.*

305. *Vide alia advertenda.*

306. *Incurrunt etiam*, Credentes, Fautores, Receptatores, *et* Defensores.

307. *Qu. I. An qui favent Hæretico ob amicitiam, etc.*

308. *Qu. II. An qui Hæreticum recipit, ne capiatur, effectu non secuto?*

309. *Item incurrunt excommunicationem Bullæ I. Surripientes bona naufragantium.*

310. *II. Domini imponentes tributa.*

311. *III. Quinam alii incurrant excommunicationem Bullæ?*

281. » REsp. Præcipua est in hæreticos, » quæ extenditur non tantum ad fautores, re- » ceptatores, et defensores hæreticorum, ut sic, » sed etiam in *scienter retinentes*, *legentes*, » *imprimentes*, *et defendentes libros hæretico-* » *rum de religione tractantes*, *vel hæresim con-* » *tinentes*, *ex quavis causa publica*, *vel occul-* » *ta*, *quovis ingenio vel colore*. Ad quam ex- » communicationem incurrendam requiruntur 4. » conditiones. I. Ut auctor libri sit hæreticus. » II. Ut liber hæresim expresse contineat, vel » de religione agat. III. Ut legatur materia no- » tabilis, et sufficiens ad mortale. IV. Ut scien- » ter legatur, imprimatur, vel retineatur. » *Laym. l.* 2. *t.* 1. *c.* 15. *n.* 1.

282. Ut igitur hæc excommunicatio incurratur, requiritur I. ut auctor sit hæreticus, quapropter eam non incurrunt legentes libros infidelium, etsi hæresim contineant, dum dicitur in Bulla *libros Hæreticorum*; ita *Suarez D.* 20. *s.* 2. *n.* 11. *et* 13. *et Salm. de Cens. c.* 4. *n.* 61. *cum Sanch. Pal. etc.* Liber autem Thalmud, et similes Hebræorum prohibentur per Bullas Pii IV. et Clementis VIII. *apud Croix l.* 7. *n.* 333. Dicit autem *Holzm. t.* 1. *p.* 179. *n.* 78. *v. Qui legunt*, etiam numerari inter libros in Bulla vetitos librum qui ex professo tractet de hæresi, quamvis lateat Auctor, quia tunc Auctor certe censetur hæreticus.

283. Requiritur II. ut liber de Religione tractet, vel hæresim contineat. Sufficit igitur, ut liber unum tantum errorem contineat contra fidem, vel si ex professo (non autem obiter) agat de Religione, nempe de S. Scriptura, vel de Theologia Scholastica, Dogmatica, aut Mo-

rali, vel Mysteriis fidei, de Cultu Dei, aut Sanctorum, de Ritibus Ecclesiæ, de Canonibus, de rebus spiritualibus, et similibus, ita *Salm. c.* 4. *n.* 72. *Suar. n.* 16. *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 21. *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 3. item *Dicast. Illsung. Tamb. etc. apud Croix l.* 7. *n.* 331. Si vero error ille contra fidem sit abrasus a libro, *Croix n.* 330. *cum Pignatell.* dicit probabiliter excusari a censura, qui reliqua libri legit, quia tunc liber non continet amplius hæresim, nec ullum periculum inducit. Contradicunt tamen *ib. Suar. Bon.* et alii, ac *Sanch. l.* 2. *c.* 10. *n.* 3. quia particularis illa expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Sed mihi non displicet distinctio, quam tradit *Sporer t.* 1. *de fide pag.* 122. *n.* 40. nempe, si liber tractet ex professo de Religione, non obstante abrasione erroris, remanet prohibitus, quia in Bulla omnino vetatur legere aut retinere libros hæreticorum tractantes de Religione. Secus si liber tractet de alia materia, puta de Philosophia, aut de Historia, exceptis tamen libris Centuriatorum Magdeburgensium et similibus, in quibus revera tractatur de Religione, atque in iis intentum est evellere statum Monasticum, et denigrare Ecclesiasticum. Dicit autem *Croix cum Suar. Tol. Pal. Pignat.* et aliis communissime (contra *Decian. Masc. et Caram.*) legentem hujusmodi libros hæreticorum non effugere excommunicationem Bullæ, etiamsi legat ad confutandum errorem, et sine periculo perversionis, quia prohibitio facta est in odium hæreticorum, cum in Bulla vetetur lectio ex *quavis causa, vel colore.* Limitant tamen *Laym. et Dicast. apud eumd. Croix n.* 343. si quis vir doctus legeret eos, sperans certo ut aliquem hæreticum convertat, hinc probabiliter

dicunt *Holzm. p.* 177. *n.* 77. *v. Sed numquid*, *et Elbel. t.* 2. *p.* 439. *n.* 99. *cum Mayr*, quod ex epikeja bene excusantur legentes librum hæreticum, si necessario indigeant tali lectione ad convincendum hæreticum ex suo proprio, vel alterius hæretici libro, puta inveniendo contradictionem, etc. modo periculum sit in mora, nec pateat recursus ad Romam, vel alio. Qui vero legeret libros vel scripta ob hæresim, vel ob hæresis suspicionem prohibita, licet probabiliter cum *Pignatel. et Duard. apud Croix n.* 334. non incurret excommunicationem Bullæ, nisi Auctor sit damnatus ut hæreticus, vel natus ex secta hæretica: tamen incurreret excommunicationem Indicis, quæ vero non est reservata.

284. Requiritur III. ut lectio fiat in materia notabili; nam licet *Tolet. et Ugolin. apud Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 14. negent dari in hoc parvitatem materiæ, quia (ut aiunt) in una sola linea potest quis errorem invenire; communiter tamen DD. admittunt materiæ parvitatem, quamvis discrepent in assignando qualis sit. Alii enim, ut *Sanch. l.* 2. *c.* 10. *n.* 31. *cum Sa*, *Manuel*, *et Vivald.* dicunt esse unam paginam, et plus, si volumen sit ex majoribus; at hanc opinionem merito non admittunt *Sal. c.* 7. *n.* 74. et idem sentit *Bon. l. c.* si pagina sit grandior; alii, ut *Graff.*, *et Reg. apud eumd. Bon.* dicunt esse tres vel quatuor lineas; alii ut *Suar. D.* 20. *s.* 2. *n.* 20. *et Pal. tr.* 4. *de Fide D.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 6. *cum Azor. Con. et Sayr. apud Bon.* dicunt esse decem lineas; alii tandem, ut *Holzm. tom.* 1. *p.* 177. *n.* 77. *v. Dixi quarto*, *Sporer t.* 1. *p.* 124. *n.* 44. *Elbel t.* 1. *p.* 397. *n.* 113. *et Croix l.* 7. *n.* 330. *cum Marchant.* rectius

distinguunt, in hoc attendendum esse finem prohibitionis, si aperiendo librum hæreticum incidas in doctrinam, quæ directe est contra fidem, poteris excommunicationem incurrere, etiamsi legas paucas lineas, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus si liber esset principaliter de materia indifferenti, tunc enim legendo etiam paginam, excusaris a mortali, si nullum ibi legas errorem.

285. Requiritur IV. ut hujusmodi libri scienter legantur, imprimantur, aut retineantur. Et eidem excommunicationi subjacent eos ementes, vendentes, aut asportantes, ut dicunt *Salm. c.* 4. *n.* 74. ex Decretis Pontificum. Nec non defendentes non solum verbo, sed etiam facto, nempe si impediant quominus tales libri Episcopo tradantur, ut dicunt *Palaus*, *Tamb.* et alii communiter *cum Croix l.* 7. *n.* 358.

» I. Non excommunicaris. I. Si legas libros
» Catholicorum referentes verba hæreticorum,
» etiamsi animo hæresim dicendi legas. *Laym.*
» *l. c. ex Nav. Sanch.* etc. * (*Est commune*
» *cum Azor. Suar. Bon. et Pignatell. apud Croix*
» *l.* 7. *n.* 335.) *. II. Si in Catholici scripto-
» ris libro, vel alio, hac Bulla non contento,
» legas adjecta scholia, vel notas auctoris hæ-
» retici: quod tamen *Suar. t.* 5. *d.* 21. *s.* 1.
» limitat, nisi scholia essent tam copiosa, ut
» ex iis potius, quam ex textu, liber constare
» videretur. *Laym. l. c. ex Nav. Sanch.* etc.

286. Quæritur, an legens Scholia Hæretici in libro catholico incurrat excommunicationem? Affirmant *Suar. et Krimer. apud Croix l.* 7. *n.* 334. si Adnotationes essent libro majores, quia talis liber potius est hæretici commentantis, quam Catholici. Immo *Croix* censet incurrere, etsi Scholia mole sua non adæquarent librum,

quia tales libri magis habentur propter Adnotationes, quam propter textum Catholicum. Negant vero *Tamb. Dec. l. 2. c. 1. §. 7. n. 9. cum Sanch. ac Bon. apud Viva q. 5. ar. 1. n. 8. in fin.* qui ipsis adhæret, dicentes, Summam D. Th. non appellari librum Cajetani, quamvis hujus Adnotationes textum D. Thomæ superent. Addit tamen *Viva* legentem hujusmodi librum saltem non excusari ab excommunicatione non reservata Indicis, lata in legentes libros damnatos ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, ut habetur ibi in *Regula* 10. His tamen non obstantibus, magis adhæreo primæ sententiæ, si Scholia sint adeo uberiora, ut liber potius constet ex ipsis, quam ex doctrina catholica, ut dicunt *Pignatell.* et alii *apud Croix l. c.*

287. » 2. Non prohibentur hæreticorum libri » philosophici, et alii hæresim non continen- » tes, *Laym. l. c. n.* 3. Immo probabiliter nec » ii, qui incidenter tantum continent hæresim, » non agentes ex professo de fide; * *Verius* » *dicendum de errore, ut docent Sanch. Dec.* » *l. 2. c. 10. n. 25. Pal. D. 2. p. 10. n. 7.* » *Bon. D. 2. q. 5. p. 4. n. 19. et Salm. c.* » *4. n. 72. in fine*) *, *Sa, et Graff. apud* » *Laym. l. c.* contra *Suar. et Sanch.* qui id » confirmat pro Germania, ubi Bulla cum tanto » rigore non est recepta. V. *Bec. 2. 2. c. 15.* » *q.* 8. Legens tamen tales incurrit excommu- » nicationem non reservatam Indicis librorum » prohibitorum, ubi is receptus est, quod non » videtur esse factum in Germania, saltem cum » illo rigore, ut habet *Laym. l. c. n.* 8.

288. Hic notandum, quod Clemens VIII. in Indice librorum prohibitorum, firmato auctoritate Pii IV. vetavit legere omnes libros hære-

ricorum, donec expurgentur, et Hæresiarcharum, etiamsi hæresim non contineant, nec tractent de Religione, sub excommunicatione non reservata, vide *Salm. c. 4. n. 73. et Croix l. 7. n. 360.* Item libros cujusvis Auctoris non hæretici prohibitos ob suspicionem hæresis, ut in *Reg. 10.* Indicis. *Viva Q. 5. Ar. 1. n. 8.* Item S. Pius V. in Const. *Cum sicut*, prohibuit legere, aut retinere libros cujusvis Auctoris suspecti de hæresi, indigentes expurgatione, donec expurgentur, sub excommunicatione reservata Papæ. Ut autem agnoscatur, quinam libri expurgatione indigeant, dantur regulæ in *Expurgatorio Romano apud Salm. l. c.* Insuper Sixtus V. prohibuit sub excommunicatione reservata quemcumque librum de Astrologia seu divinatione futurorum; Vide *Salm c. 4. n. 63.* Item in Indice prohibentur omnes libri ex professo tractantes de obscenis; *Reg. 2. 7. et 9.* Notat autem *Croix n. 360.* cum *Laym. in fin.* legentes libros obscenos peccare quidem graviter; si materia sit gravis, sed non incurrere excommunicationem. Idem dicunt de legentibus libros magicos; sed melius ait *Viva Q. 3. Ar. 1. n. 8.* eos incurrere excommunicationem non reservatam quia tales libri in *Reg. 9.* prohibentur ob hæresis suspicionem.

289. Sciendum, quod Index tres classes librorum prohibitorum constituit. I. Classis continet omnes libros Hæresim habentes, vel de Religione tractantes. II. Classis continet libros Catholicorum contra fidem, vel bonos mores, qui ut ait *Lupus p. 4. l. 25. d. 1. ar. 1.*) non prius censentur prohibiti, quam specialiter in Indicem referantur: intellige, præter libros in Indice prohibitos per se, ut mox infra. III. Classis continet libros editos sine nomine Auctoris;

qui non omnes (ut bene advertit *Lupus l. c.*) damnati sunt, sed tantum illi qui pravam doctrinam tradunt; sic enim videmus practicari a viris probis, et doctis; et ita colligitur ex Bulla Alex. VII. *Speculatores*, ubi de hac prohibitione Pontifex loquens, dicit: *Contingit, ut plerique libri ignoti Scriptoris,* * *qui tertiæ Classi assignantur, pejores multo sint, quam in prima, et secunda recensiti.* In Indice autem prohibentur in *Reg.* 2. omnes libri Hæresiarcharum, etsi hæresim non continent, et de Religione non tractant. Deinde omnes libri Hæreticorum, donec ab Episcopis examinentur, et approbentur. Item Bibliæ vulgares, et libri controversias disserentes inter Hæreticos vulgari sermone conscripti. Item libri obsceni ex professo, et libri magici. Hinc ibi excommunicantur, qui libros Hæreticorum, vel cujusvis Auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata legerit, vel habuerit.

290. Prohibere libros per totum Orbem spectat ad Pontificem, et pro ipso ad S. Congregationem. Episcopi autem, et inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio. Magister S. Palatii etiam potest; sed ut putat *Bordon. in Man. cons. sect.* 48. *n.* 5. tantum pro Urbe, et ejus districtu: numquam enim visæ sunt illius prohibitiones publicari.

291. Putat *Croix l.* 7. *n.* 346. quod, cum datur licentia legendi libros hæreticos ad errores confutandos, graviter peccaret qui legeret ex curiositate (licet excusaretur ab excommunicatione), quia tunc cessat finis licentiæ; sed hæc ratio non suadet, tum quia finis præcepti non cadit sub præcepto, ut diximus *de Jejun. l.* 3. *n.* 122. tum quia Superior ob duas causas dispensat, primo quia considerat dispensato non

imminere periculum perversionis : secundo quia sperat lectionem esse illi, vel aliis proficuam, unde si cessat secunda causa, non cessat prima. An autem possit legere librum prohibitum sine licentia, qui certus est moraliter lectionem sibi non obfuturam? Quidquid dicant alii, omnino est negandum cum *Croix n.* 375. *in fine*, *et Pal. Tol. Suar. Sanch. Tamb. etc.* juxta dicta *l.* 1. *n.* 199. *in fine.*

292. » 3. Excommunicantur 1. Qui in suf-
» ficiente quantitate solum procemium, vel epi-
» stolam ad lectorem, vel indicem libri, vel
» partem libri, in qua nulla est hæresis, legit,
» ut habet *Laym. l. c. et Bon.* * (Vide dicta
» *n.* 284.) *. 2. Probabiliter etiam is, qui al-
» terum jussu suo legentem audit: quia legit
» per alium. *Laym. l. c. Azor. etc.* contra *Sanch.*
» * (*Probabilius dicunt Sporer pag.* 124. *n.*
» 43. *et Croix l.* 7. *n.* 342. *cum Azor. Sylv.*
» *Pignatell. et Sayr. excusari ab excommu-*
» *nicatione qui audit, modo non induxerit alium*
» *ad legendum. Immo Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10.
» *n.* 48. *Pal. D.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 4. *cum*
» *Con. Ugol. ac Bon. D.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *n.*
» 11. *cum Sousa, Nav. et Reg. item Fill.*
» *Tamb. etc. apud Croix l. c. dicunt excusari,*
» *quamvis induxerit; idque merito putant pro-*
» *babile Croix ibid. et Viva q.* 5. *ar.* 1. *n.* 9.
» *Atque Sporer l. c. et Sousa, ac Stephan.*
» *apud Croix excusant etiam a peccato, si au-*
» *diens ex auditione nullum periculum incurrat*
» *perversionis*) *.

293. » 4. Probabiliter non excommunicatur,
» qui hæreticam concionem, aut epistolam se-
» orsim editam legit, quia non est liber. *Laym.*
» *l. c. n.* 5. *ex Sanch.*

Sic etiam sentiunt *Sanch. Dec. lib.* 2. *cap.*

10. *n.* 30. *Holzm. p.* 77. *n.* 77. *v. Dic.* cum *Bon. Castrop. et Lugo apud Croix lib.* 7. *n.* 337. Sed oppositum tenent *Suarez*, *et Farinacius apud Salm. de Censur. c.* 4. *n.* 72. Sed vide quæ dicentur hic in fine hujus numeri. An autem incurrant censuram legentes manuscripta hæreticorum? Affirmant *Holz. l. c. et Croix l.* 7. *n.* 339. *cum Suar. Sanch. Dicast. Stoz*, *Pignat. Stephan.* et alii communiter ut asserit. Sed negant *Viva ad Prop.* 45. *Alex. VII. n.* 16. *Sporer p.* 123. *num.* 39. *ac Azor. Barb. Tanib. apud Croix*, qui putat probabile, quia revera manuscripta non sunt libri, qui facilius, cum sunt impressi, habentur, et libentius leguntur. Idem sentit *Sylvius* (*apud Croix*) dicens: *Libri manuscripti communicari possunt ad legendum*, *nam tantum prohibentur*, *ne communicentur ad imprimendum.* Refertque. *Sylvius*, sic etiam declaratum fuisse a S. C. Sed his non obstantibus, magis adhæreo primæ sententiæ, tum quia est communior, tum quia manuscripta etiam veniunt nomine libri, prout quidem libri dicebantur, antequam typum inventum fuisset, et etiam nunc Parochorum Baptismorum, Matrimoniorum, etc. in Rituali, et communiter appellantur libri. De contraria autem Declaratione S. C. ait *Croix* non satis constare. Ceterum advertunt *Salm. c.* 4. *n.* 73. *in fin.* quod in Expurgatorio Romano, edito ex Decreto Tridentini, prohibetur sub excommunicatione (non tamen reservata) legere omnes scripturas ab hæreticis compositas, etiam breves, et quamvis hæresim non contineant, donec examinentur et approbentur.

294. » 5. Non sufficit una, alterave linea. » Immo secundum *Sanch. Rodr. et Sa*, nec in» tegra pagina, etiam magni voluminis; quod

» tamen *Bon. et Laym. l. c.* non concedunt ;
» licet hic fateatur, confessario id posse ad hoc
» servire, ut non continuo damnet peccati mor-
» talis, et excommunicationis eum, qui bono
» fine, vel etiam ex curiositate unam paginam
» legit. * (*Vide dicta supra n.* 284. *v. Re-*
» *quir. III.*) *.

295. » 6. Non incurritur, si retineantur libri
» parvo tempore, v. gr. uno alterove die; quia
» sicut materiæ, ita et temporis parvitas excu-
» sat. *Laym. n.* 7. *ex Graff. Sayr. Sanch. etc.*

Hoc satis probabile est, ut dicunt etiam *Bon. D.* 6. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 15. *Holzm. p.* 178. *n.* 77. *v. Dic.* 10. *et Pal. tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. *n.* 10. Idque admittunt idem *Palaus*, *et Viva q.* 5. *ar.* 1. *n.* 9. (contra *Suarez*), etiamsi quis retineat librum illo modico tempore, animo semper retinendi, quia tametsi peccet, non incurrit tamen excommunicationem; nam qui retinet per modicum tempus, non dicitur notabiliter retinere. Immo *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 65. *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 7. *cum Sayro, ac Graff. et Pignatell. ac Stoz apud Croix l.* 7. *n.* 351. excusant eum, qui retinet librum longiori tempore, expectans tempus opportunum ad tradendum Superiori, vel alii licentiam habenti.

296. » 7. Excusat ignorantia, etiam crassa,
» si vel nescias esse hæreticum, vel tractare de
» Religione. *Laym. n.* 3. Vide *Sanch. lib.* 2.
» *Mor. c.* 18. *n.* 3. *et l.* 9. *de Matr. d.* 32.

Communiter docent DD. non incurrere censuram qui legit, aut retinet librum cum ignorantia crassa facti vel juris quia in Bulla damnantur *scienter* legentes, etc. ita præter *Bus. Laym. et Sanch.* dicunt *Bon. D.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 8. *Holzm. p.* 177. *n.* 76. *Dic.* 2. et alii

passim; et hoc est juxta dicta *n.* 47. An autem excuset ignorantia affectata? Vide *n.* 48. *et l.* 6. *n.* 1124. *circa fin.* Nullo modo tamen excusatur, qui legit aut retinet, sciens ex fama publica, vel saltem a viro fide digno librum esse prohibitum, ut docent *Lugo*, *Sanch. Bon.* et alii communiter cum *Croix l.* 7. *n.* 345.

297. » 8. Non excusatur is, qui librum vel » in aliena domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet; Item nec is, qui affirmat non esse pravum, non esse exurrendum. Item, qui impedit, ne comburatur: » qui disputationis causa defendit. Ita *Bon.* qui » tamen excusat eum, qui laudet stylum, vel » ingenium auctoris vel bonam doctrinam, quæ » in eo est, sed non quatenus in eo est; v. gr. » si dicat: hic liber esset bonus, si non haberet hæresim; quia talis non defendit. Vide » *Laym. l. c. Bon. D.* 2. *q.* 5. *p.* 4.

298. Ex communi sententia docet *Suar. D.* 20. *sess* 2. *n.* 21. *Sanch. l. c. n.* 52. *Pal. t.* 1. *de Fide D.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 7. *Ronc. de Cens. p.* 90. *q.* 2. *R.* 4. *et Salm. c.* 4. *n.* 74. *Croix. l.* 7. *n.* 347. *et Bon. D.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 5. *cum Ugol. Graff. et Sousa*, non effugere excommunicationem qui deponeret librum hæreticum apud alium, non abdicando a se dominium; quia is qui retinet dominium, adhuc dicitur librum retinere, cum possit repetere quando vult. Idem dicendum cum *Croix l. c. ex Pign.* et communi (contra *Duardum*) de omnibus aliis libris prohibitis, de quibus adest Prop. 45. damnata ab Alex. VII. ubi: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Et idem dicendum de eo qui retinet librum alterius in deposito, commodato, aut pignore,

ut *Salm. l. c. et Croix d. n.* 347. *cum Pignatell. et Duardo.* Dicit tamen *Croix n.* 353. *cum Veriuys*, bene satisfacere qui tradit librum in locum sequestratum, qui solet assignari in singulis Monasteriis. Ceterum, si quis deponeret librum apud habentem licentiam cum pacto expresso non repetendi, ita ut alter non teneatur reddere nisi post expurgationem, vel post licentiam obtentam, hunc non damnarem, quia in hoc videtur adæquate cessare periculum legendi; et tanto minus damnarem, si donaret librum habenti licentiam, sub conditione, ut reddat si deinde ipse licentiam obtineat.

299. Qui autem habet librum hæreticum, tenetur tradere Inquisitoribus ex præcepto Julii III. et Pii IV. Hinc dicunt *Suar. Barb. Dicast. etc. apud Croix l.* 7. *n.* 355. incurrere censuram, qui illum comburit in loco, ubi viget Inquisitio. Sed excusant *Salm. d. num.* 74. *et Croix n.* 355. *cum Sanch. Filliuc. et Pignat.* quia, cum liber comburitur, nequit dici quod retineatur. Attamen Julius III in sua Bulla, *Cum meditatio*, expresse prohibuit in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus qui habent libros vetitos cujuslibet speciei, ne eos lacerent, aut comburant, præcipiens eosdem deferri ad Inquisitorem, aut Episcopum.

Facultatem legendi libros prohibitos tam in Bulla, quam in Indice solus Papa, vel S. C. Indicis, aut Concilii concedere potest. Tantum in casu magnæ necessitatis ait *Viva q.* 5. *art.* 1. *n.* 10. posse eam concedere etiam Episcopum. Hic autem quæritur, an ipsi Episcopi possint legere libros prohibitos? Videbatur affirmandum; omnes enim Episcopi, ubi formale Tribunal S. Officii non adest, sunt Inquisitores

nati, qui valent via ordinaria procedere contra delinquentes in materia Fidei. Sed omnino negandum cum *Sylvio t.* 3. *q. II. a.* 3. *Concl.* 2. *in fin. Barb. de Pot. Ep. p.* 3. *All.* 90. *n.* 8. *et Bon. t.* 3. *Disp.* 1. *s.* 2. *p.* 4. *n.* 10. ex Bullis Julii III. *Cum meditatio*, et Pauli IV. *Quia in futurorum*, ac Pii IV. *Cum pro munere*, relatis ab Auctoribus præfatis, in quibus tam Episcopis, quam Inquisitoribus interdicitur librorum vetitorum lectio, *præterquam* (excipitur) *Senioribus*, *et Commissariis* hæreticæ pravitatis. Intelliguntur, to *Commissariis*, illi tantum Inquisitores, quibus commissa est aliqua particularis causa, quique legere possunt tantum libros ad illam materiam concernentes, et tantum pro tempore quo commissio viget, ut scribit, et explicat *Bon. l. c.*

300. Principaliter autem excommunicationem Papalem incurrunt Hæretici, eorumque Fautores, Receptatores, etc. ut habetur ex prima clausula Bullæ Cœnæ. Prius igitur agamus de Hæreticis, postea de Fautoribus. Ut Hæreticus hanc excommunicationem incurrat, requiritur I. Ut hæresis sit formalis, scilicet, cum errore intellectus, et pertinacia juxta dicta apud *Busemb. l.* 2. *n.* 39. Ille autem pertinax dicitur, qui adhæret suæ opinioni, non obstante, quod jam noverit eam adversari doctrinæ Ecclesiæ Romanæ. Ita *S. Th.* 1. *p. q.* 32. *n.* 4. *cum communi*, et *Salm. c.* 4. *n.* 49.

301. Sed hic quæritur 1. An incurrat hanc excommunicationem, qui errat ex ignorantia culpabili? Si ignorantia sit tantum supina, communiter excusant DD. ut *Tol. Sanch. Bon. Az. Sayr.* et plures cum *Salm. c.* 4. *n.* 50. Ratio, quia hanc censuram non incurrit, nisi qui est hæreticus formalis; sed ad hæresim formalem constat requiri veram scientiam erroris, alias

deficit pertinacia, ut supra, requisita. Dubium est, an incurrat errans cum ignorantia affectata? Affirmant *Canus*, *Val. Nav.* apud *Salm. n.* 52. Sed prababilius negant *Palaus tr.* 4. *p.* 3. § 2. *n.* 3. *cum Azor. Arag. et Farinac. ac Salm. c.* 4. *n.* 52. *cum Conin. Suarez*, *Sayr. Bann.* etc. Ratio, quia Ecclesiæ non contradicit, qui nescit se Ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat; et ideo non potest dici pertinax contra Ecclesiæ doctrinam.

302. Quæritur 2. An incurrat excommunicationem tamquam hæreticus formalis, qui circa res Fidei dubitat? Quidquid alii dicant, quorum plures nimis obscure loquuntur, dicendum cum sententia communi, quod si quis positive dubitat de aliquo dogmate fidei ab Ecclesia jam definito, judicans illud esse incertum propter rationes oppositas, procul dubio hic est hæreticus; et excommunicationem incurrit, ut habetur ex *c.* 1. *de Hæret.* ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Secus vero, si quis negative se haberet super aliquo articulo, suspendendo judicium, et ad alia se divertens, ne mentem fatiget, vel ut ad aliam cogitationem se applicet. Attamen advertendum, quod si ille deliberate et pertinaciter assensum ideo suspenderet, quia judicat motiva contraria fidei incertam reddere veritatem illam, tunc pariter ut hæreticus habendus est; ipse enim revera positive dubitat de veritate fidei, dum format deliberatum et pertinax judicium non esse certa omnia dogmata, quæ ab Ecclesia ut certa proponuntur; ita *C. de Lug. t.* 3. *D.* 20. *de fide n.* 16. *Sylv. t.* 3. *in* 2. 2. *q.* 11. *ar.* 1. *Vigandt. Tr.* 7. *Exam.* 3. *q.* 11. *Antoine Tract. de Virt. Theol. c.* 3. *q.* 6. *Salm. de censur. Tr.* 10. *c.* 4 *n.*

11. *et* 56. *Cuniliat. Tr.* 4. *de* 1. *Præc. c.* 2. §. 3. *n.* 4. *Nat. Alex. de Sacr. Ord. lib.* 4. *art.* 8. *reg.* 23. *Bonac. de Censur. D.* 2. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 3. *Concina Comp. lib.* 3. *diss.* 1. *cap.* 9. *n.* 3., *P. Ferraris Bibl. verb. Hæreticus n.* 4. et alii.

303. Requiritur II. Ut error internus externe significetur per verba, aut signa ex se, vel ex circumstantiis hæresim manifestantia, ita communiter *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. *num.* 1. *et Salm. de Censur. c.* 4. *num.* 46. Hinc docet *Laym.* non incurrere hanc excommunicationem 1. Qui est hæreticus pure mentalis. 2. Qui abstinet a Missa, a jejunio, ab adorando Sacramento, etiam quia hæreticus est; possunt enim hæc attribui oblivioni, vel pravæ conscientiæ, nisi ex circumstantiis clarius manifestetur error. 3. Qui diceret: *Non est Deus*, tacito verbo, *Christus*; vel qui hoc scriberet charactere non intelligibili: Ratio, quia ad incurrendam excommunicationem voces, aut signa debent ex se hæresim exprimere. 4. Qui assereret se antea secutum fuisse hæresim, vel tunc propositum habere sequendi in futurum: quia sic non judicatur hæreticus præsens; Ita *Laym. n.* 4. *cum Azor. et Sanch.*

304. Requiritur III. Ut Actio, hæresis manifestativa, sit moraliter mala; quare non incurrit excommunicationem, qui se manifestat ad petendum consilium. IV. Requiritur, ut ille suam hæresim manifestet, animo eam profitendi, ut docet *Laym. l. c.* Alioquin in his omnibus casibus, quia hæresis tantum ratione excommunicationis est reservata, potest ipsa a quolibet Confessario absolvi, sicut et excommunicatio illi annexa ex alio jure, nempe ex *c. Christus, et c. de Sentent. exc.* ubi excommunicatio contra

Hæreticos universe lata est, sed non reservata; ita communissime DD. Vide *Salm. c. 4. n.* 48.

305. Advertendum vero 1. quod, ut excommunicatio incurratur, sufficit, ut manifestatio erroris etiam occulte fiat, quin aliis innotescat; prout certum est, et commune cum *Salm. de Cens. c.* 1. *n.* 142. *in fin. ac Azor. Avila, et Cornejo ibid.* et aliis passim. Quod si manifestatio fuerit notoria, Hæreticus tamen non est vitandus, nisi sit etiam nominatim declaratus, et insuper publice denunciatus, *Salm. cap.* 4. *n.* 47. *in fine*, juxta dicta n. 172. Advertendum 2. quod illi qui in hæresim incidunt, invincibiliter excommunicationem ignorando, eam non incurrunt juxta dicta *lib.* 6. *n.* 74.

306. Deinceps hanc excommunicationem incurrunt etiam Hæreticorum *Credentes*, idest qui eorum erroribus se assentire externe manifestant, v. g. si quis dicat: *Credo, quod credit Calvinus*, vel *quod Calvinus fuit sanctus vir*. Incurrunt etiam *Fautores*, idest qui Hæreticis favent aut omissione, omittendo scil. cum possint et tenentur ex officio Hæreticum capere, custodire, punire: aut commissione, illum laudando, vel adjuvando, ut fugiat. *Receptatores*, qui hospitio recipiunt, vel occultant (etsi semel) Hæreticum, ut effugiat pœnas suæ hæresis. *Defensores*, qui errores illius defendunt, etsi interne aliud sentiant, vel qui impediunt, ne ille a judice capiatur, aut puniatur; ita *Suarez de Censur. D.* 21. *sess.* 2. *n.* 6. *Sanch. l.* 2. *c.* 19. *n.* 2. *et Salm. c.* 4. *n.* 63. *cum aliis communiter.*

307. Quæritur hic I. An hi *Fautores*, etc. ut supra, incurrant excommunicationem, et alias pœnas, si non ex motivo favendi hæresi, sed ratione consanguinitatis, amicitiæ, aut similis

Hæreticis favent? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Pal. de Cens. D.* 3. *p.* 2. *n.* 5. *Tolet. in expos. B. Cœnæ c.* 1. *n.* 2. *Viva de Cens. q.* 5. *ar.* 2. *n.* 7. *in fin.* item *Sayr. Suar.* etc. *Salm. c.* 4. *n.* 67. Sed valde probabiliter negat *Secunda* sententia, quam tenent *Sanch. l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. *Bon. D.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 2. *et Salm. num.* 18. *cum Soto*, *Azor. Arag. Fagn. etc.* ac probabilem putat *Laym.* Ratio, quia, cum Ecclesia excommunicat Fautores Hæretici, tunc tantum eos damnare censetur, qui Hæretico favent, quatenus hæreticus est. Hinc probabiliter excusantur ab excommunicatione parentes, filii, et etiam fratres Hæretici eum receptantes, ut docent *Laym.* et *Salm. ib. in fine.*

308. Quæritur II. An incurrat, qui Hæreticum recipit, ne capiatur vel puniatur; si nihilominus in effectu ille jam incidat in manus Judicis? *Prima* sententia, quam tenent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 9. *Bon. D.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *num.* 4. *ac Suar. D.* 21. *sess.* 3. *n.* 8. *et Fill. Leand.* et alii *apud Salm. c.* 4. *n.* 69. qui probabilem putant, negat. Ratio, quia fautores seu receptatores excommunicantur in ordine ad fovendam hæresim; ergo si accidit hæresim non foveri, excommunicationi non subsunt. *Secunda* vero sententia, quæ mihi magis arridet, et tenent *Pal. D.* 3. *p.* 2. *n.* 5. *Sayr. l.* 3. *c.* 5. *n.* 4. *ac Duard. et Graff. apud Salm. n.* 70. affirmat. Ratio, quia ipse tunc quod aliquis Hæreticum recipit, sequitur affectus favoris, et ille censuram incurrit, cum de facto jam hæresim foveat, impediendo ne Reus capiatur, saltem illo medio temporis quo eum servat absconditum, unde non officit quod postea cesset per capturam effectus receptionis.

309. Excommunicationem autem Bullæ incurrunt insuper I. Surripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive in mari ab eis ejecta, sive in litore inventa. Requiritur tamen 1. ut acceptio sit injusta, et ex certa scientia, quod illa sunt bona naufragantium. Ita *Viva Q.* 5. *Ar.* 2. *n.* 3. Requiritur 2. ut bona non habeantur ut derelicta; Hinc excusatur accipiens papyrum, farinam, saccharum, et similia projecta, quia talia communiter pereunt in mari, statim ac projiciuntur. Ita pariter, qui accipit bona quæ diu in litore jacuerunt, quia merito præsumuntur illa tunc haberi a dominis pro derelictis. Ita *Viva l. c.* et *Salm. c.* 4. *n.* 82.

310. II. Incurrunt Domini, qui in Terris suis sine privilegio imponunt pedagia, idest tributa pro transitu personarum, sive rerum, vel pro refectione, et custodia viarum, aut gabellas, idest impositiones pro delatione, et venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes Principes Supremi, prout Pontifices, Reges autem, Respublicæ, et Universitates, ad subveniendum Civium necessitatibus bene etiam possunt collectas sibi imponere, ita *Viva Q.* 5. *ar.* 2. *n.* 4. et *Salm. c.* 4. *n.* 83. cum *Vasq. Dic.* etc. Vide alia apud *Viva* et *Salm. ll. cc.*

311. III. Incurrunt Piratæ interficientes, aut deprædantes Christianos in mari Ecclesiastico. IV. Falsificatores Litterarum Apostolicarum. V. Transmittentes arma, sive armorum materiam ad hostes infideles, sive hæreticos declaratos. VI. Injuste impedientes deferri victualia ad Roman. Curiam. VII. Vexantes eos qui accedunt, vel recedunt a Romana Sede ob nogotia ad illam spectantia. VIII. Vexantes peregrinos, qui devotionis causa Romam petunt. IX. Vexantes,

seu ejicientes Episcopos, Legatos, vel Nuntios a suis Diœcesibus: Nec non id mandantes, ratum habentes, faventes, etc. X. Percutientes, aut expoliantes eos (sive eorum Procuratores), qui Curiam Romanam pro suis negotiis petunt. XI. Appellantes sub privato prætextu ad Curias laicales in causis Ecclesiasticis, ad impediendas Litteras Apostolicas. XII. Qui auctoritate laica, vel prætextu exemtionis causas spirituales, vel ipsi annexas ad se avocant a Judicibus Ecclesiasticis, etc. ita apud *Viva Q.* 5. *A.* 2. *n.* 13. XIII. Qui ex quovis colore trahunt, vel trahi faciunt personas Ecclesiasticas ad Tribunal Laicale, etc. Vide *Viva d.* 15. XIV. Impedientes Judices Ecclesiasticos sua jurisdictione uti. XV. Usurpantes jurisdictionem, et fructus Beneficiorum. XVI. Imponentes onera Ecclesiasticis. Qui tamen (advertendum) tenentur contribuere, quando imponuntur collectæ pro refectione, v. g. viarum, fontium, etc. quorum utilitas directe pertinet etiam ad ipsos; *Viva n.* 18. *cum Abb. et Mol.* XVII. Se interponentes sine jurisdictione in causis criminalibus contra Ecclesiasticos. XVIII. Usurpantes jurisdictionem in Terris Ecclesiæ Romanæ. Denique ex Bulla Clem. VIII. Incurrunt excommunicationem adhuc reservatam omnes sine facultate absolventes ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ extra mortis articulum, ut *Viva d. Ar.* 2. *in fin.*

CAPUT III.

De Suspensione, et Degradatione.

DUBIUM I.

Quid sit Suspensio, quotuplex, et unde dignoscatur qualis et quanta sit?

312. *Quid est suspensio? et quis suspendi, aut suspendere potest?*
313. *An peccet graviter exercens actum a quo est suspensus?*
314. *Dub. 1. An incurrat irregularitatem, si suspensio si facta ad tempus? Dub. 2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem, Pontificalia exercendo? Et quid si Missam sollemniter celebret? An Sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat? Quid si toleratus? vel si sit suspensus tantum ab Ordine?*
315. *Quot modis possit ferri suspensio?*
316. *Qualitas suspensionis ex quo colligatur? vide Resol. apud Busemb. Dub. 1. An suspensus a Beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus? Dub. 2. An suspensus a Beneficio censeatur suspensus etiam a Beneficiis quæ possidet in aliena Diœcesi?*
317. *An suspensa Communitate, sint singuli suspensi? et an isti incurrant irregularitatem? An suspensio debeat ferri in scriptis?*

Excusatur tamen 1. Si exercet Ordinem non Sacrum, vel Sacrum, sed non sollemniter; *Salm. n.* 13. *et Tourn. t.* 2. *p.* 221. *q.* 5. *cum S. Anton. Habert Sayr. etc.* (contra *Suarez*, *et Navarr.*). Vide dicta *l.* 6. *n.* 38. *v. Objic.* 2. Excusatur 2. saltem a gravi culpa, si exercet ob ignorantiam, aut metum gravem, aut in parva materia, puta si fuerit suspensus a jurisdictione, vel ab Ordine, et exerceret actum levem jurisdictionis, aut benediceret mensam; secus si benediceret aquam, nuptias, fructus, etc. juxta sollemnitates Ecclesiæ; *Bon. D.* 3. *p.* 4. *n.* 6. *Holz. p.* 394. *n.* 248. *Tourn. l. c. et Salm. c.* 3. *n.* 12.

314. Sed hic dubitatur 1. An incurrat irregularitatem Clericus exercens actum a quo erat suspensus, si suspensio fuerat lata pro tempore determinato? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Gabriel*, *Avil. et Villal. apud Salm. c.* 5. *n.* 15. qui probabilem putant cum *Dian.*, quia (ut dicunt) suspensio lata pro tempore determinato habet rationem puræ pœnæ, quæ non inducit irregularitatem. *Secunda* sententia communior affirmat, et hanc tenent *Suarez D.* 26. *sess.* 2. *n.* 3. *Bon. D.* 3. *part.* 4. *n.* 6. *Pal. Dub.* 4. *p.* 6. *n.* 5. *Tourn. pag.* 522. *Escob. l.* 5. *n.* 96. *et Viva q.* 6. *art.* 4. *n.* 5. Probatur hæc ex *c.* 1. *de Sent. et re judic. in* 6. ubi quidam, cum fuerit suspensus ad tempus, et sic ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis. Limitant vero *Viva et Tourn. ll. cc. et Salm. c.* 5. *n.* 8. nisi suspensio sit oretenus lata, quia, cum censura non possit licite ferri sine scriptura, ut dicemus *n.* 317. non præsumitur Episcopum voluisse delinquere, censuram oretenus ferendo. *Tertia* sententia quam probabilem putat *Ronc.*,

p. 106. *q.* 5. *R.* 2. *cum* aliis, et quæ mihi videtur absolute probabilior, distinguit et dicit, quod si suspensio fuerit lata per modum statuti aut præcepti ob crimen futurum, vel etiam præteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgradiens verius incurrit irregularitatem, ut patet ex textu præfato. Secus si suspensio sit lata ab homine per sententiam, ob meram punitionem criminis omnino præteriti, quia talis suspensio habet rationem meræ pœnæ, non censuræ, juxta dicta *n.* 52. Censura enim, cum sit pœna medicinalis, nequit ferri ob delictum omninò præteritum, ut diximus *n.* 54. Ergo quando quis transgreditur hujusmodi suspensionem, nullam incurrit irregularitatem, quæ non a violantibus pœnas sed censuras, incurritur. Neque huic sententiæ obstat textus prædictus, nam ibi non fit sermo de suspensione lata ab homine per sententiam particularem, sed lata a jure per statutum generale, quod respicit crimina futura; unde talis suspensio erat vera censura.

Dubitatur. 2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem, si Pontificalia exercet, puta confirmando, consecrando Calices, etc. negant *Sylv. v. Suspensio* §. 5. *ac Innoc. Abb. Archid. Socin. etc. apud Fagn. l.* 1. *in c. vel non est compos. de Temp. Ordin. n.* 17. *ad* 20. quia (ut dicunt) Episcopatus non est Ordo, sed potius extensio, sive complementum Ordinis Sacerdotalis, ut tenent *Salm. de Ordin. c.* 1. *n.* 26. *cum Soto*, *Gonet*, et aliis ex *D. Th. Suppl. q.* 40. *ar.* 5. Unde inferunt Episcopum exercendo has functiones non contrahere irregularitatem, cum hæc incurratur a censurato, tantum quando exercet Ordinem Sacrum. Affirmant vero probabilius *Nav. c.* 27. *n.* 163. *Bon. D.* 3. *p.* 4. *n.* 6.

v. Tertio, *cum Major. et Alter. ac Fagn. l. c. n.* 36. *cum Palud. Ang. etc.* Ratio, quia, etiamsi sententia quod Episcopatus sit tantum extensio Ordinis sacerdotalis, et non distinctus, esset vera (quod negant plurimi *apud Salm. l. c.*); tamen non potest negari quod tale exercitium potestatis Episcopalis sit actus Ordinis Sacri, si non distincti, saltem extensi; quapropter Episcopus tunc dicitur vere exercere actum Sacri Ordinis. Tanto magis quod idem *D. Th. l. c.* ait, quod licet Episcopatus non sit Ordo respectu ad Corpus Christi reale; tamen est verus Ordo respectu ad potestatem in Corpus Misticum; unde prima sententia non videtur satis probabilis.

Si autem Episcopus suspensus a Pontificalibus Missam celebrat sollemniter in apparatu pontificali, certum est quod peccat, ut recte dicunt *Filliuc. tr.* 17. *c.* 2. *n.* 28. *Sayr. l.* 4. *c.* 4. *n.* 13. *et Renzius pag.* 643. *q.* 4. An autem incurrat etiam irregularitatem? Affirmant *Angel. v. Suspensio* 3. *n.* 3. *Nav. Bon. et Fagn. ll. cc.* Ratio, quia talis celebratio est actus proprius Ordinis Episcopalis, cum non possit exerceri nisi ab Episcopo consecrato. Negant vero probabilius *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 4. *cum Sylv. Cov. et Avila*, *ac Diana p.* 5. *tr.* 10. *R.* 4. *cum Joan. Prœpos.* qui testatur hanc esse communiorem DD. sententiam. Ratio, quia Episcopus sacrificando non exercet actum substantialem Ordinis Episcopalis, sed actum Ordinis Sacerdotalis a quo non est suspensus; Et quod celebratio fiat cum Pontificalibus, per accidens se habet; irregularitas autem non incurritur, nisi in exercitio actus Ordinis prohibiti. Et hanc sententiam expresse tenet etiam *D. Anton.* 3. *p. tit.* 27. *c.* 4. §. 4. *v. Si est suspensus*,

cum Hostiensi, sic dicens : *Suspensus a Pontificalibus, si celebrat in Pontificalibus, non erit irregularis, quia Pontificalia non sunt de substantia celebrationis, nec debemus judicare aliquem irregularem, nisi inveniatur expressum.* Tanto magis quod ait idem *Fagn. l. c. in c. Quæsitum de Cohab. Cler. n.* 15. *cum Archid. etc.* suspensus propter crimen, tum solum incurrere irregularitatem, cum Canon id exprimit, quia alias suspensio intelligitur lata quoad se tantum, nempe quod tamquam indignus prohibeatur a ministrando.

» 4. Suspensus non toleratus invalide absol-
» vit, quia non habet jurisdictionem. * (*Ita*
» *Salm. c.* 5. *n.* 15. *Secus si toleratus, quia*
» *hic valide jurisdictionem exerceret : etsi illi-*
» *cite, si non esset requisitus; Salm. ibid. Su-*
» *spensus autem ab Ordine, non est suspensus*
» *a jurisdictione. Ita S. Thom.* 3. *p. q.* 22.
» *art.* 3. *Salm. c.* 5. *n.* 15. *communiter*) *.

315. » Resp. 2. Suspensio 1. alia fertur ad
» certum tempus, quo elapso, expirat : alia
» fertur absolute, seu indefinite, manetque,
» donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est
» ab officio, sive id sit Ordinis, sive jurisdi-
» ctionis; alia a beneficio; alia ab utroque. 3.
» Suspensio ab Officio, vel est a toto, vel a
» parte tantum, scilicet a functione Ordinis, vel
» jurisdictionis. Item suspensio beneficii, vel a
» beneficio absolute, vel a quibusdam tantum
» functionibus, ejus ratione competentibus.
» *Laym. Bon. ll. cc.*

316. » Resp. 3. Quantitas, et qualitas suspen-
» sionis colligi debet ex verbis, quibus fertur :
» Quæ, utpote in re odiosa, non amplius
» sunt extendenda, quam proprie accepta si-
» gnificent.

Unde resolves.

» 1. Suspenso absolute, et in toto prohibe-
» tur omne exercitium ratione officii prove-
» niens, tam Ordinis, quam jurisdictionis: et
» consequenter non potest celebrare, nec vali-
» de excommunicare, beneficia conferre, etc.
» Suspensus vero a parte beneficii determinata,
» v. g. ab Ordine tantum vel jurisdictione,
» privatur tantum illius officii functionibus. Un-
» pe Episcopus, v. gr., a jurisdictione suspen-
» sus, etsi non possit excommunicare, absolve-
» re, delegare, etc. potest tamen exercere actus
» Ordinis, ut consecrare templa, ordinare, etc.
» *Conc. l. c.*

» 2. Suspensus a certa functione Ordinis, v.
» gr. a Sacramentorum administratione, non
» est suspensus a Sacrificio. Similiter suspensus
» ab Ordine potest nihilominus conferre primam
» tonsuram, quia non comprehenditur sub Or-
» dine. *Bonac. p.* 2. *n.* 6.

3. » Suspensus ab officio simpliciter non in-
» telligitur suspensus a beneficio, seu fructibus
» ejus. Debet tamen per alium supplere qui per
» se nequit, ut fructus percipiat. *Bon. n.* 10.
» *ex Nav. Suarez, Henr. Fill.* etc. * (*Com-*
» *mune est apud omnes, quod suspensus ab*
» *Officio non suspenditur a Beneficio; ita Sua-*
» *rez D.* 27. *sess.* 3. *n.* 4. *Pal. p.* 5. §. 1.
» *n.* 5. *Tournely pag.* 516. *Antoin. pag.* 663.
» *n.* 2. *et Salm. c.* 5. *num.* 10. *cum Sanch.*
» *Avil. Con. etc. communiter, ex c.* 10. *de*
» *Purg. Can. et c.* 10. *de Vita, et hon. Cler.*
» *consentit Fagn. l.* 3. *in c. Quæsitum de Co-*
» *hab. Cler. etc. num.* 30. *Sed recte limitant*
» *Fagn. et Glossa in Clement. Cupientes de*

» *Pœnis*, *primo si crimen sit enorme*, *ut patet* » *ex c. Inter*, 10. *de Purg. Can. Secundo si* » *Reus contemnat suspensionem*, *nempe per an-* » *num in ea manendo*, *ut habetur ex c. Cum* » *bonæ*, *de Ætate*, *et qualit. etc.*) *.

» 4. Suspensus ab Ordine non videtur suspen- » sus a beneficio; quia beneficium non funda- » tur in Ordine. *Bonac.* tamen dicit, indirecte » suspendi a fructibus ejus: quia, dum non pot- » est facere officium, non potest percipere fru- » ctus. Vide *seq. n.* 5.

» 5. Suspensus a beneficio, etsi hoc ipso in- » telligatur suspensus a recipiendis fructibus ejus, » non tamen ab officio sive jurisdictionis, sive » Ordinis, etiam quod illi ratione ipsius bene- » ficii competit. Unde tenetur legere Horas, et » cetera onera beneficii præstare, licet fructibus » non fruatur; hoc enim debet sibi imputare. » Non tamen privatur commodo, quod prove- » nit ex anniversariis stipendiis Missarum, nec » eo, quod datur propter onus personale Cle- » rici: quia non sunt fructus beneficii. Secus » est de distributionibus quotidianis. * (*Ita et-* » *iam Nav. Cov. etc. apud Salm. c.* 5. *n.* 21. » *Sed contradicunt Pal. p.* 5. §. 1. *num.* 7 *et* » *iidem Salm. ibid. cum Sanch. Avila*, *Hen-* » *riq. etc. quia pœnæ non sunt extendendæ*, » *ubi non sunt in jure expressæ*, *prout nullibi* » *id expressum habetur*) * licet ex his, vel » aliis beneficii fructibus possit ali, si aliunde » sustentari nequeat. *Bon. l. c. n.* 12. *Sayr.* » *Suar. Filliuc.* etc.

Dubitatur 1. An suspensus a Beneficio, si sit pauper, possit fructus sibi retinere? Respondetur affirmative, si suspensio est lata in pœnam criminis omnino præteriti (vide dicta *l.* 3. *n.* 602.); Secus si fuerit lata ob contumaciam, quia non

debet ab Ecclesia subveniri ei qui voluntarie Ecclesiæ disciplinam vilipendit, cum libere possit a sua contumacia recedere; ita *Suarez D.* 27. *sess.* 2. *n.* 3. *Fill. tr.* 27. *n.* 53. *Renzius pag.* 644. *q.* 7. cum communi, *et Dian. p.* 5. *tr.* 10. *R.* 3. *cum Sayr. Turrian. Corn. Gondon. Con. et Avila.* Dicunt tamen. *Tourn. t.* 2. *p.* 518. *v. Dico* 2. *Diana*, *et Renzius ll. cc. cum P. Nav. Avila*, *Pelliz. et Hurt.* quod licet Beneficiarius per se teneatur fructus restituere, si tamen fuerit occulte suspensus, et munia debita jam impleat, poterit sibi retinere partem quam dare deberet substituto, hi enim non sunt fructus Beneficii, sed stipendium laboris; vide dicta *l.* 3. *d. n.* 672.

Dubitatur 2. An suspensus a Beneficio censeatur suspensus etiam a Beneficiis quæ possidet in aliena Diœcesi? Negat absolute *Sayr. l.* 4. *c.* 6. *n.* 21. quia (ut ait) Episcopus extra suum territorium nullam habet jurisdictionem. Alii vero distinguunt, et negant si suspensio sit lata ab homine, secus si a jure, quia jus ubique locum habere debet; ita *Decius*, et *Renzius t.* 1. *p.* 645. *et Tourn. t.* 2. *pag.* 518. *cum Pont.* pro certo habent suspensionem comprehendere omnia Beneficia, si sit a jure; si vero sit ab homine, dicunt intelligi tantum a Beneficiis propriæ Diœcesis, quando est lata per statutum; secus si per sententiam, modo Episcopus exprimat velle suspendere ab omnibus Beneficiis, quia, licet ei non subjaceant Beneficia alienæ Diœcesis, subjacet tamen persona suspensi, qui jus habet ad fructus Beneficii: unde, cum suspensio impediat ipsi jus exigendi, consequenter ille suspenditur ab omnibus Beneficiis. Quando autem suspensio est per statutum generale, intelligitur lata solum circa Beneficia in Diœcesi.

Dubitatur 3. An si suspensus acquirat novum Beneficium tempore suspensionis, collatio sit nulla? Affirmant *Bon. D.* 3. *p.* 2. *num.* 10. *et Holzm. pag.* 393. *n.* 240. *v. Dixi*, *cum Palao*, *et Manstrio*, quia Beneficia dantur propter officium; ergo suspensus a Beneficio acquisito est etiam suspensus a Beneficio acquirendo, cum non possit munia Beneficii exercere. Negant vero probabilius *Suarez D.* 26. *sess.* 3. *n.* 8. *Laym. tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 4. *Antoine p.* 634. *v.* 2. *Renzius p.* 645. *q.* 9. *et Diana p.* 5. *tr.* 10. *R.* 7. *cum Cornejo*, *Gordon. Præpos. Con. etc.* Hi dicunt talem collationem esse quidem irritandam, sed non irritam; quia nulla pœna debet infligi, nisi in jure sit expressa; nullibi autem hæc pœna habetur; immo ex *c. Cum bonæ* 8. *de Ætate*, *et qualit.* contrarium colligitur, dum ibi, cum aliqui quadriennium mansissent in suspensione, mandavit Pontifex expoliandos a Beneficiis tam ante, quam in suspensione acquisitis; ergo collatio fuerat valida.

» 6. Suspensus a beneficio potest nihilominus » eligere, præsentare, conferre Beneficium, » quia, etsi hæc jura competant illi ratione Be- » neficii, illi tamen actus non sunt beneficii, » præcise ut sic, sed potius officii, et jurisdi- » ctionis. *ibid.*

» 7. Suspensus a beneficio, vel Ordine abso- » lute, et sine addito, intelligitur suspensus ab » omni beneficio, vel Ordine, nisi aliunde » aliud constet. *ibid. n.* 8.

» 8. Suspensus absolute, intelligitur ab offi- » cio, et beneficio, *Laym. c.* 1. *n.* 2.

317. » 9. Suspenso Capitulo, vel Conventu, » non censentur suspensi singuli, nisi sint in » culpa, ait *Sa*, *v. Suspensio*, *et Laym. l.* » *c. c.* 2. *n.* 3.

Quando suspensio fertur in solam Communitatem, non afficit singulas personas quoad munia particularia, sed tantum quoad Officia vel beneficia totius Communitatis; ita communiter *Bon. D.* 1. *q.* 1. *n.* 111. *Holzm. n.* 248. *et Salm. c.* 5. *n.* 43. *et* 46. *cum D. Th. Avil. Henr. Diana, etc.* Quod si aliqui exerceant functiones Communitati tunc vetitas, dicunt *Pal. D.* 4. *p.* 3. *n.* 3. *Suar. D.* 28. *sess.* 4. *n.* 4. *Ronc. pag.* 106. *q.* 7. *R.* 2. *et Salm. n.* 47. *cum Con. et Cornejo*, eos non incurrere irregularitatem, quia prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas particularium personarum ad talia Officia. Si vero suspensio fertur in Communitatem, et in singulas ipsius personas, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes; nemo enim potest excommunicari aut suspendi pro culpa aliena, ut communiter docent *Suar. l. c. num.* 3. *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 9. *Salm. c.* 5. *n.* 45. *cum Nav. Sot. et Pal. ac Escob. l.* 51. *n.* 56. *cum Con. Avil. Henr. et Hurt.* Et patet ex *c.* 2. *de Constit.* et Clarius ex *cap. de His quæ fiunt a major. part. Cap.* ubi dicitur: *Cum peccata suos auctores tenere debeant, ne pœna sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente refertum.*

» 10. Si Prælatus solo verbo dicat Sacerdoti,
» *suspendo te*, v. gr. *a celebratione*, videtur
» esse simplex tantum prohibitio, non censura,
» quia hæc licite non fertur, nisi scripto * (*ut*
» *n. seq. ad n.* 2.) * Prælatus autem non de-
» bet præsumi velle peccare, nisi aliud constet
» de ejus intentione; aut nisi religio habeat pri-
» vilegium absque scripto ferendi censuras. Vide
» *Bon. de censuris in communi d.* 1. *q.* 1. *p.*

» 1. * (*Ita etiam Salm. c. 5. num. 8. cum* » *Nav. et Henr.*) *.

DUBIUM II.

Quæ sint suspensiones in particulari; et quis ab eis possit absolvere.

318. *Quæ sint suspensiones Juris communiores Clericorum?*
319. *Quæ Religiosorum?*
320. *Quæ Episcoporum?*
321. *An quis possit suspendi ob culpam levem.*
322. *Quis possit absolvere a suspensione.*

318. » REspond. 1. Suspensiones Juris com» muniores sunt sequentes.

» 1. Clerici ipso jure suspensi sunt, Recipien» tes Ordines sacros ab alieno, vel a proprio » in aliena diœcesi, vel sine ætate legitima, » aut dimissoriis, aut titulo, vel extra tempo» ra, aut non servatis interstitiis, per saltum, » vel in censura, vel denique post matrimo» nium ratum, qui omnes suspensi sunt ab exe» cutione Ordinum, nisi fecerint absque dolo, » et si Ordine utantur, fiunt irregulares. 2. Ex» communicans, suspendens, aut interdicens » sine scriptura, et causæ expressione, est sus» pensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi » sit Prælatus regularis. 3. Clerici scienter eli» gentes Episcopum, vel Parochum indignum » suspenduntur a beneficiis biennio. 4. Ordi» nans, et ordinatus simoniace est suspensus ab » Ordinibus. 5. Parochi jungentes sponsos alte» rius Parochiæ sine licentia. 6. Gravantes alie» nis debitis Ecclesias sibi commissas. 7. Occu-

» pantes bona, vèl census Ecclesiæ, beneficii,
» vel ulterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes,
» simoniaci, provocantes ad duellum, vel ac-
» ceptantes, raptores, vel præbentes auxilium.
» 9. Disputantes in alterutram partem in cœtu
» virorum, ac mulierum, de Immaculata
» Conceptione Beatæ Virginis. 10. Visitan-
» tes, si accipiant pecuniam, vel munera:
» qui, si sint Episcopi, suspensi sunt ab in-
» gressu Ecclesiæ; si inferiores Episcopo, ab
» officio, et beneficio, usque dum restituant
» duplum. 11. Judex Ecclesiasticus (non Epi-
» scopus), qui facit injuriam, contra justitiam,
» et conscientiam, parti litiganti. Vide *Bon.*
» *d.* 3. *p.* 5. * (*Adde* 12 *Negantes absolu-*
» *tionem renuenti complicem manifestare; hi*
» *subjacent suspensioni ferendæ sententiæ ex*
» *Bulla*, Ubi primum *Benedicti XIV. Vide*
» *in fine libri Decretum IV. Adde* 13. *Latini*
» *celebrantes Ritu Græco, et Græci Ritu La-*
» *tino. Bulla* Etsi Pastoralis, §. 6. *n.* 10.) *.

319. » 2. Religiosi. 1. Apostatæ recipientes
» Ordines in Apostasia. 2. Admittentes ad pro-
» fessionem ante annum probationis peractum.
» 3. Non utentes habitu, et vestitu modo sibi
» præscripto. 4. Introducentes mulieres in mo-
» nasteria.

320. » 3. Episcopus. 1. Ordinans non sub-
» ditum suspensus est per annum a celebratione
» Pontificalium. 2. Admittens resignationes,
» contra formam præscriptam. 3. Intrans mona-
» steria monialium sine necessitate. V. *Fill. t.*
» 17. *c.* 5.

321. » Resp. 2. Præter has suspensiones aliæ
» sunt ab homine, quæ, si sint graves, re-
» quirunt culpam mortalem, v. gr. ut quis
» suspendatur ab omnibus actibus sui officii, vel

*

» fructibus unius anni. Potest tamen aliquis ob
» peccatum veniale privari ante motu, v. gr.
» eligendi.

Sed hic dubitatur, an ob peccatum veniale possit referri suspensio? Affirmant *Nav. c.* 27. *n.* 151. *et* 159. item *Armil. Medina*, et *Henr. apud Escob. l.* 51. *n.* 58. Sed verius et communissime negant *Suar. D.* 28. *sess.* 4. *n.* 6. *Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 32. *n.* 9. *Pal. D.* 4. *p.* 3. *n.* 4. *Salm. de Censur. c.* 1. *n.* 26. *et c.* 6. *n.* 94. *Elb. p.* 444. *n.* 115. *cum Fill. et Escob. n.* 59. *cum Laym. Soto, Vasq. Con. et Hurt.* si suspensio sit major, nempe ab omni usu Officii, et Beneficii, vel ab aliquo eorum per notabile tempus, tunc enim requiritur mortale, quia pœna debet cum culpa proportionari; unde esset nulla suspensio, si ob peccatum veniale imponeretur. Secus vero, si suspensio esset partialis, nempe tantum ab Officio, vel a Beneficio, et ad breve tempus, ut *Suar. n.* 2. *Pal. n.* 2. *Salm. n.* 124. *et Bon. D.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 8. qui idem dicit, si suspensio esset totalis, sed ad valde breve tempus, puta ad diem, vel hebdomadam. Idem dicunt *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 4. *n.* 17. *Pal. tr.* 3. *D.* 1. *p.* 15. *n.* 3. et *Salm. de Leg. c.* 2. *n.* 46. *cum Suar. Caj. Vasq. Tapia, etc.* si suspensio sit ferendæ sententiæ; nam contra, si sit latæ sententiæ, vel sit indicta a jure, taliter ut incurratur sine alia monitione, non incurritur nisi ob mortale peccatum.

322. » Resp. 3. Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere a suspensione non reservata: et communiter Religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiæ: et Episcopus potest absolvere ab omni suspensione juris, si Sedi A-

» postolicæ specialiter reservata non sit. *Laym.*
» *c.* 4. *n.* 2. ex *Nav. Suar.* etc. Immo etiam ab
» hac, si proveniat ex delicto occulto, et non
» deducto ad forum contentiosum. *Con. d.* 3.
» *p. ult. ex Trid. sess.* 24. *c.* 6.

Si suspensio sit imposita ad tempus, vel conditionate, v. gr. *donec*, vel *nisi restituas*, tunc, termino transacto, de se tollitur suspensio sine absolutione, ut *Salm. c.* 6. *n.* 53. cum *Con. Pal. Avil. Henr.* Si vero sit imposita absolute, quisque confessarius potest eam absolvere, nisi sit reservata, vel nisi requirat satisfactionem partis. Cum autem fertur suspensio in Communitatem, is tantum ab illa absolvere potest, qui in communitatem jurisdictionem habet in foro contentioso; *Salm. c.* 5. *n.* 52.

DUBIUM III.

Quid sit Depositio, et Degradatio? et a quo, et ob quam causam ferri possit?

323. » SUbjici solent suspensioni Depositio,
» et Degradatio (etsi censuræ non sint, ut di-
» ctum est *c.* 1.) ob similitudinem, quam ha-
» bent cum suspensione, cum utraque sit ab
» Ecclesiastico Ordine, aut beneficio. Differunt
» autem a suspensione, quod illæ auferant
» ipsum jus radicale, et titulum beneficii, idque
» in perpetuum, suspensio non item. Porro De-
» positio generice accepta, alia est Verbalis,
» quæ absolute Depositio dicitur: alia Realis,
» quæ dici solet Degradatio.

324. » Resp. 1. Degradatio est privatio exe-
» cutionis officiorum, et beneficiorum simplici-
» ter, in toto, et absque spe restitutionis, facta

» cum certa sollemnitate, et privatione privilegii
» Clericalis, tam Canonis, quam fori, ita ut
» sæculari curiæ subdatur.

» Dixi, *Executionis*, quia Ordo ipse non
» potest tolli. Interim degradatus tenetur ad vo-
» tum castitatis, si fuit in sacris * (*Et invali-
» de Matrimonium contraheret, atque valide
» consecraret hostiam; Salm. c. 5. n. 60. cum
» aliis*) * et ad horas, nisi has forte pœna,
» ad quam damnatur, v. gr. triremes, vel aliud
» impediat.

325. » Resp. 2. Depositio verbalis est similis
» privatio, sed sine sollemnitate dicta, et reli-
» cto utroque privilegio Canonis, et Fori.

326. » Resp. 3. Clerici possunt degradari a
» suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo:
» deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium.

327. » Resp. 4. Depositio fieri potest in ca-
» sibus a jure expressis, et delictis: non tamen
» nisi gravioribus, arbitrio judicis. Ubi notat
» *Laym.* crimen debere esse enorme, idest unum
» ex maximis. Degradatio similiter fieri potest
» in casibus tantum gravissimis, quales sunt
» v. gr. crimen hæresis manifestum, falsificatio
» litterarum Apostolicarum, sodomia frequen-
» tata, gravis calumnia proprio Episcopo irro-
» gata. V. *Layman hic t.* 5. et *Fill. t.* 18. *c.*
» 8. * (*Cum degradato solus Papa dispen-
» sare potest: sed cum deposito etiam Episco-
» pus, si crimen sit minus adulterio; Salm. c.*
» 5. *n.* 60. *et* 68.) *.

CAPUT IV.

De Interdicto.

DUBIUM I.

Quid sit, et quotuplex?

328. *Quid est interdictum?*
329. *Quotuplex est?*
330. *An interdicta Civitate interdicantur Suburbia? Et An Ecclesiæ Regularium?*
331. *Qui eximantur ab Interdicto generali personali? Et an interdicto Clero, interdicantur Religiosi, vel Clerici non habentes Beneficium, aut Officium?*
332. *Quid si interdicantur Cives, aut Civitas?*

328. » REsp. 1. Est censura Ecclesiastica » prohibens divinorum officiorum, Sacramento- » rum aliquorum, et Ecclesiasticæ sepulturæ » usum, quatenus talis est. Quod addo, quia » excommunicatio eodem privat, quatenus est » communicatio cum fidelibus, suspensio vero » proprie non illum usum, sed exercitium po- » testatis Ecclesiasticæ impedit. V. *Laym. ibid.* » *lib.* 1. *t.* 5. *p.* 4. *cap.* 1. *Bon. d.* 5. *par.* 1.

329. » Resp. 2. Interdictum dividitur 1. in » Locale, quod immediate locum afficit: et in » Personale, quod immediate afficit personas; » et in Mixtum, quod immediate afficit locum, » et ejus incolas. Differt autem Locale a Per- » sonali; quod in illo participatio sacrorum » officiorum tum indigenis, tum alienigenis, » non absolute, sed in loco tantum interdicto; » in hoc vero certis personis, aut communitati

» prohibeatur absolute, et in omni loco. 2. In-
» terdictum tam locale, quam personale subdi-
» viditur in generale, et particulare. Generale
» est, quo locus generalis, v. gr. collegium,
» etc. interdicitur. Particulare, quo locus, aut
» persona particularis, aut particulares, inter-
» dicuntur.

Unde resolves.

330. » 1. Interdicta civitate, interdicuntur
» etiam suburbia; et interdicta Parochia, etiam
» sacellum, vel cœmeterium contiguum, quia
» accessorium sequitur naturam principalis. * (*Ita*
» *ex c. Si licitas. De Sent. exc. in* 6. *ubi et-*
» *iam habetur, quod, interdicta Civitate per*
» *Interdictum locale generale, sunt pariter in-*
» *terdictæ Ecclesiæ exemtæ Regularium, nam*
» *alias Interdictum esset elusorium; vide Salm.*
» *c.* 6. *n.* 9. *et hoc interdictum etiam Clerici,*
» *et Regulares tenentur servare, immo idem E-*
» *piscopus, qui illud tulit, excepto Pontifice;*
» *Salm. ibid. n.* 8. *sed vide dicta. l. IV. n.*
» 61. *infra infertur* III.) *.

331. » 2. Interdicto populo, non interdicun-
» tur ii qui non sunt pars populi, ut studiosi,
» Clerici, peregrini, etc. * (*Ita Salm. c.* 6.
» *n.* 16. *cum Bon. Con. Avila, Lezana, Cor-*
» *nejo etc. communiter. Et sic e converso, in-*
» *terdicto Clero, non veniunt Laici, ex c. Si*
» *sententia, de Sent. exc. in* 6. *Hic autem no-*
» *tandum, quod ab Interdicto personali Gene-*
» *rali eximuntur* 1. *Episcopi (qui eximuntur*
» *etiam a suspensione generali*). 2. *Infantes,*
» *et amentes doli incapaces: privantur tamen*
» *Ecclesiastica sepultura.* 3. *Innocentes, statim*
» *ac alibi domicilium collocant.* 4. *Exteri, etsi*

» *per multum tempus inter illos cives habitent.*
» *Vide Salm. ex n.* 15.) *. Nec, interdicto
» Clero, interdicuntur Religiosi, qui in favo-
» rabilibus tantum nomine Clerici comprehen-
» duntur. * (*Ita tenendum cum Salm. c.* 5.
» *n.* 17. *Nisi Religiosi Beneficium, vel Officium*
» *in illo populo haberent. Salm. ibid. Notandum*
» *etiam, quod interdicto Clero, non veniunt*
» *Clerici qui non gaudent privilegio fori, nec*
» *alii Clerici qui ibi non habent Beneficium aut*
» *Officium, nam hi non constituunt unum cor-*
» *pus cum Clero. Salm. d. n.* 16.) *.

332. » 3. Si dicatur, *cives* (v. gr.) *Colo-*
» *nienses sint interdicti*, ii nusquam possunt
» interesse divinis (nisi tamen desinant esse istic
» cives, nec causam dederint interdicto); con-
» tra vero, si civitas interdicto subjiciatur, li-
» cet civibus, aut incolis, qui causam inter-
» dicto non dederunt, alio ire, et istic divinis
» interesse.

DUBIUM II.

Qui sint effectus Interdicti?

333. *Effectus Interdicti sunt I. Prohibitio Divinorum Officiorum.*
334. *II. Prohibitio Sacramentorum, excepto Baptismo, etc.*
335. *III. Prohibitio sepulturæ.*
336. *IV. Peccatum mortale, quod committitur a violantibus Interdictum. Item irregularitas, quæ incurritur a Clericis, et excommunicatio a Religiosis.*

333. » REsp. Sunt sequentes: I. Prohibitio
» Divinorum Officiorum: * (*Nomine Divino-*

» *rum Officiorum veniunt omnia quæ a solis* » *Clericis fieri possunt; Non autem Officiorum* » *B. V. Mariæ, Defunctorum, etc. si dicantur privatim, et in loco non deputato ad illa;* » *communiter Pal. Suar. Bon. et Salm. c.* 6. » *n.* 50.) *. Unde etiam interdicti ob alienam » culpam non possunt interesse sacro. Clerici » tamen, et religiosi, quando ipsi interdicti non » sunt, possunt, ac debent, ut ante, Missas, » divinaque officia celebrare; sed januis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad concionem, salutationem Angelicam, vel obitum » alicujus), submissa voce, et exclusis interdictis. * (*Ita ex c. Alma Mater; de Sent.* » *exc. in* 6. *Nomine* Clericorum, *et* Monachorum (*quia laicis nihil conceditur*) *veniunt* » *omnes utriusque sexus, qui gaudent privilegio* » *fori, et Canonis. Nomine* Ecclesiarum *veniunt* » *etiam Eremitoria, et Hospitalia auctoritate Episcopi erecta; Non vero Oratoria privata sæcularia; Ita Salm. comm. n.* 56. *Dicitur autem*, exclusis interdictis, *modo (intelligitur)* » *sint denunciati ex Conc. Const. Et intelligitur tam de dantibus causam interdicto, quam* » *interdictis personaliter. Quare, si interdicti* » *monitionem nolint, et Canon Missæ incœptus* » *non sit, cessandum a celebratione, aliter celebrans incurret irregularitatem. Hoc tamen* » *procedit, si celebretur in loco interdicto, quia* » *ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi* » *exclusis, etc. Secus vero si celebratio fiat in* » *loco non interdicto, ut dicunt Holzm. de* » *Cens. n.* 281. *et Mazzotta t.* 4. *pag.* 388. » *cum Suar. Unde ait Holz. cum alio Auctore,* » *quod tunc debet expelli interdictus, si vero* » *nequeat expelli, non tenetur Celebrans cessare, quia id nullibi præcipitur, sicut præci-*

» *pitur de excommunicatis vitandis*) *. Per-
» mittitur tamen, ut in festis Natalis Domini,
» Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B V. et
» per octavam Corporis Christi divina officia can-
» tentur sollemniter, admissis etiam interdictis,
» dummodo qui causam interdicto dederunt,
» altari nec appropinquent, nec veniant ad
» offertorium, vel communionem. * (*Hinc, his*
» *diebus interdicti tenentur audire Missam. Qui*
» *vero privilegium habent audiendi, possunt et-*
» *iam abstinere ab audiendo Sacro, se confor-*
» *mando juri communi. Ita Salm. c. 6. n. 64.*
» *cum Corn. Dian. Cano, Con. Avil. etc. Re-*
» *gulares autem possunt admittere ad Divina*
» *Officia Famulos, Procuratores, Advocatos,*
» *Operarios, Beatas, Tertiarios, si hi non sint*
» *specialiter interdicti, nec causam interdicto*
» *dederint*) *.

334. » II. Prohibitio administrationis Sacra-
» mentorum, excepto Baptismo, Confirmatio-
» ne, et Pœnitentia * (*Ut habetur ex c. Al-*
» *ma Mater, de Sent. exc. in 6. et Baptismus*
» *conferri potest etiam sollemniter; ut Salm. c.*
» *6. n. 34. cum comm. Atque a Ministro Inter-*
» *dicto generaliter, non autem specialiter. Salm.*
» *n. 35. Et idem dicitur de Sacram. Pœnit.*
» *n. 38.*) * quæ omnibus permittuntur: iis
» exceptis, qui interdicto causam dederunt, et-
» iam auxilio, vel favore; * (*Et exceptis per-*
» *sonaliter, et specialiter interdictis, nisi prius*
» *præstent satisfactionem debitam, si possint,*
» *aut si non possint cautionem saltem juratoriam*
» *Salm. c. 6. n. 37. ex d. c. Alma Mater*)*.
» Eucharistia tamen potest dari morituris, et
» deferri cum lumine, et campana. * (*An au-*
» *tem Clerici quibus conceditur Missam audire,*
» *ut supra possint communicare? Adest duplex*

» *sententia vide Salm. ex n.* 41. *Tenent autem* » *Salm. n.* 44. *Sacramenta Ordinis et Extre-* » *mæ Unctionis non posse recipi ab interdictis*, » *nec tempore Interdicti. Sed quoad Extremam* » *Unctionem contradicit Croix l.* 7. *num.* 198. » *cum Suar. et Dicast. Religiosos autem com-* » *mune est tempore Interdicti posse recipere* » *Communionem*, *et Extremam Unctionem.* » *Salm. c.* 6. *num.* 48. *cum Laym. Pal. Nav.* » *etc.*) *. Nec improbabile est, interdictis licere » contrahere matrimonium, ut *Sauch. Con.* et » *Laym.* docent; contra *Suar.* quia hoc Sa- » cramentum secundum substantiam non ab Ec- » clesia, sed ab ipsis contrahentibus ministra- » tur. * (*Et merito hanc sententiam probabi-* » *liorem putant Salm. c.* 6. *n.* 47. *cum Con.* » *Laym. Pal. Avila*, *etc. ex c. Capellanus*, *de* » *Feriis*, *ubi dicitur Matrimonium quocumque* » *tempore posse contrahi. Nota deinde hic cum* » *Salm. c.* 6. *n.* 30. *quod*, *si Interdictum sit* » *latum ex sententia injusta*, *quæ videbatur ju-* » *sta secundum probata*, *in foro externo debet* » *servari*, *sed non in interno; Quare cessante* » *scandalo*, *possunt audiri Sacra*, *recipi Sacra-* » *menta. Religiosi tamen*, *quando interdictum* » *servatur ab Ecclesia Cathedrali vel Matrice*, » *tenentur illud servare*, *etiamsi illud sit nul-* » *lum ex quocumque capite*, *ex Clem.* 1. *De* » *Sent. exc. Vide Salm. d. n.* 30. *et* 31.) *.

335. » III. Prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ, » etiam respectu infantium, et amentium. Ex- » cipe tamen Clericos, qui in interdicto locali, » si nominatim interdicti non sunt, nec inter- » dictum violarunt, possunt cum silentio sepe- » liri. *Laym. c.* 2. *n.* 3. * (*Clerici igitur in* » *Interdicto generali locali*, *vel personali pos-* » *sunt sepeliri in Ecclesia*, *etiam cum Missa*,

» *sine tamen pompa : In Ecclesia vero specia-*
» *liter interdicta possunt sepeliri , sed sine Mis-*
» *sa. Salm. c.* 6. *ex num.* 75. *cum Cov. Pal.*
» *etc. Laici tamen sepeliendi sunt in loco non*
» *Sacro , etiam infantes ; Et , si forte ibi se-*
» *pulti sint , exhumari debent ; Cessante autem*
» *interdicto , omnes in loco sacro reponendi.*
» *Salm. c.* 6. *n.* 99. *cum communi*) *.

336. » Clerici violantes Interdictum peccant
» mortaliter ; * (*Ita etiam Salm. c.* 6. *n.* 80.
» *Sed excusat parva materia , nempe si Clerici*
» *exerceant functiones , quæ a laicis fieri pos-*
» *sunt. Bon. Pal. etc. cum Salm. c.* 81. *Item*
» *si brevi permittant ostium apertum. At Cleri-*
» *ci exercentes Ordinem Sacrum , si sint spe-*
» *cialiter interdicti , vel in loco specialiter in-*
» *terdicto , vel in loco generaliter interdicto ja-*
» *nuis apertis , etc. ut supra , peccant gravi-*
» *ter , et incurrunt irregularitatem , vide Salm.*
» *num.* 87. *Admittentes autem laicos interdictos*
» *ad Officia Divina interdicuntur ipso facto ab*
» *ingressu Ecclesiæ , idest non ad orandum pri-*
» *vate in ipsa , sed ad exercendos ibi Ordines*
» *Sacros , ut dicunt Pal. Con. Laym. etc. cum*
» *Salm. n.* 91.) * sicut etiam religiosi utrius-
» que sexus , qui insuper excommunicantur de
» facto. Laici vero peccant quidem graviter ,
» si contra interdictum personale recipiant Sacra-
» menta ; si vero tantum violent locale , v. gr.
» audiendo divina officia , probabilius est , tan-
» tum esse veniale , dummodo ipsi personaliter
» interdicti non sint. *Laym. c.* 3. *ex Sylv.*
» *Soto , et Avila* , etc. ».

DUBIUM III.

Quis Censuram interdicti ferre, et quis tollere possit?

337. *Qui possint interdictum ferre? et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis?*
338. *Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata?*
339. *Qui personalia particularia?*
340. *De cessatione a Divinis.*

337. » RESP. 1 Interdicere possunt iidem, » qui excommunicare, et suspendere. * (*Hodie Episcopi sine consensu Capituli (nam » olim aliter erat) possunt interdicere quoscumque generaliter, aut specialiter, ex consuetudine introducta. Salm. c. 6. n. 19. cum » Panorm. Suar. Pal. Sayr. etc. Prælati autem Regulares possunt interdicere suos subditos, non autem suas Ecclesias. Salm. n. 20. » cum eisdem*) *. Et quidem, ut determinata » persona interdicatur, videtur requiri culpa » mortalis * (*Ejusdem personæ, ut Salm. c. » 6. n. 21. Interdictum enim personale particu» lare nequit imponi pro culpa aliena. Interdictum autem ad breve tempus, in ordine ad » unum tantum, vel alterum effectus, potest » incurri etiam ob peccatum veniale. Salm. n. » 22. cum Pal. Con. etc.*) *; ut autem fera» tur interdictum locale, vel generale in com» munitatem, requiritur peccatum valde grave » cum contumacia commissum a Capite, vel » præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

338. » Resp. 2. Interdicta localia, et per-

» sonalia generalia, quæ jure communi sunt im-
» posita, nec reservata, possunt tolli ab Epi-
» scopo, vel alio habente jurisdictionem in com-
» munitatem interdictam, non tamen a Reli-
» giosis privilegiatis, quia locus, et commu-
» nitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur. * (*In-*
» *terdicta generalia lata ab homine non possunt*
» *tolli, nisi ab eo qui tulit, vel a Papa.* V.
» *Salm. c.* 6. *n.* 100.) *.

339. » Resp. 3. Ab interdicto juris persona-
» li particulari, si reservatum non est, qui-
» vis approbatus potest absolvere. Denique per
» privilegium absolvendi ab omnibus censuris,
» non intelligitur potestas tollendi interdictum
» locale, aut personale communitatis ».

De Cessatione a Divinis.

340. Cessatio a Divinis est: *Prohibitio Cle-
ricis facta, ut abstineant ab Officiis Divinis,
et Ecclesiastica sepultura.* Putant autem *Suar.
et Fill.* contra alios apud *Salm. c.* 6. *n.* 103.
posse Episcopum unum effectum prohibere, et
non alterum. Hæc Cessatio distinguitur ab In-
terdicto, et non est censura; imponiturque in
signum mæroris, vel ad reparationem gravissi-
mæ injuriæ Deo irrogatæ; afficitque omnes, qui
sunt in loco illo, ubi imponitur, vide *Salm.
n.* 102. Dubitatur autem, an, hac Cessatione
indicta, Clerici gaudeant privilegio eis concesso
tempore Interdicti? Negant communius *Salm.
num.* 104. *cum Pal. Bon. Fill. Sánch.* etc. con-
tra aliquos; Quia Cessatio est novum gravamen
ultra Interdictum. Potest tamen Cessatio suspen-
di per aliquot dies sollemnes. Vide *Salm. num.*
105. Sacramenta vero concessa tempore Interdi-
ti, ut supra, conceduntur etiam tempore Ces-

sationis. *Pal. Bon. Suar. etc. cum Salm. c.* 8. *n.* 107. Cessatio imponitur ab iisdem, qui possunt ferre censuras, præcedentibus monitionibus. Vide alia apud *Salm. c.* 6. *punct.* 9. Demum hic obiter notandum id quod habetur in Decreto S. C. Cærimoniarum, scilicet: *Non licere cuicumque etc.* (*Personis Regalibus tantum exceptis*) *ad Ecclesias Strata sibi deferri facere, secus immediate cessandum a Divinis. Quod nisi servetur, Rectores ceterosque Ecclesiarum Ministros ipso facto excommunicationem incurrere eamque Ecclesiam habendam esse pro interdicta.* Hoc Decretum perscriptum est in *Bullario* Clementis XI. *parte* 3. *Decretor. Congr. Card.* Ac deinde notatur ibi: *Et facta relatione, Sanctitas sua* (idest præfatus Clemens) *Decretum approbavit; necnon promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis Sacrariis affigi mandavit. Die* 3. *Oct.* 1701. Ita *apud Ferraris Bibl. v. Ecclesia, n.* 28. *et* 29. Qui præterea *num. cit.* 29. refert ex pluribus Decretis S. C. Rituum esse vetitum præbere Evangelium inter Missarum sollemnia Laicis ad osculandum, sicut etiam præstare ipsis usum throni, eosque admittere ad assistendum in Presbyteriis.

CAPUT V.

De Irregularitate.

» ETsi Irregularitas non sit censura, pro-
» pter similitudinem tamen, quam cum ea ha-
» bet, communiter eidem annectitur: quapro-
» pter et hic subjungo.

DUBIUM I.

Quid, et quotuplex sit Irregularitas?

341. *Definitio Irregularitatis. An Irregularitas sit censura? Dupliciter dividitur irregularitas.*

341. » REsp. 1. Est impedimentum Canoni-
» cum susceptionem Ordinum sacrorum, et
» susceptorum usum impediens. Unde sequitur
» non esse censuram, sed quasi inhabilitatem:
» etsi enim interdum imponat per modum pœ-
» næ, proprie tamen pœna non est. *Laym. l.*
» 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *Bonac. d.* 7. *q.* 1. *p.* 1.».

Quæritur an Irregularitas sit censura? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Sotus in* 4. *D.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *et Bann. Led. Gutt. Corn. Cord. etc. apud Salm. de cens. c.* 1. *ex n.* 1. Ratio, quia (ut ajunt) definitio censuræ, quod sit pœna Ecclesiastica, æque convenit etiam irregularitati. *Secunda* vero sententia communior et probabilior, quam tenent *Suar. de Cens. D.* 1. *sess.* 3. *Bonac. D.* 1. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 4. *Pal. D.* 1. *p.* 1. *n.* 3. *et Salm. n.* 12.

cum Con. Val. Avila, *Henr. Candido*, *Machad. etc.* docet irregularitatem non esse censuram, sed potius impedimentum seu inhabilitatem, idque non obscure probatur ex *c. Quærenti de Verb. sign.* ubi Innocentius III. interrogatus quid in Bullis Pontificis intelligeretur nomine *Censuræ?* respondit: *Quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi.* Cum igitur Pontifex hic dogmatice et indefinite locutus fuerit, enunciando pœnas quæ veniunt nomine censuræ, præter eas, non est irregularitas, neque alia admittenda.

» Resp. 2. Dividitur 1. in eam, quæ est *ex* » *Delicto*, et quæ est *ex Defectu*. In *Totalem*, seu proprie dictam, quæ omni Ordine » suscipiendo, et suscepti exercitio privat, v. » gr. homicidium, bigamia; et in *Partialem*, » quæ aliquo tantum Ordinis ministerio privat, » vel solo ascensu ad Ordinem superiorem, v. » gr. oculis, vel palma Sacerdos carens inhabi» lis est ad Missam, non tamen ad confessiones » audiendas; et Diaconus sinistro oculo carens » inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen » Ordine ministrare potest ».

DUBIUM II.

Quinam effectus Irregularitatis?

342. *Effectus Irregularitatis sunt. I. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos. II. impedire exercitium Ordinum. III. Invalidare collationem Beneficii. An id valeat de Beneficio simplici?*

343. *An collatio tunc sit ipso jure irrita?*

342. » RESP. Sunt sequentes: Inhabilitare ad » Ordines suscipiendos, etiam primam Tonsu- » ram. * (*Ut communiter docent Suar. D. 40. » sess. 1. n. 11. Pal. D. 6. p. 5. n. 2. Bon. » p. 1. n. 4. et Salm. c. 7. n. 22. cum Avi- » la, et Diana*) *. II. Impedire exercitium » Ordinum susceptorum; * (*Ex c. fin. De » Temp. Ord. et c. 11. De Accusat.*) *. Un- » de Sacerdos irregularis, etsi valide, illicite » tamen absolvit. *Bon. l. c. n. 4. et p. 4.* III. » Quod collatio beneficii, ad cujus functiones in- » habilis est, facta irregulari invalida sit, se- » cundum sententiam communiorem, et tutio- » rem; etsi non improbabiliter quidam dicant, » eam non ipso facto irritam esse, sed merito » irritandam. *Laym. l. c. c. 1. n. 2. et 3. Sylv.* » etc. *Bonac. q. 4.* Secundum quam sententiam » probabilem resolves.

» 1. Is, qui beneficium impetravit in Irregu- » laritate, potest, obtenta hujus dispensatione, » illud in foro conscientiæ licite retinere, sine » nova collatione, etiamsi in dispensationis im- » petratione non sit facta mentio beneficii. Item, » si postea beneficio privetur, non tenetur fru- » ctus restituere.

» 2. Graviter peccat, qui in Irregularitate » exercet actum Ordinis, aut suscipit, licet Or- » dines ei collati sint validi. * (*Ita etiam Pa- » laus D. 6. p. 5. n. 1. et Salm. c. 7. n. 21. » cum Cornejo. Et sic etiam peccat graviter ir- » regularis suscipiens primam Tonsuram, sicut » Episcopus qui eam illi confert, ut Suarez D. » 40. s. 2. n. 11. Bon. D. 7. q. 1. p. 1. n. 4. » Pal. n. 2. et Salm. n. 22. cum Avila, Corn. » et Giball. Insuper hic notandum, quod irre-*

» *gularitas nullo modo privat iis Auctionibus*, » *quæ non requirunt exercitium Ordinis, et quas* » *etiam laici exercere possunt, recipere Sacra-* » *menta, et Officia canere, sicut et conferre* » *Beneficia; quia hæc spectant ad jurisdictio-* » *nes, non Ordines; Item Matrimonio assiste-* » *re, vel licentiam assistendi alteri præbere,* » *dispensare in votis, absolvere a censuris, da-* » *re facultatem audiendi Confessiones. Ita Pal.* » *n.* 14. *Bon. p.* 4. *n.* 17. *Laym. tr.* 5. *c.* 1. » *num.* 1. *Renzi p.* 664. *q.* 3. *cum Fill. et* » *Suar. ac Salm. c.* 7. *num.* 19. *cum Con.* » *et Cornejo*) [v].

Quæritur, an irregularis ipso facto Beneficiis privetur? Quoad Beneficia obtenta ante irregularitatem, certum est apud omnes irregularem illis non privari; nec privandum a Judice, si irregularitas ei supervenerit ex defectu infirmitatis, ut habetur in *c. Ex parte, de Cler. ægrot.* Si vero sit de delicto, privari debet per Judicis sententiam; et interim, licet ipse non privetur ipso facto, ut clare infertur ex *c. Ex litteris, de Excess. Prælat.* tenetur tamen petere dispensationem; At si eam non petit, vel non possit obtinere, tenetur statim, nisi magna laboret necessitate, Beneficia renunciare, vel saltem in favorem tertii resignare; quia, cum non possit licite suum implere munus, nequit licite illa retinere; ita communiter *Suarez D.* 40. *s.* 2. *n.* 15. *et* 19 *et* 44. *s.* 2. *n.* 2. *Pal. D.* 6. *p.* 5. *n.* 9. 11. *et* 15. *Bon. D.* 7. *q.* 1. *p.* 4 *n.* 8. 9. *et* 10. *Tourn. t.* 2. *p.* 24. *ac Salm. c.* 7. *n.* 25. *et* 28. *et cum Avila, Val. Sa, Sayr. Gibal. Pelliz. etc.* Si autem hujusmodi Beneficiarius jam per alium impleverit munia sui Beneficii, non est fructibus privandus, ut *Suar. d. D.* 40. *s.* 2. *n.* 20. *Bon.*

n. 10. *Pal. n.* 13. *Tournel. p.* 15. *Holz. p.* 411. *n.* 221. *Croix l.* 7. *n.* 439. *et Salm. n.* 29. *cum Corn. Pelliz.* et aliis passim.

An autem irregularis sit privandus pensionibus quas possidet? Regulariter probabilius negant *Suarez D.* 44. *s.* 4. *n.* 34. *Bon. n.* 11. *Pal. n.* 12. et *Salm. n.* 27. Atque sic declarasse S. C. refert *Barb. in Tr. sess.* 14. *c.* 8. Dictum est *regulariter*, nam (ut docent AA. præfati) bene poterit Judex, si crimen fuerit valde grave, eum etiam pensionibus privare.

343. Quoad Beneficia vero obtenta tempore irregularitatis jam contractæ, dubitatur, an collatio sit ipso jure nulla? Si irregularitas sit partialis, nempe si irregularis ob aliquem defectum corporalem non possit fieri Sacerdos, tunc communiter dicunt collationem huic factam esse validam, et licitam; ita *Palaus D.* 6. *p.* 5. *n.* 5. *Cabass. T. I. l.* 5. *c.* 19. *n.* 2. *Ron. cag. p.* 113. *q.* 5. *R.* 1. *v. Ceterum*, *et Pal. D.* 9. *p.* 6. *n.* 5. *cum Val. Bon. Garcias*, *Sayr.* Idemque supponunt etiam ut certum *Salm. c.* 7. *n.* 33. *Holz. p.* 411. *n.* 320. *Suar. D.* 40. *sess.* 2. *n.* 31. si Beneficium sit simplex, nec habeat sibi injunctum Officium, sive exercitium Ordinis Sacri, sed tantum recitationem Horarum, aut aliquid aliud quod etiam laici possint exercere, tunc enim ajunt valide suscipi tale Beneficium ab irregulari. An autem privetur ipso facto Beneficiis requirentibus exercitium Ordinis Sacri? Adest duplex sententia. *Prima* communior affirmat, et hanc tenent *Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 36. (vocans communem) *Bon. D.* 7. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 6. *Less. l.* 2. *c.* 34. *n.* 129. *Tournel. to.* 2. *p.* 12. *Cabass l.* 5. *c.* 19. *n.* 2. item *Covarr. Avila*, *Henr. Garcia*, *Sayr. Villal. et Corn. apud Salm. c.* 7. *n.* 30. qui *n.*

34. etiam dicunt esse communem. Probatur ex *c. 2. de Cler. non ord. minist. c. 2. de Cler. pugnant. etc. c. Dudum. de Elect. et c. Cum bonæ de Ætate, et qualit. etc.* et præsertim ex *Trid. sess. 22. c. 7.* ubi dicitur : *Ut nullo tempore ad sacros Ordines* (irregularis) *promoveri possit, nec illi aliqua Beneficia ecclesiastica conferre liceat.* Præterea *ibid. c. 4. Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem et cæteras habilitates integre habere agnoscantur, aliter irrita erit provisio.* Ratio, quia Beneficium datur propter Officium, unde qui inhabilis est ad Officium, cum non possit Ordinem exercere, est etiam inhabilis ad Beneficium. *Secunda* vero sententia dicit, talem collationem non esse irritam, sed tantum a Judice irritandam ; ita *Innoc. in c. Cum nostris, de Concess. præb. Sylve. v. Excomm. n. 4. Laym. tr. 6. p. 5. c. 1. n. 3. Viva q. 8. art. 1. n. 5. Elbel p. 457. n. 158. Roncag. p. 113. q. 5. R. 1. v. Contra, Pal. D. 6. p. 5. n. 7. Diana p. 4. tr. 2. R. 37. et Salm. c. 7. n. 34. cum Felin. Ancharan. Giball. etc.* et probabile censent *Suar. n. 35. Less. l. c. et Coninck Bon. Hurt. etc. apud Dian. l. c.* Ratio, quia non sunt imponendæ pœnæ, nisi in jure sint expressæ ; nullibi autem habetur expressum, quod irregularitas reddat hominem incapacem Beneficii ; unde irregularis, quamvis graviter peccet (ut advertit *Suarez*) acceptando et retinendo Beneficium sine dispensatione, sicut etiam peccat qui illud ei confert, tamen si suppleat per alium munia Beneficii, non tenetur fructus restituere. Canones vero qui opponuntur, teste ipso *Suarez* (qui oppositam sententiam probabiliorem putat), nihil aliud probant, nisi quod talis collatio sit illicita, non tamen invalida. Nec obstat textus

Tridentini, ubi dicitur irrita provisio Beneficii, quæ fit in personam inhabilem; nam respondetur irregularem non dici inhabilem, ut incapacem Beneficii, sed ut illo indignum, nempe inhabilem ad licitam Beneficii perceptionem. Prima sententia videtur probabilior, licet enim jura non expresse declarent hanc collationem invalidam, tamen communior sententia DD. sic illa interpretatur; nam sensus DD. ut fatetur ipse *Layman*, est optimus legum interpres. Sed hoc non obstante, secunda sententia videtur satis probabilis. Hic tamen advertendum, quod adhuc stante probabilitate hujus sententiæ, nequit irregularis se immittere in possessionem Beneficii, quia (ut diximus *lib.* 3. *n.* 161. *v. Qu. II.*) nemo cum opinione probabili potest inchoare possessionem rei alienæ.

DUBIUM III.

Quomodo incurratur, et tollatur irregularitas?

344. *An in dubio irregularitas incurratur?*
345. *Non incurritur, nisi in jure sit expressa.*
346. *Dub. 1. In dubio de irregularitate contracta quomodo quis se gerere debeat? Et quid si dubium sit juris?*
347. *Dub. 2. Quid in dubio facti, præter homicidium? Dub. 3. Quid in dubio homicidii commissi? Dub. 4. Quid in dubio de animatione fœtus, si abortus fuerit patratus?*
348. *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis, et actus externus, ac consummatus?*
349. *Qu. I. Quid si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum?*

350. *Qu. II. An ad incurrendam irregularitatem requiritur scientia legis?*

351. *Qu. III. An etiam scientia pœnæ?*

352. *Quot modis tollatur irregularitas?*

353. *Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare? Plura notanda.*

354. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu Natalium per Professionem Religiosam?*

355. *Prælati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare?*

344. » REsp. 1. cum ab homine non fera-
» tur, nulla incurritur, nisi in jure expresse
» habeatur * (*cap. Is, qui de sent. excomm.*
» *in* 6.) *. Unde in dubio sive facti, sive ju-
» ris, tenere potes, quod non sit irrigularis;
» quia melior est conditio possidentis. *Bonac.*
» *q.* 1. *p.* 5. *ex Suar. Fill.* etc. Excipe ta-
» men, si dubites de homicidio, saltem inju-
» sto, a te commisso, ut patet ex *c. Significasti*, et ex *c. Ad audientiam.* 2. *de hom.*
» Vid. *Bonac. l. c.*

345. Plura hic notabilia examinanda. Certum est, quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa ex *d. c. Is qui De sent. excom. in* 6. ubi dicitur: *Cum id non sit in jure expressum*, etc. In quo sapienter ait *Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 5. Pontificem ibi nihil novi statuisse; sed principium illud declarasse, quod in dubio judicandum, pœnam non esse latam, vel non extendendam ultra casus expressos. Hujus autem juris nomine veniunt tantum Decreta Pontificis, sive Concilii a Papa approbati, non autem aliorum, nec venit consuetudo; ita *Suarez D.* 40. *sect.* 4. *n.* 13. *Contin. Tournely*

t. 2. de Irreg. pag. 6. *v. Hinc*, *Diana p.* 8. *tr.* 7. *R.* 28. *et Salm. c.* 7. *n.* 8. *cum Pelliz. Gib. et Machado.* Hinc infertur ad incurrendam irregularitatem, non valere argumentum a simili, nec a majori ad minus, ut communiter docent *Palaus D.* 6. *p.* 2. *n.* 1. *Laym. t.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 1. *num.* 6. *et Salm. c.* 7. *n.* 3. *cum Cornejo*, *et Giball.* Advertit vero *Laym. l. c.* quod si dubium vertatur circa aliquam irregularitatem, an sit expressa in jure, admittenda est, semper ac communis sensus DD. et consuetudo eam firmaverit, quia hæc sunt optimæ legum interpretes.

346. Sed dubitatur 1. Utrum in dubio, an quis irregularitatem contraxerit, debeat ut irregularem se gerere? Intellige de dubio prudenti, nam dubium ex scrupulis, sive levibus rationibus ortum nihili faciendum est. Intellige etiam de dubio negativo seu suspensivo, nam si dubium sit positivum, ante diligentiam ad veritatem inquirendam quisque debet se gerere ut irregularem, prout docent *Sanchez Dec. l.* 1. *c.* 10. *n.* 37. *Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 12. *Pal. D.* 3. *p.* 3. *n.* 3. *et Salm. c.* 7. *n.* 42. *cum Con.* ex *v. Illud De Cler. exc.* Nisi gravis necessitas urgeat, nempe si occasio occurrat recipiendi Ordines, aut Beneficium, ut *Salm. ib. cum iisd.* Post vero sufficientem diligentiam is bene potest se habere ut non irregularem, probabili opinioni acquiescens, ut *Suarez. n.* 6. *Pal. n.* 4. *Salm. d. n.* 32. *in fine cum Hurt. Corn. Giball.* Difficultas igitur est, cum quis dubitat dubio negativo. Resp. Si dubium est juris, nempe si dubitatur, an irregularitas sit a jure assignata, an non, pro aliquo actu, tunc nemo tenetur se gerere ut irregularem in foro conscientiæ, nec in externo ut talis damnandus est,

tum quia in dubio nemo suo jure spoliandus est; tum quia cum dubitatur de lege, lex non obligat, saltem quia tunc non est sufficienter promulgata; ita communiter DD. *Sanch. Dec. l. 1. c. 10. n. 42. Pal. D. 3. p. 3. n. 7. Suar. l. c. n. 4. Bon. de Irreg. q. 1. p. 5. n. 2. Ronc. p. 113. q. 1. R. 2. Conc. t. 10. p. 486. n. 9. Dian. p. 4. tr. 2. R. 52. Salm. c. 7. n. 44. cum Con. Avila, Corn. et Valent. Moya tr. 5. q. 5. num. 6. cum Lugo, Nav. et Tour. pag. 18. cum Cov. et Habert.* Quid si dubium sit facti?

347. Dubitatur 2. Utrum incurratur irregularitas in dubio facti, nempe si dubitatur, an quis crimen patraverit (præter homicidium, nam de hoc loquemur in dubio sequenti)? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Conc. t. 10. p. 486. n. 8. et Tourn. t. 2. p. 20. cum Sayr. et Habert* ex *cap. Ad Audientiam, de Homic.* ubi dicitur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Ergo in omni materia pars securior sequenda est. *Secunda* tamen sententia communis et verior negat, eamque tenent *Cabassut. T. J. c. 20. n. 14. Suar. D. 40. s. 6. n. 8. et 13. Bon. n. 3. Dian. p. 4. tr. 2. R. 25. Ronc. l. c. Pal. D. 6. p. 2. n. 9. et Salm. c. 7. n. 46. cum Con. Avila, Machad. Corn. Gib. et Henr.* Ratio 1. quia odia sunt restringenda, et nemo in dubio est damnandus, ex *Reg. Favorabiliores. 168. ff. de Reg. jur.* et ex *c. Cum sunt, eod. tit. in 6.* ubi: *Cum sunt jura partium obscura, reo favendum est potius quam actori.* Et idem in *c. un. Ut Eccles. Benef. etc.* Non est autem recedendum ab hac regula, tam rationi consona, sine textu expresso,

qui tantum habetur* in dubio homicidii, non vero aliorum criminum. Ratio 2. quia (ut diximus supra *n.* 346.) irregularitas non incurritur nisi in jure exprimatur, in jure autem solus homicida dicitur censendus esse irregularis in dubio homicidii, non alius delinquens. Ratio 3. et potissima est; quia, cum hinc dubitetur, an id quod currit in materia homicidii, currat etiam in aliis materiis, dubium etiam est juris: at in dubio juris etiam Adversarii (ut vidimus) concedunt non incurri irregularitatem. Nec obstant textus allati, nam respondetur 1. cum *Nav.*, *et Suar.*, quod ibi ratio adducta (nempe quod in dubiis pars tutior eligenda est) non assignatur ut præceptum necessario, et universe observandum, sed ut rationabile motivum decentiæ, ob quod maxime convenit dignitati Sacrificii, ut Sacerdos in dubio homicidii a celebrando abstineat, ne si forte deinde certo fuisse homicida noscatur, cum scandalo populi inveniatur celebrasse; Idque aperte declaratur in *c. Petitio tua. eod. ti. de Homic.* ubi. *Cum sit consultius in hujusmodi dubio* (scil. homicidii) *abstinere*, *quam temere celebrare.* Nota illud *sit consultius*, ergo non est præceptum. Quis autem negat aliquando decere, quod ex rationabili motivo per legem positivam prohibeatur aliqua actio per se non illicita? Sed cum ratio illa indecentiæ soli homicidio competat, alios casus non comprehendit. Respendetur 2. quod licet ratio alios etiam casus comprehenderet, in irregularitatibus ex delicto, sicut in omnibus aliis pœnis, non est arguendum de uno casu ad alium similem, etiamsi eadem, immo major ratio currat, nisi uterque casus sit in jure expressus, idque fortius procedit in irregularitatibus circa quas (ut vidimus *n. præced.*)

sancitum est nullas incurri, nisi illas quæ in jure expressæ sunt.

Dubitatur 3. Utrum censendus irregularis, qui dubitat an patraverit homicidium? Adsunt diversæ sententiæ. Alii dicunt hunc esse irregularem tantum in foro externo, non autem conscientiæ; ita *Innoc. Salas, et Henr. apud Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 10. *n.* 38. Alii ex opposito dicunt esse irregularem in foro conscientiæ, non autem in externo; ita *Hostiens. Armil. Tabien. etc. apud eumd. Sanch. n.* 39. Sed verius tenendum cum communi hunc in utroque foro judicandum esse irregularem, ita *Pal. n.* 9. *Bonac. num.* 3. *Roncagl. pag.* 114. *v. Limita*, *Sanch. n.* 42. *cum Nav. Palud. et Led. ac Salm. c.* 7. *n.* 45. *cum Cornejo*, *Avila*, *et Sayro*; Et probatur ex *c. Significasti c. ad Audientiam*, et *c. penult. de Homic.* ubi ratio quæ ibi adducitur, nempe quod in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Sed hic notandum 1. quod hoc procedit casu quo aliquis certus est de homicidio (ut supponitur in præfatis textibus), et solum dubitat, an ipse sua actione fuerit causa illius; secus si dubitat, de ipso homicidio, an fuerit sequutum vel non, ut valde rationabiliter dicunt *Picher. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 8. *Elbel t.* 2. *p.* 467. *n.* 190. *Dian. p* 7. *tr.* 5. *R.* 24. *Tamb. de Irreg. c.* 5. §. *un. et Spor. tr.* 5. *p.* 131. Unde dicit *Dian. p.* 7. *tr.* 5. *R.* 26. *cum Nav. Menoch. et Quaranta*, quod si Medicus aperuit venam prægnanti, ut abortus sequeretur: sed postea non constet de aborto secuto, non est censendus irregularis, neque in foro interno neque externo; quia (ut habetur in *l.* 1. §. *Item illud ff. ad Syllan.*) non proceditur contra aliquem ad pœnas, nisi constet de corpore deli-

cti. Secus vero dicendum, si media adhibita ad abortum fuerint adeo efficacia, ut ex eis communiter sequatur effectus, quia tunc præsumtio fit ex communiter contingentibus, ut *Navar. et Mascard. apud Dian. l. c.* ex *l. ult. C. de Fide instrum.* Notandum 2. quod in prædictis textibus sancitum est, dubitantem de homicidio judicandum esse irregularem quoad duos dumtaxat effectus, scilicet *abstinendi a celebratione, et quærendi dispensationem*, ut jura loquuntur. Ex quo infertur 1. hanc sanctionem valere tantum pro Clericis, non autem pro Laicis, cum homicidium magis dedeceat statum Clericorum quam Laicorum: ita *Salm. c. 7. n.* 45. et *Ronc. c. 2. q. 1. in fine.* Infertur 2. valere tantum ad prædictos duos effectus, non autem quoad alios, nempe privationem Beneficiorum, etc. ut *Sanch: l. 1. c. 10. n.* 43. *Suar. D.* 40. *s.* 6. *n.* 6. *Ronc. et Salm. ll. cc. et Pal. D.* 6. *p.* 3. *n.* 8. *cum Panorm. Mol. Con. Say. Hurt. et Salas.* Infertur 3. dubitantem de mutilatione non esse habendum ut irregularem, sicut habendus dubitans de homicidio; quia id tantum de homicidio statutum est, ut *Sanch. n.* 49. *Bon. p* 5. *n.* 4. *Ronc. p.* 114. *v. Duo, Salm. l. c. et Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 14. contra *Nav. et Henr.*

Dubitatur 4. An habendus ut irregularis, qui abortum commisit dubitans, an fuerit vel non animatus? De hoc vide dicta *de* 5. *Præc. l.* 3. *n.* 396. ubi id negativimus ex sententia veriori cum plurimis AA. quibus adde *Delbene cap.* 2. *D.* 4. *s.* 20. *n.* 22. et doctum Auctorem libelli (*Instr. per li Nov. Confes. p.* 2. *c.* 18. *n.* 464. *et* 465.) qui testatur in praxi prolem feminam non censeri animatam, nisi octogesimo die, masculinam vero quadragesi-

mo, ut tradunt *S. Thom. cum Alberto M.* et alii. Idque confirmatur ex dictis *num. præced. D.* 3.

348. » Resp. 2. Ut incurratur irregularitas » ex delicto, requiritur actus externus consum- » matus, et mortalis, ut habet communis con- » tra *Cajet.* Ratio est, quia est gravis pœna, » et difficulter relaxatur.

Ideo ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur I. Peccatum mortale; ex quo infertur, quod si quis excusatur a mortali ex aliqua circumstantia, excusatur etiam ab irregularitate, ut docent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 9. *Suar. D.* 40. *s.* 3. *n.* 17. *Tourn. t.* 2. *p.* 7. *R.* 2. *Conc. t.* 10. *p.* 486. *n.* 8. *Escob. l.* 51. *num.* 6. *et Salm. c.* 7. *n.* 12. *cum Con. Diana*, et alii passim, ex *c.* 5. *de Pœnis in* 6. ubi dicitur pœna gravissima non esse infligenda pro levi culpa. Infertur præterea, quod præceptum obligans sub pœna irregularitatis, intelligitur etiam obligare sub mortali; *Suar. Pal. Con. et Salm. ib.* Requiritur II. Actus exterior. Quando autem in aliqua Bulla, aut canone conceditur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur revera, quando irregularitas est occulta; *Pal. Con. Cov. Avil.* etc. *comm.* cum *Salm. c.* 7. *num.* 13. Requiritur III. Actus exterior consummatus, ut *Tourn. l. c. et Salm. ib.* cum *Sot. Pell. Gibal.* Vide dicta *de censur. num.* 36.

349. Sed quæritur I. An incurratur irregularitas ob crimen externum, et consummatum, sed prorsus occultum, ita ut a solo delinquente notitia haberi possit? Adsunt tres sententiæ. *Prima* universe negat, et hanc tenent *Rodriquez*, *Mendo*, *Castro*, *Bruno*, *etc. apud Dian. p.* 12. *Miscell. in fine libri n.* 6. *pag.* 97.

v. Secundum dubium; Quia (ut ajunt) non datur irregularitas, nisi in jure sit expressa; in jure autem nullibi fit mentio de irregularitate ob crimen omnino occultum. *Secunda* sententia, quam tenent *Ledesma*, *Corduba*, *Henriq. etc. apud Salm. c.* 7. *n.* 15. excipit tantum homicidium, quia tantum in crimine homicidii irregularitas inducta est non solum propter scandalum aliorum, sed etiam propter intrinsecam indecentiam, ne Sacerdos offerens vice Christi, Agni mansueti, post homicidium ministret in Altari; Item quia, respectu ad homidium, in Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. dicitur: *Qui per industriam occiderit proximum suum, ab altari evelli debet, etc.* Ergo quicumque occidit ex industria, etsi occulte, jam fit irregularis. *Tertia* sententia verior, quam tenent *Palaus D.* 6. *p.* 2. *n.* 1. *Dian. l. c. et p.* 7. *tr.* 11. *R.* 48. *et Salm. c.* 7. *n.* 16. *cum Cov. Avila, Con. et Pelliz.* universe affirmat, non solum quoad homicidium, propter rationes mox allatas, sed etiam quoad alia crimina. Ratio, quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suæ jurisdictioni subjaceant, nempe si sint externata, licet nulli alii patefacta, prout imposuit excommunicationem Hæresi omnino occultæ (ut dictum est *n.* 305.). Quod autem de facto irregularitatem imposuerit delictis quomodocumque occultis, patet ex *c.* 6. *Liceat*, *Trid. s.* 24. ubi Concilium facultatem præbens Episcopis absolvendi ab irregularitatibus, et censuris occultis, nominat sub unico vocabulo *occultis* hæresim, homicidium, et alia crimina; ergo sicut propter hæresim omnino occultam jam incurritur excommunicatio, et propter homicidium omnino occultum irregularitas, ita etiam propter alia crimina occul-

ta irregularitas incurritur. An autem irregularitas proveniens ex homicidio prorsus occulto possit dispensari ab Episcopo? Vide infra *num.* 384. ubi id negabimus.

350. Quæritur II. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur scientia legis Ecclesiæ prohibentis? *Prima* sententia universe negat, dicens sufficere solam cognitionem peccati commissi; ita *Suarez D.* 40. *s.* 5. *n.* 10. *Holz. t.* 1. *p.* 409. *n.* 311. *et Azor. ac Felin. apud Sanch. l.* 9. *D.* 32. *num.* 16. Ratio, tum quia lex humana intendit punire non solum transgressionem sui præcepti, sed etiam legis Divinæ, tum quia qui vult antecedens, vult etiam consequens, unde qui vult peccatum, vult etiam pœnam peccati. *Secunda* vero sententia communissima, et probabilior affirmat, et hanc tenent *S. Antonin.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 33. *sub fin. Bon. de censuris D.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 13. *Pal. de Peccat. tr.* 2. *D.* 1. *p.* 17. *n.* 6. *Nav. c.* 23. *n.* 47. *et c.* 27. *n.* 19. *cum Caj. Sylv. et Ang. Sanch. l. c. n.* 9. *et* 17. *cum Innoc. Abb. Host. Manuel, Vivald. etc. Salm. c.* 7. *n.* 49. *cum Cornejo, et Leand. ac Boss. de usu Matr. c.* 5. *n.* 158. *cum Panorm. Henr. Tab. Vill. et Reg.* Et probatur 1. ex *c. Proposuisti, d.* 82. ubi Innoc. I. declaravit quosdam Clericos incontinentes non esse deponendos juxta Constitutionem Siricii Papæ, eo quod eam ignorabant: et tamen eorum incontinentia erat quidem contra legem naturalem. Probatur 2. ratione, quia cum lex Ecclesiastica imponit pœnam super crimine a lege Divina vetito, novum jus condit; qui autem peccat contra legem Divinam, ignorans invincibiliter Ecclesiasticam, peccat utique contra illam, non vero contra hanc; ergo incurrere debet qui-

dem pœnam Divinæ legis, non autem humanæ, juxta dicta *l.* 6 *n.* 1072.

Idem dicendum putant *Palaus de cens. d.* 6. *p.* 6. *n.* 3. *Viva q.* 8. *art.* 2. *n.* 7. *et Salm. c.* 7. *n.* 51. *in fin. cum Cornejo*, *Leand. et Machad.* de eo qui committit homicidium, ignorando legem Ecclesiæ illud vetantem, vel in rixa ad legem non advertendo: hunc enim dicunt excusari ab irregularitate, cum eam non incurrat neque ob delictum, neque ob defectum: non ob delictum, quia non peccat contra legem Ecclesiæ quam ignorat, vel ad quam non advertit, juxta sententiam mox supra probatam; neque ob defectum, quia irregularitatem ex defectu solum incurrunt ii qui ad occisionem concurrunt ut ministri necessarii ad causæ cognitionem, vel executionem pœnæ, ut probabiliter alibi dicunt *Palaus p.* 14. §. 3. *n.* 7. *Diana p.* 3. *tr.* 5. *R.* 80. *et Salm. c.* 9. *n.* 8. *cum Vasq. Hart. Pelliz. et Turrian.* Attamen decent incurrere *Suar. t.* 3. *D.* 31. *sect.* 6. *v. Solet autem. Boss. l. c. n.* 174. *et Diana p.* 4 *tr.* 2. *R.* 85. *cum Merolla*, *et Mercero*; nam ideo imposita est irregularitas homicidio, quia est actio lenitati contraria, quæ valde dedecet Altaris Ministrum, unde talis homicida non proprie ratione delicti aut defectus irregularitatem incurrit, sed ratione indecentiæ propter quam ab Altari est repellendus juxta id quod dicitur in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. ubi: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias ab altari avelli debet.* Hæc secunda sententia videtur valde probabilis, et tenenda; sed primam non audeo reprobare, cum hujusmodi irregularitas in casu præfato non babeatur omnino expressa in jure.

351. Quæritur III: An ad incurrendam irre-

gularitatem ex delicto requiratur etiam scientia pœnæ, id est irregularitatis? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Suarez D. 40. sess. 5. n. 9. Laym. l. 1. tr. 4. c. 20. n. 6. Croix l. 7. n. 482. Tourn. t. 2. p. 16. Concl. 1. Anacl. de cens. D. 3. q. 1. n. 5. Elbel de Irreg. n. 161. Holz. p. 409. n. 311. cum Carden. et Pichler, item Sotus, Pontius Mol. Vasq. Azor. Salas, Reg. Fill. etc. apud Boss. de usu Matr. c. 5. n. 168.* Ratio, quia irregularitas non est pœna medicinalis ad cavenda crimina in futurum, sed est inhabilitas, vel pœna mere punitiva propter maculam culpæ, ob quam Ecclesia reddit delinquentem inhabilem ad Altaris ministerium; unde sufficit quod talis pœna sit imposita a lege actui vetito, quem Reus jam scienter et culpabiliter committit, licet ignorans pœnam. Præterea, qui vult causam, id est peccatum, debet subjacere etiam effectui, scilicet pœnæ, quamvis ignoratæ. Hæc sententia est quidem valde probabilis. *Secunda* vero sententia affirmans satis etiam probabilis videtur, et hanc tenent *Nav. Man. c. 23. n. 47. Sylv. v. Ignorantia q. 8. d. 1. Sanch. de Matr. l. 9. D. 32. n. 20. Pal. tr. 2. de pecc. D. 1. p. 17. n. 7. et tr. 29. de cens. D. 6. p. 6. n. 3. Ronc. p. 114. q. 2. Tamb de cens. lib. 10. tr. 4. c. 4. §. 5. n. 3 Diana p. 4. tr. 2. R. 84. Boss. l. c. n. 174. cum Con. Sayr. Duard. Felin. etc.* item *Corn. Rodr. Portell. et Leand: apud Sanch. c. 7. n. 53.* qui vocant æque probabilem ac primam; et etiam probabilem censet *Suarez l. c. et Renzi p. 366. q. 7.* Ratio, quia irregularitas ex delicto censetur vera pœna imposita in vindictam criminis. Licet autem non requiratur scientia pœnæ, ut ipsa incurratur quando pœna est or-

dinaria, et talis ut ex natura ipsius criminis aliquo modo prævideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet malum juxta suam naturam esse puniendum, requiritur tamen scientia pœnæ, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit prævideri; et hujusmodi utique est pœna irregularitatis. Nec obstat dicere, quod volens peccatum debet sustinere pœnam. Nam respondetur cum *Navar. c.* 27. *n.* 174. quod esto ad pœnam incurrendam non requiratur consensus in pœnam, tamen requiritur consensus in causam pœnæ; et ut quis consentiat in causam pœnæ docet *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 65. *art.* 8. non sufficere consensum in actum peccaminosum, qui jam est causa pœnæ, sed peccantem debere scire talem actum esse causam pœnæ.

352. Quatuor autem modis tollitur irregularitas. I. Per cessationem causæ, si irregularitas sit ex defectu (v. gr.) ætatis, ignorantiæ, paupertatis etc. *Suar. D.* 41. *sess.* 1. *n.* 6. *Laym. tr.* 6. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 10. *Tourn. t.* 2. *p.* 113. *Ronc. p.* 114. *q.* 3. *R.* 1. *et Salm. c.* 7. *n.* 55. *cum Sayr. etc.* Notandum autem, quod cum quis est irregularis ob infamiam, si infamia est *popularis*, tollitur per emendationem, ex *cap.* 3. *et cap.* 18. *Dist.* 56. Si est infamia *facti*, tollitur per mutationem loci; *Tournely pag.* 58. *et Ronc. p.* 114. *qu.* 3. Si vero infamia est *juris*, scil. per sententiam Judicis, tunc ad eam tollendam omnino requiritur dispensatio. II. Per Baptismum, si irregularitas sit ex delicto; qui enim homicidium patravit ante Baptismum, post illum non manet irregularis. *Salm. n.* 57. cum *Con. Sayr.* etc. III. Per Dispensationem, de qua *num. seq.* IV. Per professionem Religiosam, de qua infra *n.* 354 et 355.

353. » Resp. 3. Irregularitas non tollitur per » absolutionem, sed per dispensationem, hac, » vel simili forma: *Dispenso tecum in irregu-* » *laritate, quam, vel quas, ob hanc vel il-* » *lam causam incurristi.* Et si quidem dispen- » sans intendat tollere omnes, idque possit, » omnes tollit: sin minus, eam tantum tollit, » quam potest, et vult. Etsi vero hæc dispen- » satio ad Pontificem spectet, ex jure tamen » novo *Trid.* ubi est receptum, potest Episco- » pus dispensare in irregularitatibus provenien- » tibus ex delicto, et non deducto ad forum » contentiosum, nisi tamen sit homicidium di- » recte, et in se volitum. *Bon. q.* 5. *p.* 1. *n.* » 3. *ex Trid. sess.* 24. *c.* 6. *Suar. Sanch.* » *Fill.* etc. *Laym. c.* 9. *n.* 4.

Hic notandum I. quod si dispensaretur a Papa super aliqua irregularitate sine justa causa, dispensatio erit valida (quamvis non licita): si vero dispensaretur ab inferiore, erit et amplius nulla; *Salm. c.* 7. *n.* 60. Notandum II. Si quis plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si pluries ministrarit cum censura, sufficit tunc ad obtinendam dispensationem, si dicat, pluries in illas incidisse; ita *Suarez D.* 44. *sect.* 3. *n.* 28. *Pal. D.* 6. *p.* 7. *n.* 3. *et Salm. c.* 7. *n.* 61. *cum Con.* Immo *Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 24. *n.* 7. *et Nav. Henr. ac Avila apud Salm. l. c.* docent sufficere, si dicat tantum se irregularem esse ob talem culpam. Notandum III. Quod Prælatus, si admittat quemdam ad Ordinem, vel Beneficium, quem scit irregularem, censetur cum eo dispensare: *Bon. Dist.* 7. *q.* 3. *p.* 1. *in fin. ac Salm. ib. cum Henr. et Avila.*

354. » Præterea irregularitas ex defectu na- » talium tolli etiam potest per professionem in re-

» ligione approbata, sed quoad ordines tantum,
» non quoad prælaturas, *c.* 1. *de filiis Pre-*
» *sbyterorum. Bon. p.* 2. *Laym. c.* 9. *n.* 6.
» *Suar. Sanch. Less.* * (*Ita etiam commu-*
» *niter Sanch. Matr. lib.* 7. *D.* 86. *num.* 4.
» *Suar. D.* 41. *sect.* 1. *n.* 3. *Holzm. p.* 411.
» *n.* 323. *v. Per Professionem, et Tourn. p.*
» 27. *v. Quod ex concessione Greg. XIV.*
» *Clem. VIII. et Pauli V.*) * contra *Villal.* qui
» apud *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *Res.* 64. dicit tolli quoad
» omnia solita gubernari per Fratres Ordinis,
» ut Prioratus, Præpositoratus, Rectoratus, et
» cetera munia, circa quæ Prælatos saltem pos-
» se cum iis dispensare, in Capitulo tamen Ge-
» nerali, vel Provinciali, notat *Diana l. c.*
» ex *Barb.* * (*Et ita etiam Palaus D.* 6.
» *p.* 7. *n.* 2. *et Holzm. l. c. cum Sayr. Notant*
» *autem Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 14. *et*
» *Tourn. p.* 39. *cum Sayro, quod Dispensa-*
» *tio ad dignitates non intelligitur ad Episco-*
» *patum. Quod autem dicit Solus, scil. per*
» *Professionem Religiosam tolli omnes irregu-*
» *laritates, id communius negant AA. apud*
» *Salm. c.* 7. *n.* 58.) *.

» 1. Solus Papa, et qui ab eo accepit pri-
» vilegium, potest dispensare in irregularitati-
» bus ex defectu.

» 2. Confessarius in nullis irregularitatibus
» potest dispensare, nisi habeat speciale privi-
» legium a Papa.

355. Prælati autem Regulares, ut dicunt *Salm. c.* 8. *n.* 63. *cum Bauny, Candido*, et aliis, *ac Spor. suppl. p.* 149. *n.* 167. *cum Herin.* ex Privilegio S. P. V. (in Bulla 23.) relato in extensum a *Salm. c.* 2. *n.* 72. et ex alio Gregorii XIII. allato *d. c.* 8. *n.* 63. possunt dispensare cum suis subditis in omni ir-

regularitate occulta, in qua possunt Episcopi cum suis. Et etiamsi irregularitas proveniat ex bigamia, et homicidio adhuc voluntario, modo non sit notorium, ut ait *Pal. D. 6. p. 7. n.* 2. ex Privilegio Martini V. relato *apud Rodriq. et Spor. l. c. cum Portel.* Qui tamen ait cum eodem *Rodriq.* id intelligi tantum de dispensatione ad Ordines, non ad Prælaturas. Quomodo Regulares possunt dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario? Vide dicta *Dub. seq. in fin. n.* 396. Hoc respectu ad subditos, quo vero ad sæculares docent *Spor. Suppl. p.* 150. *n.* 170. *cum Suar. Sanch. Bassæo, Sayr. etc. ac Salm. tr.* 18. *de Privil. c.* 4. *n.* 71. *et de Cens. c.* 7. *n.* 63. *cum Pell. Lez. Rodr. Henr. etc.* posse Confessarios Regulares dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt dispensare Episcopi cum subditis suis, ex Privilegio Bullato Sixti IV. in Bulla 9. Minimis concesso, et confirmato a Julio II. in sua Const. quæ incipit, *Dum ad Sacrum Ordinem*, (ut testatur *Peyrin. ad Const. I. Julii II.* §. 23. *apud Salm. tr.* 18. *de Privil. cap.* 4. *num.* 171.) ibi Confessariis illorum concessa est facultas *ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus, et interdictis, et super quacumque irregularitate ordinaria, tam a jure quam ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi, et dispensandi, ac vota quæcumque permutandi, sicut potest Diœcesanus*: Hujusmodi Privilegium *Bauny* testatur jam esse in usu, sed *Lezana* de hoc dubitat, ut *Salm. d. n.* 171. dicunt; quod usus talis Privilegii, cum sit occultus spectando ad forum Pœnitentiæ, nemo testari potest, an sit, vel non sit in usu: præterquam quod addunt, Privilegia maxime gratiosa non amitti per non usum, ut ajunt pro-

basse in *eod. tr.* 18. *c.* 2. *n.* 13. Et etiamsi Minimi illo nequirent uti ob non usum, dicunt tamen alios Regulares in Privilegiis communicantes non interdici ab illis utendis. An vero ex Bulla Cruciatæ possit Confessarius electus dispensare in irregularitatibus ex delicto? Vide *Salm. c.* 7. *n.* 66.

DUBIUM IV.

Quæ sint irregularitates ex delicto?

356. *Irregularitas ex delicto incurritur. I. ob* Baptismum iteratum.
357. *II. Ob* Violationem censuræ.
358. *Plura notanda. An autem qui ordinatur ligatus censura, incurrat irregularitatem?* (Vide dicta l. 6. n. 799. Dub. 3. vers. Utrum).
359. *III. Ob* Exercitium actus Ordinis Sacri, *quem aliquis Clericus non habet.*
360. *IV. Ob* Malam susceptionem Ordinum.
361. *Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem?*
362. *V. Ob* Crimina infamia, et notoria.
363. *Requiritur notorietas facti, vel juris. Quæ sint crimina, et exercitia, quibus annexa est infamia?*
364. *Quomodo tollatur hæc irregularitas?*
365. *VI. Ob* Homicidium, *vel* Mutilationem.
366. *De irregularitate ob Homicidium* voluntarium.
367. *Hanc irregularitatem incurrunt I. Qui occidunt, vel mutilant.*
368. *Dub.* 1. *Quid si homicidam pœniteat ante mortem?*
369. *Dub.* 2. *Quid si unus feriat, sed alii occidant?*

370. *II. Incurrunt mandantes, vel consulentes homicidium, vel mutilationem.*

371. *Dub. 1. Quid in dubio, an homicidium causatum fuerit ex mandato, sive consilio?*

372. *Dub. 2. Quid si homicida jam erat determinatus ad occidendum?*

373. *Dub. 3. Quid si consulens consilium revocet?*

374. *III. Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem nempe. 1. Excitantes. 2. Prœliantes in bello injusto. 3. Ministrantes auxilium. 4. Accusantes, etc. 5. Associantes.*

375. *Dub. 1. An incurrant ratihabentes?*

376. *Dub. 2. An non impedientes?*

377. *De irregularitate ob homicidium, vel mutilationem* casualem.

378. *De mutilatione membrorum.*

379. *Dub. 1. Quid veniat nomine* membri?

380. *Dub. 2. An fiat irregularis qui abscindit testiculos?*

381. *Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare Episcopi?*

382. *Plura apud Busemb. et præsertim, an dans potum infirmo, vel eum admovens incurrat irregularitatem? Vide ib. n. 4.*

383. *Si quis dat operam rei licitæ, non fit irregularis, nisi apponat negligentiam moraliter culpabilem.*

384. *Hinc excusatur I. Magister, et Pater verberans. II. Equitans in equo feroci. III. Alens feram ligatam. IV. Reficientes tectum. V. Clericus in Sacris, aut Monachus medens sine incisione, vel adustione.*

385. *Quid de Clerico Beneficiato medente cum incisione?*

386. *Si quis dat operam rei illicitæ, non fit irregularis, si res, non est periculosa.*

387. *Quid si periculosa?*

388. *Quid si quis occidat ad defensionem sui vel innocentis? Et quid si adulter occidat maritum aggressorem?* Remissive ad lib. 3. n. 396. v. in ordine.

389. *An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum, etc.?*

390. *Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium?*

391. *An Episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario?*

392. *Et quid si homicidium fuerit omnino occultum?*

393. *Quid si homicidium fuerit casuale?*

394. *An reputetur casuale homicidium patratum in rixa?*

395. *Et quid si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen?*

396. *Quomodo Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium, vel mutilationem cum subditis suis? Et quomodo cum laicis?*

356. » REsp. *Prima* est ob iteratum Ba-
» ptismum serio, et scienter; estque irregularis
» tam baptizans, quam baptizatus; etsi in ba-
» ptizante irregularitas tantum sit causa par-
» tialis, nec clericus ad altiorem Ordinem pos-
» sit ascendere: neque incurratur, si rebapti-
» zatio sit occulta. *Covar. Tolet. M. Leo p.*
» 3. *s.* 318. V. *Bon. d.* 7. *q.* 3. *p.* 5. *Laym.*
» *l.* 1. *t.* 5. *p.* 5. *c.* 2.

Per rebaptizationem occultam non sollemnem probabilius non incurritur irregularitas, ut te-

nent *Ban. D.* 7. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 1. *et* 7. *Pal. D.* 6. *p.* 16. *n.* 1. *et Salm. c.* 8. *n.* 60. *cum Sylvest. Laym. et Con. ex c. Ex litterarum de Apostat.* ubi, cum de rebaptizato sermo fiat, dicitur: *Ad superiores Ordines promoveri (si publicum est quod proponitur) non valebit, nisi ad Religionem transire voluerit; si vero occultum est, promoveri poterit.* Hinc nota I. quod irregularitas adversus eum, qui scienter rebaptizatur, habetur ex *cap.* 4. *Confirmandum. Dist.* 50. adversus autem rebaptizantem habetur tantum ex communi sententia DD. ut testantur *Salm. de Cens. c.* 8. *n.* 59. Et colligitur ex *c. Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis Acolytus assistens rebaptizationi. Rebaptizans, vel rebaptizatus ex metu sine intentione, vel sub conditione (etsi temere et culpabiliter fiat) probabiliter non fiunt irregulares, ut *Palaus l. c. n.* 5. *Suar. D.* 31. *sect.* 6. *dub.* 5. *Tourn. p.* 104. *q.* 3. *et Salm. c.* 8. *n.* 61. *cum Nav. Corn. et Avila.* Ignoranti culpabilis tamen hoc non excusat; ex *cap. Quibus, de Consecr dist.* 4. Secus, si inculpabilis; *Palaus n.* 6. *Salm. n.* 62. *cum Sot. Sayr. etc.* Nota II. quod est etiam irregularis, qui baptizatur ab hæretico declarato sine ulla necessitate, ut habetur ex *cap. Ventum est.* 1. *q.* Insuper qui differt baptizari usque ad mortis periculum, ex *c. Si quis, Dist.* 57. Vide *Salm. num.* 65.

357. » *Secunda* ex violatione censuræ, v. » gr. si ea innodatus actum aliquem Ordinis » sollemniter exerceat, nisi invincibilis ignoran» tia excusat. *Laym. cap.* 3.

358. Notandum hic I. quod qui celebrat innodatur excommunicatione minori non incurrit irregularitatem, ex *c. Si celebrat. De Cler.*

exc. min. Immo nec irretitus excommunicatione majori, si exerceat actum Ordinum Minorum, adhuc sollemniter, et ex officio: Ita *Bon. q.* 3. *p.* 5. *n.* 1. *Laym. c.* 3. *n.* 4. *Nav. c.* 27, *n.* 242. *et* 244. *Anacl. p.* 512. *n.* 13. *et Avila*, *Fill. Corn. cum Salm. c.* 8. *n.* 66. Nec si exerceat actum ordinum majorum, sed non sollemniter idest Diaconatus sine stola, Subdiaconatus sine manipulo; cum tales actus sic exerceri possint etiam a Cantoribus: *Salm. cap.* 8. *num.* 68. *et Anacl. loc. cit.* Nec qui canit sollemniter Officium, nisi sit Hebdomadarius Capituli; sollemniter dicendo Orationem cum *Dominus vobiscum*; quia tale ministerium ex consuetudine a Sacerdotibus, aut Diaconis exercetur. Nec qui concionem habet, quia hoc munus de licentia Episcopi potest exerceri etiam non constituto in Sacris, cum sit actus jurisdictionis, non Ordinis; *Suarez D.* 12. *sect.* 2. *n.* 4. *et Salm. c.* 8. *n.* 69. *cum Avil. Sylv. Sayr. Henr. etc.* Nec qui exercet actum non Ordinis, sed jurisdictionis, scil. si Episcopus excommunicet, si Parochus assistat Matrimonio; *Anacl. n.* 14. *et Diana*, *Avil. Sylv. Sayr. Henr.* etc. *cum Salm. c.* 8. *n.* 69.

Notand. II. ad incurrendam hanc irregularitatem requiri, ut censuratus scienter actum Ordinis exerceat, quia illa tantum ob contemptum censurarum imposita est. Episcopus, vel alius Sacerdos censuratus cogens alium ad celebrandum coram se, fit irregularis ex *c. Illud de Cler. exc. min.* Ab hac autem irregularitate tantum Pontifex potest absolvere, vel Episcopus, si sit occulta; et Prelati Regulares cum suis Religiosis, etiamsi sit publica, ut tenent *Bord. Sayr. Corn. Cand. etc. apud Salm. c.* 8. *n.* 72. Immo etiam cum sæcularibus; ut *Pey-*

rin. Fragros., *et Ant. a Sp. S. ib.* ex privilegiis Mart. V. et Jul. II. Notandum III. cum *Cabassut. l.* 5. *c.* 20. *n.* 13. quod si quis celebret in Ecclesia polluta, non fit irregularis; fit vero qui celebret scienter in loco interdicto, quia jam violat censuram per exercitium Ordinis, ex *c. Is qui* 18. *de Sent. exc. in* 6. Notandum IV. *cum Anacl. pag.* 512. *n.* 16. *et Nav. ib.* quod qui ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schismatico, aut simoniaco, fit irregularis: argum., ex *c. Quod quidem*, *et c.* Statuimus. 1. *q.* 1. item ex *c. Ordinationes q.* 9. *et c.* 1. *et* 7. *de Schism.* ubi dicuntur hujusmodi Ordinationes indigere dispensatione. An autem incurrat irregularitatem, qui ordinatur aliqua irretitus censura? Vide *l.* 6. *num.* 799. *Dub.* 3. *vers.* Utrum.

» *Tertia*, ob peccatum, quo Clericus serio,
» et scienter actum ordinis sacri, quem non ha-
» bet, sollemniter exercet. *Bon. l. cit. part.* 6.
» *Laym. l. c. c.* 3.

359. Ex hoc capite igitur (ut dicit *Busemb.*) fit irregularis Clericus ministrans scienter, et sollemniter in Ordine Sacro, quem non habet, ut ex *c.* 1. *et* 2. *De Cler. non ord. min.* Nempe, si non Diaconus canat Evangelium cum stola, etc. vel si non Sacerdos absolvat sacramentaliter, sollemniter baptizet, etc. An autem laicus exercens actum Ordinis quem non habet incurrat irregularitatem? Probabilius negatur juxta dicta de Baptismo *l.* 6. *n.* 116. *Dub.* 3. Qui est ligatus duplici censura, et exercet actum Ordinis Sacri, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam duplici æquivalentem; unde in petitione dispensationis id exprimere debet: *Tourn. t.* 2. *p.* 109. Sacerdos autem simplex excipiendo Confessiones non

incurrit irregularitatem; quia hic revera exercet actum Ordinis quem jam habet, licet careat jurisdictione, ut recte ait idem *Tourn. p.* 110. Unde peccat, sed non incurrit irregularitatem.

360. » *Quarta*, ob delictum, quo quis male
» suscepit Ordines, v. gr. in excommunicatio-
» ne, suspensione, vel ab Episcopo non haben-
» te jurisdictionem, vel per saltum (licet hunc
» suspensum tantum esse, quamdiu non minis-
» trat in Ordine per saltum suscepto, satis
» probabiliter docent *Avila*, *Nav. Bonac.*),
» vel ante legitimam ætatem, vel sine dimis-
» soriis, vel furtive (Episcopo nesciente, nec
» approbante), et non examinatus; V. *Bon.*
» *d.* 7. *q.* 5. *p.* 4.

361. Ex furtiva Ordinum susceptione fit irregularis. I. Qui Ordinem recepit sine approbatione Episcopi; nam is prohibetur ad alium Ordinem ascendere; ex *cap.* 1. *De eo, qui fur.* etc II. Qui sine dispensatione Episcopi eodem die recipit plures Ordines, quorum unus Sacer est, ex *cap.* 2. *et* 3. *eod. tit.* III. Qui post matrimonium contractum ante consummationem Ordinem Sacrum recipit, renitente uxore, ut ex *Extrav. Antiquo de Voto.* Alias vero furtivas receptiones Ordinum, quas enumerat hic *Busemb.*, dicunt *Suarez D.* 42. *sect.* 3. *n.* 5. *Pal. D.* 7. *p.* 37. *n.* 1. *et Salm. t.* 7. *n.* 73. *cum Con. et Cornejo*, potius inducere suspensionem quam irregularitatem; nihilominus pro absolutione hujusmodi suspensionis, semper recurrendum ad Papam: vide dicta *n.* 318.

In hac autem irregularitate nequit dispensare Episcopus, si crimen est publicum, et ipse ante Ordinationem præceperit sub pœna excommunicationis (ut mos est) neminem furtive acce-

dere, ex *cap.* 1. *eod. tit. ut supra*; vide *Salm. c.* & *n.* 75. Qui insuper dicunt cum *Fragroso*, etc. Regulares posse dispensare etiam cum sæcularibus, sicut in aliis irregularitatibus occultis, ita etiam in hac, ex Privilegio Sixti IV. et Julii II. juxta dicta in *Dub. præced. num.* 352. *in fin.*

362. » *Quinta*, propter enormia crimina, » si sint notoria, et publica, v. gr. quæ a » jure habent annexam infamiam, ut adul- » terium, raptus, incestus, perjurium in ju- » dicio.

Hæc irregularitas ex infamia, ut ait *Croix l.* 6. *n.* 512. potius reducitur ad irregularitatem ex defectu, quam ex delicto, cum infamia non sit aliud quam defectus bonæ famæ. Omnes infames irregulares fiunt, ex *c. Infames.* 6. *Qu.* 1. Et hoc intelligitur, sive infamia sit ex jure Canonico, sive ex civili. Item sive infamia sit juris, sive facti; quamvis *Bon. cum Azor. apud Salm. cap.* 8. *n.* 76. dicant infamiam facti inducere quidem irregularitatem ad non suscipiendos Ordines, sed ad non ministrandum in susceptis; infamiam vero juris ad utrumque.

363. Ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur, ut crimen, cui annexa est infamia, sit notorium notorietate facti, vel juris. *Facti* per publicam famam. Requiritur tamen, prout dicunt *Viva Qu.* 9. *Art.* 3. *n.* 6. *cum Castro, Hurt. ac Laym. Garc.* et *Pignat.* apud *Croix lib.* 7. *n.* 513. (contra *Suar. Fill.* etc.) ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium; seu ita evidens majori parti viciniæ, seu collegii (ubi ad minus sint decem) ut nulla possit tergiversatione celari. Item ait *Viva ibid.* requiri etiam, ut crimen sit qualificatum, ut hæresis, parricidium, etc. vel continuatum,

ut concubinatus. Infamia autem *Juris* habetur per confessionem Rei in judicio, vel per sententiam Judicis, saltem criminis declaratoriam; ita *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 26. *n.* 1. *Pal. p.* 20. *n.* 3. *et Salm. c.* 8. *n.* 82. *cum Con. Bon. Avila*, *Corn. etc.* Crimina autem, quibus de jure annexa est infamia, sunt homicidium, perjurium factum in judicio, hæresis, simonia, sodomia, crimen læsæ Majestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium, vel Episcoporum. Item raptus mulierum, seu ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes, etc. Vide *Salm. c.* 8. *ex n.* 78. Item exercitium histrionis cum turpibus repræsentationibus, ita ut non fiat sine peccato mortali: non autem macellatoris, carnificis, lictoris, et similis generis, cum hæc officia bene exerceri possint sine peccato, ut *Pal. l. c. n.* 6. *et Salm. n.* 84. *cum Corn. contra alios* Præterea hic notandum posse etiam incurri irregularitatem ob infamiam adhuc alienam, prout incurrunt filii eorum qui damnati sunt ob delictum læsæ Majestatis; item filii nati ex matre meretrice; ita filii Hæreticorum (licet hoc neget *Viva Art.* 4. *n.* 6. sicut negat etiam de filiis illegitimorum cum *Suar.*, et *Palao contra alios*, et etiam nepotes per viam masculinam ab iis descendentes; modo tamen sit notorium parentes fuisse hæreticos, et in hæresi decessisse, ut *Sanch. l.* 2. *c.* 28. *n.* 7. *et Suar. D.* 43. *sect.* 3. *n.* 1. Ut autem omnes hi irregularitatem incurrant, opus est, ut nati sint post delictum; ita *Sanch. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 14. *Less. l.* 2. *c.* 34. *n.* 121. *Pal. p.* 19. §. 2. *n.* 2. *et Salm. c.* 8. *n.* 83. *cum Bonac. et Heriq.*

364. Hæc infamia atque irregularitas, si sit

facti, tollitur vel per Baptismum, vel per notoriam facti emendationem, sine dispensatione, ut tenent *Suar. D.* 48. *sect.* 2. *n.* 6. *Pal. l. c. n.* 14. *et Salm. cum Henr. Bon. Corn.* etc. Et colligitur ex *c. Si duo* 15. *q.* 6. Modo emendatio, universim loquendo, ut ait *Viva art.* 4. *n.* 6. et *Croix n.* 517. *cum communi*, saltem per triennium perseveret. Si vero sit juris, non tollitur nisi per dispensationem; quamvis *Bon.* teneat hanc etiam tolli per Baptismum, *et Salm. num.* 86. non improbabile putant.

Episcopus non potest dispensare, ut infamis infamia facti ad Sacros Ordines ascendat: potest tamen, ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit pœnitentiam. Si vero infamia sit per sententiam Judicis, potest ab illo irregularitas tolli per aliam sententiam, qua reo fama restituatur, *Salm. c.* 8. *n.* 87. *et Tourn. t.* 2. *p.* 57. Irregularitas ob crimen parentum, vel ob officium infame tollitur per ingressum in Religionem, ut *Salm. ib.* cum *Corn.* Testantur autem *ibid. Bordon. et Ant. a Sp. S.* Regulares ex Privilegiis Pii IV. et Pii V. posse dispensare cum suis subditis in hac irregularitate, sive contracta ante ingressum in Religionem, sive post; item sive infamia fuerit juris, sive facti, nulla excepta.

365. » *Sexta* oritur ex injusta mutilatione,
» vel homicidio, etiam indirecte tantum volun-
» tario; extenditurque ad omnes, qui ad alte-
» rutrum, sive in bello injusto, sive extra illud,
» injuste concurrunt, consulendo, mandando.
» Mutilatio autem hic intelligitur, quando a cor-
» pore separatur membrum aliquod principale,
» idest pars corporis, quæ officium per se di-

» stinctum habet, v. gr. pes, manus, oculus,
» auris, etc. *M. Leo in praxi p.* 3. *s.* 347. *ex*
» *Covar. Nav. de Cens. n.* 206. Vide *Bon. p.*
» 8. * (*Ita habetur ex Clement. unic. De*
» *Homic. Et hoc verum est, etiamsi quis mu-*
» *tilet seipsum, ut qui seipsum castraret, c.*
» *Si quis absciderit. D.* 55. *Sayr. Corn. cum*
» *Salm. c.* 8. *n.* 18. *Sicut etiam fieret irregu-*
» *laris, qui seipsum culpabiliter deformaret,*
» *aut digitum, vel partem digiti sibi abscinde-*
» *ret, ut ex c. Qui partem D.* 55. *Dicitur,*
» seipsum, *quia secus esset (ut mox dicemus*
» *n.* 379.) *si alter abscinderet tibi digitum*)*.

366. Hæc igitur irregularitas oritur tam ab homicidio voluntario (nimirum cum homicidium sit vel directe volitum in se, vel indirecte in causa, inseparabiliter tamen et proxime cum illo conjuncta, prout est in letali vulneratione, in porrectione veneni, etc.), quam ab homicidio casuali indirecte volito, nempe in causa, præviso effectu (non ita autem proxime cum causa conjuncto), et neglecta debita diligentia ad illum impediendum. Hinc aliqua adnotabimus I. De homicidio *voluntario*. II. De homicidio *casuali;* advertendo, quod illud quod dicitur de irregularitate ob homicidium, dicitur etiam de irregularitate ob mutilationem voluntariam, sive casualem.

367. Quoad homicidium voluntarium pertinet, I. incurrunt irregularitatem omnes qui propria actione hominem occidunt, ut patet ex *c. Si quis* 1. *de Homic.* et ex *c.* 7. *Trid. Sess.* 14.

368. Sed hic dubitatur 1. an si homicidam, se pœniteat facti ante mortem, incurrat irregularitatem? Negant *Salm. c.* 8. *n.* 4. *fin.* quia (ut ajunt) tunc occisori mors illa non est voluntaria in seipsa, sed tantum in causa, quæ

cum jam retractata fuerit, ipse non influit amplius moraliter in mortem. Sed verius affirmant *Suarez D.* 44. *s.* 3. *n.* 7. *et Viva de Irreg. q.* 9. *art.* 2. *n.* 4. Nam in hoc differt causa moralis a physica: qui posuit causam tantum moralem, sufficit, ut eam moraliter auferat, ne effectus ei imputetur; hinc mandans homicidium revocando mandatum ante ejus executionem, bene excusatur ab irregularitate, quia jam desinit moraliter influere. Qui vero posuit causam physicam mortis, nempe vulnus, aut venenum, non excusatur si se pœniteat, quia causa necessario pergit influere in mortem. Immo recte docet *Suar. D.* 44. *sect.* 3. *n.* 13. *in fin.* nec etiam mandantem excusari ab irregularitate, si revocatio mandati casu non perveniat ad mandatarium. Valde probabiliter tamen (ut diximus *n.* 40. et tenent iidem *Salm. c.* 1. *n.* 153. *cum Suar. Sayr. Avila, Corn. etc.* ac consentit ipse *Viva l. c.* excusabitur ab excommunicatione mandans percuti Clericum; si ante executionem se pœniteat mandati, sive consilii, licet revocatio mandatario non innotuerit, quia cessat contumacia requisita ad censuram incurrendam. Certum autem est, quod si quis letaliter quantumcumque vulneret, si mors non sequitur, irregularitatem non incurrit; quia nulla assignatur in jure propter conatum occisionis, sed tantum propter homicidium, aut mutilationem; ita *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 2. *et Salm. l. c. cum Avila, et Sayr.* ac alii passim.

369. Dubitatur 2. an incurrat irregularitatem, si quis primus letaliter aliquem percusserit, sed alii postmodum eum peremerint? affirmant *Fagnan. in c. significasti* 18. *de Homic.* item *Cov. et Ugol. apud Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 32. Et inferunt ex *dicto c. Significasti*,

ubi Pontifex dixit primum vulnerantem non esse irregularem, si constet vulnus ab ipso inflictum non fuisse letale; secus ergo, si letale fuerit. Negant vero *Laym. l.* 3. *s.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *in fin. Bon. l. c. cum Avila*, et *Con.* item *Molina*, *et Henr. apud Escob. l.* 53. *n.* 311. Ego autem censeo cum *Escobar n.* 312. revera in prædicto *c. Significasti*, nihil definitum fuisse de hoc casu; ibi enim fuit quidem decisum in casu ibi allato, nempe cum quidam primum ab uno percussus fuisset, deinde ab aliis, et sic decesserit; respondit Pontifex, quod si constiterit, primum non percussisse letaliter, eum non esse irregularem. Secus si dubium fuisset, an ex illius percussione, vel aliorum vulneratus periisset. Nostrum autem casum nempe quod primus vulnus letale inflixerit, sed percussus ab aliis extinctus fuerit, puto a Pontifice fuisse præteritum, saltem non constat fuisse decisum. Hoc tamen intelligendum, si constet primum vulnus non causasse mortem, nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vulnus, nempe si caput fuisset confractum, aut cor transverberatum; nam alias in dubio primus non effugit irregularitatem.

370. II. Incurrunt irregularitatem omnes homicidium mandantes, vel consulentes, ut habetur ex *c. Si quis viduam. Dist.* 50. *c. Significasti* 18. *de Homic. et c. Sicut* 6. § *vero*, *eod. tit.* Hoc tamen non currit, si mandans, vel consulens non influxerit in homicidium, nimirum (ut dicunt *Sanch. Dic. l.* 1. *c.* 10. *n.* 44. *et Viva q.* 9. *ar.* 2. *n.* 6.) si constet homicidium ex alia causa accidisse; vel si ipsemet hoc asserat, sitque fide dignus; nam alias ut bene advertit *Sanch.* non est credendus.

371. Sed dubitatur 1. an mandans vel con-

sulens censendus sit irregularis in dubio, an mandatum vel consilium fuerit, vel non, efficax causa homicidii? *Prima* sententia communior, quam tenent *Sanch. l.* 1. *c.* 10. *n.* 44. *circa fin. cum Salas*, *Pal. D.* 6. *p.* 3. *n.* 8. *cum Nav. et Salm. c.* 7. *num.* 45. *cum Con. Sayr. Avila*, *et Corn.* affirmat, tum quia possidet mandatum sive consilium, usquedum probetur oppositum; unde sicut in foro externo hi damnarentur jam ut irregulares, ita censendum in interno, qui externo conformari debet, semper ac Externus non utitur falsa præsumtione; tum quia ratio textus in *c. Ad audientiam*, nempe quod in dubio homicidii tutior pars eligenda est, ut si forte postmodum certe innotescat homicida, evitetur indecentia et scandalum, comprehendit tam homicidam, quam mandantem, aut consulentem. *Secunda* vero sententia, quam tenent ut probabilem *Dian. p.* 11. *tr.* 6. *R.* 42. *Spor. t.* 2. *p.* 130. *n.* 129. *et Tamb. l.* 10. *de Cens. tr.* 4. *c.* 5. *n.* 11. negat, quia (ut ajunt) irregularitas non incurritur nisi expressa sit in jure, jura autem loquuntur de iis qui certe sunt causa homicidii mandando vel consulendo, vel qui dubie homicidium committunt, non autem de iis qui tantum dubie ad illud concurrunt. Unde sicut non incurreret irregularitatem mandans sive consulens homicidium, nisi hoc in textibus supra allatis esset expressum, ita alii Canones, qui damnant percutientes, etiam in dubio, an ex eorum percussione mors sequuta fuerit, non extenduntur ad mandantes et consulentes in dubio concursus. Ad primam autem rationem responderi posset id quod dicitur circa obligationem restitutionis, vide dicta *l.* 3. *n.* 562. ex *D. Th.* et aliis. Secundæ vero rationi respondetur, quod in pœnis, et præser-

tim in irregularitatibus (juxta dicta *n.* 346.) non fit ob identitatem rationis extensio de casu ad casum. Unde non videtur hæc secunda sententia dicenda improbabilis.

372. Dubitatur 2. an incurrat irregularitatem qui movet homicidam jam determinatum ad occisionem, ut citius eam exequatur? Negat *Hurt. cum aliis apud Viva q.* 9. *art.* 2. *n.* 7. quia hic non influeret simpliciter in homicidium. Sed communiter et recte affirmant *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n*, 28. *Pal. p.* 15. §. 2. *num.* 6. *et Salm. c.* 8. *n.* 13. *cum Avila*, *et Corn.* quia revera iste jam directe est causa illius homicidii eo tunc patrati.

373. Dubitatur 3. an consiliator homicidii excusetur ab irregularitate, si ante executionem consilium revocet? Negant *Nav. c.* 27. *n.* 353. *et Bon. D.* 6. *p.* 8. *n.* 20. *cum Az.*, et *aliis*, quia consilium adhuc revocatum semper influit. Affirmant vero *Suar. D.* 44. *s.* 3. *n.* 13. cum communi ut asserit, *Sylvest. v. Homicidium*, *n.* 13. *Fill. tr.* 20. *n.* 34. item *P. Nav. Avila*, *Sayr. Salas*, et *Ugol. apud Bon. l. c.* quia ut consulens excusetur, sufficit quod sicut consulendo moraliter influxum posuit, ita, consilium revocando, influxum moraliter auferat (modo intelligitur revocatio perveniat ad homicidam); tunc enim homicidium potius imputatur malitiæ executoris, quam consilio suadentis. Sed juxta dicta *l.* 3. *n.* 559. dicimus, quod si consilium fuerit dumtaxat falsum, vel datum auctoritativo modo, revocans illud non fit irregularis; secus si consulens insinuavit motivum, vel modum occidendi; tunc enim probabilius incurrit irregularitatem, quia motivum aut modus semper influere pergunt. Hoc tamen non obstante, secundam sententiam non puto improbabilem; V. *d. n.* 369.

374. III. Incurrunt irregularitatem omnes qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius, aut securius fiat, ut communiter docent *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 2. *n.* 6. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *a n.* 28. *Tamb. de Cens. c.* 15. §. 7. *n.* 26. *cum Sayr. Præp. et Ugol.* et *Salm. c.* 8. *n.* 12. *cum Cornejo*, *et Avila*, ex *c. Sicut*, §. *Qui vero*, *et* §. *Clerico*, *de Homic.* Hinc fiunt irregulares 1. Omnes qui ad homicidium se excitant, quamvis unus solus occidat. 2. Omnes qui prælianiur in bello injusto, si aliquis in eo occidatur, etiamsi hoc non intendant; tunc enim saltem incurrunt irregularitatem homicidii casualis. 3. Omnes qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium, aut bellum injustum patrandum. 4. Omnes qui injuste accusant, aut testificantur, aut judicant, ut homo occidatur. 5. Omnes qui associantur occisorem, animum augendo; ita communiter *Viva q.* 9. *ar.* 2. *n.* 3. *Tamb. l. c. et Salm. c.* 8. *n.* 14. *cum Bon. Avila*, *Giball. et Corn.* Quapropter dicit *Tamb. l. c. n.* 28. *cum Sayr. Præp. et Ugol.* quod si in rixa te ostendas amico rixanti, jam eris irregularis, si ille occidat: quia tua præsentia jam animum auges. Additque cum *Præpos.* non posse approbare opinionem *Avilæ*, *Henriq.* et aliorum dicentium excusari ab irregularitate patrem associantem filium rixantem, ne filius periclitetur, si filius alterum occidat. Subdit *Vivā q.* 9. *ar.* 2. *n.* 8. *cum Avila* fieri etiam irregularem, qui suadet amico, ut inimicum occidat, vel se exponat probabili periculo mortis, si postea ipse amicus occidatur; vide *n.* 387. *ibi infra.*

375. Dubitatur 1. an incurrat irregularitatem qui ratihabet homicidium suo nomine patratum? Affirmant *Nav. c.* 27. *n.* 233. atque *Mol.*,

Sylv. etc. apud Salm. c. 8. *n.* 11. quia (ut ajunt) ratihabentes æquiparantur mandantibus; ideo in *c. Cum quis*, *de Sent. exc. in* 6. ratihabentes percussionem Clerici suo nomine factam, jam incurrunt excommunicationem. Sed verius, et communiter negant *Suar. D.* 44. *s.* 3. *n.* 24. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 42. *Sal. c.* 8. *n.* 11. *cum Corn. Dian*, *Giball. Vill.*, et *Leand. ac Ese. l.* 53. *n.* 288. *et* 289. *cum Con. Avila*, *Cov. Sayr. et Henr.* Ratio, quia nullibi habetur in jure, ratihabentibus impositam esse irregularitatem. Ratihabitio autem æquiparatur mandato quoad culpam, non autem quoad pœnam, nisi in jure sit expressum, prout expressum est de ratihabentibus Clerici percussionem respectu ad excommunicationem, non autem irregularitatem incurrendam.

376. Dubitatur 2. an incurrat irregularitatem qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Si is tantum ex caritate tenetur impedire, certum est apud omnes non incurrere, esto ex odio non impediat; ita communiter *Suar. D.* 45. *s.* 4. *n.* 7. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 37. *et Salm. c.* 8. *num.* 39. *cum Avila*, *Sayr. Fill. Giball. Henr. Cor. etc.* Dubium fit, an incurrat, qui tenetur impedire ex justitia ratione pacti vel officii; nempe si sit medicus stipendio conductus, advocatus qui teneatur reum tueri, custos viarum, pater, tutor, dominus, aut maritus qui tenetur uxori alimenta præstare? *Prima* sententia negat incurrere, et hanc tenent *Roncag. c.* 3. *q.* 3. *p.* 116. *v. Non pauci*, *Hurtad. D.* 2. *Diff.* 9. *n.* 34. *Turr. D.* 63. *dub.* 3. *Diana p.* 4. *tr.* 2. *R.* 7. *cum Vasq. et Tab* item *Præp. Leand. et Giball. apud Salm. c.* 8. *n.* 41. et

probabilem videri ajunt *Palaus D.* 6. *p.* 15. §. 7. *n.* 2. *et Escob. l.* 53. *n.* 315. Ratio, quia aliter judicandus est qui positive influit in homicidium, quam qui homicidium non impedit. *Secunda* vero sententia affirmat, et hanc tenent *Nav. c.* 27. *n.* 232. *Suar. D.* 46. *s.* 4. *n.* 5. *Pal. l. c. n.* 2. *Bon. l. c. Tolet. l.* 1. *c.* 83. *n.* 4. *Tourn. to.* 2. *p.* 95. *Escob. l. c. cum Man. et Henriq. ac Salm. c.* 8. *n.* 42. *cum Avila, Sayr. et Cornejo.* Ratio, quia omittens defendere, cum possit, quem ex justitia defendere tenetur, censetur verus homicida, cum ipse, si non physice, moraliter tamen influit in homicidium. Hæc sententia est quidem communior et probabilis, sed non minus probabilis mihi videtur prima; cum enim irregularitas debeat esse in jure expressa, recte dicit *Roncag.*, ex S. Canonibus non satis constare hujusmodi non impedientes, moralem tantum causam præbentes, incurrere irregularitatem, sed solos occidentes, mandantes, consulentes, omnesque positive in homicidium influentes. Idem autem *Tourn.*, *et Escob. ll. cc.* excusant ab irregularitate, qui omittunt impedire, non jam studiose, ut homo occidatur, sed tantum ex timore vel negligentia; idque recte inferunt ex *c. Quæsitum, de Pœnit. et rem.* ubi Parentes, ex quorum culpa filii in cunis perierint, censentur irregulares, si studiose neglexerint suffocationem impedire, non tamen si ex ipsorum incuria filii mortui fuerint.

377. Hæc quoad homicidium voluntarium; quod vero ad homicidium *casuale* spectat, incurritur irregularitas etiam ab eo qui periculum mortis prævidet, ex aliqua sua actione, et negligit culpabiliter illud præcavere; ita *Palaus D.* 6. *p.* 15. §. 5. *art.* 3. *et Salm. c.* 8. *n.*

29. *cum Avila*, *Covarr. et Henr.* ac aliis passim, ut patet ex *Clem. Si furiosus*, *de Homic.* Dicitur *culpabiliter*, nam ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur culpa lata, quæ peccatum mortale supponit, ut communiter docent *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 7. *in fin. Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 4. *in fin. Suar. D.* 45. *sect.* 5. *n.* 8. *Tourn. tom.* 2. *p.* 97. *R.* 2. *Concina tom.* 10. *p.* 490. *n.* 7. *Salm. c.* 8. *n.* 30. *cum Avila*, *Sayr. et Corn. ac Viva q.* 9. *art.* 2. *n.* 10. *cum Cajet. Arm. etc.*

378. » 1. Non fit irregularis, qui in rixa » præscindit alteri digitum, pollicem, unguem, » dentes, barbam, capillos, labia, nasum, » auriculam, (idest, cartilaginem quæ tantum » deservit ad ornatum, et tutelam auris); quia » non sunt propria membra, v. gr. digitus est » pars tantum, et officium membri, *Avila*, *et* » *alii* 8. cum *Dian. p.* 4. *t.* 4. *R.* 26. Item » *M. Leo l. c. ex Glossa c. ult. de hom. in* » 6. et *L. Quæritur*, *Herm.* 10 *L. Non sunt* » 14. §. *Partus*, *ff. de Statu Hom.*

379. Incurritur igitur irregularitas etiam ob mutilationem membri, ut habetur in *c. Significasti de Homic.* et in *Clemen. Si furiosus eod. tit.* Sed dubitatur 1. quid veniat nomine *Membri? Prima* sententia quam tenent *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 7. *et* 8. *ac Sotus*, *Cajet. Arag. etc. apud Salm.* dicunt intelligi non solum oculum, manum, etc. sed etiam nasum, digitos, et auriculam, quia per horum abscissionem jam aufertur (ut ajunt) corporis integritas. Sed communissime, et probabilius *Bon. q.* 4. *p.* 8. *n.* 3. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 1. *n.* 4. *Conc. c.* 10. *p.* 489. *n.* 4. *Habert c.* 7. *p.* 566. *Tourn. t.* 2. *p.* 70. *v. Ex quibus*, *Cabass. l.* 5. *c.* 20. *n.* 9. *cum Nav. ac Avi-*

la, *et Salm. cap.* 8. *n.* 22. *cum Val. Cov. Sayr. Diana*, *Hurt. Gob. etc.* dicunt nomine *Membri* intelligi tantum partes illas corporis quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum, etc. Hiuc probabilius dicunt *Palaus et Tournely ll. cc. et Salm. n.* 24. *cum Avila*, *Covarr. Sayr. Corn. etc.* non incurrere irregularitatem qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi: nec qui dentes evelleret; quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos, ut *Bon. n.* 3. *Pal. n.* 4. *et Salm. d. n.* 24. *cum Sayr. Diana*, *et Giball.* Et tanto minus qui capillos, aut barbam abscinderet. Item nec qui aufert alteri digitum, quisque sit, ut *Bonac. Palaus*, *Tourn.* et *Salm. ll. cc. cum Val. Avila*; *Cov. Sayr. Hurt. Cornejo*, et aliis communissime. Nec obstat textus in 6. *c. Qui partem. D.* 55. ubi declaratus fuit irregularis qui sibi ipsi digitum vel partem digiti abscidit; nam respondetur cum *Tournely*, et *Habert*, illi non fuisse irregularitatem impositam ob solam mutilationem, sed ob pravam voluntatem, *quæ sibi causa fuit* (ut ibi dicitur) *ferrum injicere.*

380. Dubitatur 2. an sit irregularis qui abscindit testiculos alterius? Negant *Bon. Hurt. Avila*, et *Cornejo*, *ac Salm. c.* 8. *n.* 23. quia (ut dicunt) illi non sunt membrum, sed pars membri. Sed probabilius affirmant *Bonc. c.* 3. *q.* 3. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 1. *n.* 4. et *Salm. l. c.* et *Diana p.* 9. *tr.* 7. *R.* 11. (quamvis alias oppositum dixerit) quia testiculi jam propriam operationem habent, nempe efformandi semen aptum ad generandum (intellige id tamen, si abscissio injuste fit). Secus vero si

unus tantum testiculus auferatur, quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad eamdem operationem concurrant. Fieret vero irregularis, ut recte dicunt *Palaus d. n. 4. Tourn.*, *Habert.*, *Conc*, et *Salm. ll. cc. cum Sayr.* et *Bon.* qui mulieri unam mamillam abscinderet, quia unaquæque mamilla proprium officium habet. Idem docent *Suar.* et *alii apud Vivum* de abscissione dimidiæ manus; sed contradicit *Tourn. p.* 69. *v. Resp. Partes*, quia in *c.* 2. *de Cler. ægrot.* qui duos digitos cum medietate palmæ amisit, non dicitur mutilatus, sed debilitatus; communiter autem dicunt *Nav. c.* 27. *n.* 223. *Cabass. l.* 5. *c.* 20. *n.* 9. *cum Suar. Con. et Avila*, *Salm. c.* 8. *n.* 25. *cum Soto*, *Bon. Cov. Sayr. etc. Avila*, *ac Croix. l.* 7. *n.* 487. *cum Suar. et Sylvio* (contra *Cajet. etc.*), et probabile putat *Ronc. l. c.* non esse irregularem qui alterius membrum debilitaret, adhuc taliter ut redderet ineptum ad officium suum. Immo etiamsi mortuum relinqueret, ut dicunt *Pal.* §. 1. *n.* 5. *Nav. Cov. etc. apud Salm. n.* 26. Sed huic valde probabiliter contradicunt *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 11. *Cabass. l. c. Conc. p.* 490. *n.* 5. *et Salm. n.* 27. *cum Corn. etc.* quia tale membrum, licet secundum apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum, et continuatum cum aliis membris. Unde probabiliter e converso inferunt *Salm. n.* 27. non esse irregularem qui tale membrum omnino exsiccatum abscinderet, quia talis non esset mutilatio formalis.

381. In hac autem irregularitate propter mutilationem bene possunt dispensare Episcopi, si sit occulta, ex facultate Tridentini in *c.* 6. *Liceat sess.* 24. ubi tantum excipitur irregularitas

ob homicidium voluntarium, ut communiter docent *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *num.* 4. *Pal. l. c. n.* 3. *Bon. p. ult. num.* 11. *et Salm. c.* 8. *num.* 28. *cum Fill. Avila*, *Corn. Diana*, *Gib. Villal. etc.*

382. » 2. Nec fit irregularis, qui excæcavit ho-
» minem solo visu privando, non autem ocu-
» lum extrahendo: nec qui debilitat tantum
» membrum, et non abscindit, quia non est
» mutilatio. *Diana p.* 4. *t.* 4. *R.* 26. *ex Me-*
» *gal.* etc.

» 3. Quando plures (non ex consilio, sed
» in rixa) unum percutiunt, et unus letale
» vulnus infligit, ex quo moritur. si constet
» quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregula-
» rem docet *Sayr.*, et alii 5. cum *Diana p.*
» 2. *t.* 15. *R.* 18. contra *Avil. Suar.* etc.

» 4. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v.
» g. cibum, vel potum; vel eum movet, vel
» de lecto in lectum transferi, aut aliud circa
» eum operatur, ex quo mors, vel ejus acce-
» leratio præter intentionem sequatur, non fit
» irregularis, nisi intervenerit lata culpa, *Avi-*
» *la*, *Fill.* et alii 4. cum *Diana p.* 5. *t.* 3.
» *R.* 117. ubi ex *Bon* etc. notat, Sacerdoti-
» bus, et religiosis circa moribundos licere ea-
» dem, quæ laicis. * (*Ita etiam communiter*
» *Tourn. p.* 97. *R.* 2. *Concina p.* 490. *n.* 7.
« *Elbel p.* 472. *n.* 171. *cum Fill. et Avila*,
» *ac Salm. c.* 8. *n.* 33. *cum Cornejo*, *et Pel-*
» *liz. Sic etiam non fit irregularis Sacerdos ju-*
» *bens fieri abscissionem membri præscriptam a*
» *Medico*, *modo ipse non exequatur*; *Cabass.*
» *l.* 5. *c.* 19. *n.* 22. *Immo multum probabi-*
» *liter Concina p.* 501. *n.* 20. *eximit ab irre-*
» *gularitate qui adjuvaret Chirurgum congruo*
» *mutilantem ægrotum. An vero fiat irregularis*

» *qui facit ista, ut infirmus citius moriatur?*
» *Affirmant Cov. Nav. etc. Sed negant Pell.*
» *et Con. ac merito probabile putant Salm.*
» *ibid., quia, licet adsit peccatum grave, de-*
» *ficit tamen actio externa graviter injusta.*
» *Hinc mihi videtur utendum distinctione qua*
» *usi sumus in obligatione restitutionis, juxta*
» *dicta l. 3. n. 551. spectandum enim, an*
» *apponatur, vel non, diligentia sufficiens ad*
» *mortem infirmi præcavendam. Certe autem*
» *fit irregularis qui temere remedium præberet*
» *ex quo mors notabiliter accelerarctur; Salm.*
» *l. c. semper tamen ad irregularitatem ex de-*
» *licto requiritur culpa lata cum peccato morta-*
» *li, ut Salmant. Tournely, Concina, et alii*
» *communiter citati n. 348. et 377.*) *.

» 5. Qui amicum bono animo comitatur, ne
» periclitetur in rixa, non fit irregularis, etsi
» amicus occidat alium. *Avila*, *Henriq.* etc.
» cum *Dian. p. 4. t. 2. R. 17.* Limitat au-
» tem *Præp.* nisi sua præsentia animaverit ad
» occidendum; *vide n. 374.*).

» 6. In bello injusto, si vel unus occidatur,
» totus exercitus fit irregularis, saltem si ali-
» qua ratione sit cooperatus; *Bon. q. 4. p. 9.*
» *num. 3.*

» 7. Irregularis fit, qui procurat abortum
» fœtus animati Anima rationali; secus, si ani-
» matus non sit, *C. Majores. 32. q. 2. Bon.*
» *l. c. p. 8. n. 27. Con.* etc.

» 8. Qui dans operam rei licitæ (immo, se-
» cundum multos, etiam illicitæ) sufficientem
» diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium
» sequeretur, et tamen secutum est, non est
» irregularis ob defectum voluntarii, secus ta-
» men, si dictam diligentiam omisit, omissione
» mortali. *Bonac q. 4. p. 7. Less. lib. 2.*

» *cap.* 9. *dub.* 15. *etc.* Alii tamen dicunt, quod
» dans operam rei illicitæ, ex quavis culpa,
» etiam levissima, incurrat hanc irregularita-
» tem. *Panorm. Covar. M. Leo p.* 3. *s.* 354.

383. Distinguendum igitur, si quis dat operam rei licitæ, et debitam adhibet diligentiam, ne homicidium sequatur, non incurrit irregularitatem, si mors accidat; ita communiter *Palaus D.* 6. *p.* 14. §. 4. *n.* 7. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 7. *n.* 8. *Concina t.* 10. *p.* 490. *n.* 7. *Tournely t.* 2. *pag.* 96. *concl.* 1. *Salm. c.* 8. *n.* 30. et alii passim *cum D. Thoma* 2. 2. 64. *art.* 8. *ad* 3. ubi, *Secundum Canones imponitur pœna his qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam.* Et patet ex *c. Is qui, c. Sæpe, et c. Si duo fratres. Dist.* 50. item ex *c. Joannes, c. Dilectus*, et *c. ult. de Homic.* Secus vero si omitteret sufficientem diligentiam, ut colligitur ex *c. Presbyterum*, et *cap. Ad audientiam de Homic.* Quia, cum quis negligenter se habet in præcavendo homicidio quod timet, indirecte jam vult illud in causa. Dicitur, *sufficientem diligentiam*, quia non requiritur diligentia summa, sed satis est illa, qua vir prudens uteretur juxta rei qualitatem; ut recte dicunt *Salm l. c. cum Cajet. et Corn.* Et contra, ad irregularitatem incurrendam non sufficit quævis negligentia, sed requiritur illa quæ ad peccatum mortale pertingit, ut communiter docent *Suar. D.* 45. *sect.* 5. *n.* 8. *Bonac. l. c. in fin. Pal.* §. 4. *Concina l. c. Cabass. l.* 5. *c.* 20 *n* 10. *Tournely pag.* 97. *R.* 2. *Sylvius* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *Concl.* 3. *cum Soto, et Bann. Salm. d. n.* 30. *in fin. cum Sayr. Corn et Avila, ac Diana p.* 2. *tr.* 2. *R.* 21. *cum Con. Fill.*

et communi, ad incurrendam enim quamcumque irregularitatem ex delicto omnino requiritur culpa gravis, ut probat *Cabassut. l. c. ex c. Quæsitum de Pœnit. et c. fin. de Hom. in* 6. Vide dicta *n.* 348. *et* 377.

384. Hinc non fit irregularis I. Magister qui discipulum moderate verberat (et idem de Patre respectu filii), si casu ex percussione mors discipuli sequatur; ut *Concina d. n.* 7. *et Salm. c.* 8. *n.* 31. Secus si graviter excederet, ut patet ex *c. Presbyterum de Homic. et c. ult. eod. tit. in* 6. II. Qui equitando in equo feroci puerum occiderit; *Concina ibid. et Bonac. n.* 23. *cum Mol. Say. et Ugol.* ex *c. Dilectus* 13. *de Homic.* III. Qui feram sive canem ferocem alit, et custodit in occulto, si casu fera ruptis vinculis hominem occidat; secus si teneret in via, ubi fera aliis nocere posset; vel si illa ex ejus incuria esset soluta; *Salm. c.* 8. *n* 31. *cum Covar. et Corn.* IV. Qui reficiendo tectum, tegulas et lapides mittit, præmonens transeuntes ut se caveant; secus si non moneat, *Salm. loc. c.* V. Medicus, si casu infirmus ex pharmaco præstito decedat sine gravi Medici negligentia, ut ex *c. Ad aures, de ætate, et qualit. ord.* Et hoc adhuc si sit Clericus aut Monachus, modo 1. sit peritus; nam alias non effugeret irregularitatem, si temere vel contra præceptum Medici præberet remedium, ex quo mors aut ejus notabilis acceleratio eveniret, ut recte dicunt *Salm. c.* 8. *n.* 33. *in fin. Tourn. to.* 2. *p.* 84. *et Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 5. *n.* 4. *cum Mol. Sayr. Henr.* et communi. (Secus si bona fide daret aliquid infirmo ad ejus remedium vel levamen, ut *Bon. p.* 7. *n.* 12. *et Salm. ib. cum Cornejo, et Pelliz.* vide dicta *n.* 383. *v.* 4. *Qui infirmo*). Modo 2. Clericus

medeatur sine incisione, vel adustione, alioquin, cum id expresse vetetur Clericis in Sacris et Monachis sub pœna irregularitatis in *c. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, jam fiunt irregulares, si ex tali incisione vel adustione mors sequitur; secus si eveniret aliunde, nempe ex vi ipsius morbi, vel ex alia causa, ut dicunt *Palaus D. 6. p. 15. §. 4. n. 8. in fin. et Salm. c. 8. n. 32. cum Avila, Corn. et Henriq.* Si tamen alius peritus absit, bene poterit tunc Clericus aut Monachus sine peccato et consequenter sine periculo irregularitatis incisionem aut adustionem adhibere, ut communiter docent *Palaus, Tourn. cum Mol. et Salm. ll. cc. cum Avila, Henr. et Corn.*

385. An autem Clericus Beneficiatus medendo cum incisione præter necessitatem, si æger ex illa moriatur fiat irregularis? Affirmant *Nav. Panorm. etc. apud Tourn. p. 84.* quia (ut ajunt) id quod prohibetur Ordinatis in Sacris, interdicitur etiam Beneficiatis. Sed verius id negant *Bon. q. 4. p. 5. n. 4. cum Mol.* et idem *Tourn. cum Pontas*, et *Giball.* tum quia regula præfata supponitur ab Adversariis, sed nullo jure satis probatur; tum quia in præfato textu, *Sententiam*, tantum de constitutis in Sacris fit mentio; pœnæ autem non sunt extendendæ de casu ad casum in jure non expressum. Et quamquam de negotiatione, et ludo sub nomine *Clericorum*, non tantum in Sacris venire, sed etiam Beneficiatos diximus *l. 3. n. 331. et 395.* tamen cum in hoc casu prohibitio facta sit speciatim Subdiaconis, Diaconis, et Sacerdotibus, non comprehenduntur minores his, quicumque illi sint.

386. Si quis vero dat operam rei illicitæ, et ex ea mors alterius sequatur, communis est

sententia, quod si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vitandam; puta si quis cæderet arborem in solo alieno, et mere fortuito hominem occideret; vel si induceret alium ad furandum sine periculo, et casu ille occidatur, ac similia. Ratio, quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe, cum non sit intentum, neque indirecte in sua causa, cum talis actio non sit per se periculosa; jura enim irregularitatem statuentia ex homicidio intendunt punire vere delinquentes homicidii culpa; illa autem actio, licet sit mala, non tamen est mala malitia homicidii; nam ut bene docet *D. Th.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. ignorantia invincibilis circumstantiæ peccati excusat quidem a speciali ejus malitia, etiamsi opus ipsum peccatum sit; ita communissime *Suar. D.* 45. *s.* 6. *n.* 9. *Sotus de Just. l.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *Nav. c.* 27. *n.* 221. *Pal. D.* 6. *p.* 15. § 4. *n.* 5. *Conc. p.* 491. *n.* 8. *Tourn. t.* 2. *p.* 99. *Escob. l.* 53. *n.* 300. *cum Cov. Val. et Henr. ac Salm. c.* 8. *n.* 34. *cum Corn. Avila*, *et Sayr.* contra *Palud. Gabr.* et alios paucos *apud Suar. l. c. n.* 1. qui citant pro se *D. Th. in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. sed non bene; nam licet S. Doctor ibi dicat dantem operam rei illicitæ non evadere homicidii reatum, tamen id aperte intelligit de re illicita ob periculum homicidii, ut patet *in resp. ad* 1. *et* 2. *ib.* Nec obstat quod in *c. Clerico jacente*, et *c. Eos vero D.* 50. declarantur irregulares casu occidentes vel mutilantes; et tantum in jure excipiuntur qui dant operam rei licitæ, ut habetur in *c. Joannes*, et *c. Dilectus*, et *c. ult. de Homic.* Ergo qui

dat operam rei illicitæ ex qua mors sequitur; jam fit irregularis. Nam respondetur quod Canones hi semper intendunt loqui de homicidio directe vel indirecte volito, ut colligitur ex *Clem. unic. de Homic.* ubi ideo excusatur exercens opus licitum, quia homicidium non est ei voluntarium; unde semper ac homicidium est alicui omnino involuntarium, non imponitur ei irregularitas, quamvis operam rei illicitæ ipse navet.

387. Dubium majus est, an incurrat irregularitatem qui dat operam rei illicitæ quomodocumque periculosæ, si ex ea mors sequatur? Adest duplex probabilis sententia. *Prima* affirmat, quam tenent *Suar. D.* 45. *sect.* 6. *n.* 9. *Nav. c.* 27. *n.* 237. *Tolet. l.* 1. *c.* 77. *n.* 7. *et* 8. *Conc. p.* 491. *n.* 8. item *Sayr. Avila*, *Mol. et Ugol. apud Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 7. *n.* 9. et *Sotus*, *Cordub. Castro*, *Fernand. etc. apud Dianam p.* 4. *tr.* 2. *R.* 20. Et probant ex *c. Tua nos* 19. *de Homic.* ubi quidam Monachus incidens apostema cujusdam mulieris, licet fuisset peritus, et mulier ex sua incuria postea decessisset, tamen fuit declaratus delinquens, dixitque Pontifex: *Post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut Divina valeat celebrare.* Quæ verba ut ajunt *Fagnan. in d. c. et Suar. l. c.* secundum communem intelligentiam significant necessariam fuisse dispensationem. Ex hoc igitur textu generali fit regula, quod ex actione injuste periculosa, quoties sequitur homicidium, etsi casuale, inducitur irregularitas. *Secunda* vero sententia probabilior quam tenent *Palaus D.* 6. *p.* 15. §. 4. *n.* 5. *Tournely t.* 2. *p.* 99. *v. Dixi*, *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 4. (qui tutam vocat) *Sporer t.* 2. *p.* 133. *n.*

149. *Tamb. de Homic. c.* 15. §. 2. *a n.* 12. *Elbel t.* 2. *p.* 467. *n.* 189. *cum Sayr. et Gutt. Bonac. l. c. cum Salon. Salm. c.* 8 *n.* 38. *cum Henr. etc. ac Diana l. c. cum Con. Hurt. Præp. Sa*, *et Tann.* dicit, quod si opus sit ità periculosum, ut ex eo frequenter mors sequatur (ut esset admovere ignem bombardæ ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello, aut inducere alterum, ut temere se exponat periculo mortis, prout probabilius sentit *Bonac. n.* 17. *cum Suar. etc. ac Viv. cum Av.* vid. *n.* 374. contra aliquos) tunc incurritur irregularitas, quamvis omnis adhibeatur diligentia ne mors sequatur, quia (ut bene ait *Tournely*), cum opus sit de se proxime periculosum, nulla diligentia potest non periculosum fieri. Secus si opus raro sit mortis inductivum, et debita diligentia apponatur ne mors eveniat; quia tunc (ut diximus) homicidium non est voluntarium, neque in se, neque in causa; cum enim opus non sit proxime periculosum, posita diligentia, satis excusatur a malitia homicidii.

Ad textum autem oppositum in *d. c. Tua nos*, respondent *Sotus de Just. l.* 5. *q.* 1. *art.* 9. *et Less. l.* 2. *c.* 9 *n.* 105. ibi Monachum minime fuisse declaratum irregularem; sed hæc responsio mihi non satisfacit, nam verba textus supra allata verius significant jam irregularitatem incurrisse, ac facilius cum eo dispensandum, et sic explicat Auctor argumenti, dicens ibi: *Sed cum eo misericorditer dispensari potest*; et ita etiam communiter alii, ut testatur *Suar.* Melius respondetur cum *Palao*, *Bonac.* et *Salm.* casum illum esse particularem in jure (prout etiam est casus de mandante verberationem, si mandatarius casu postea occidat, ex *c. ult. de Homic. in* 6 Præterquam quod

dicimus cum *Salm.* quod talis Monachus jam aliunde erat irregularis, quia exercuerat chirurgiam cum incisione, ut idem Innoc. III. declaraverat in *c. Sententiam. Ne Cler. vel Mon.* tum propter indecentiam, tum quia talis ars est de se maxime periculosa mortis; unde potius Constitutio illa fuit declaratoria, quam novum jus constituens. Neque obstat alius textus in *c. Continebatur* 8. *de homic.* ubi damnatus fuit ut irregularis quidam Diaconus qui ferendo latentem falcem, et cum altero ludendo fuit causa, ut hic eum amplexans a falce feriretur, et mortem subiret. Nam respondetur cum *Gloss. ib. verbo Romani*, et *Suar. D.* 45. *sect.* 5. *n.* 3. *in fin. ac Bonac. n.* 22. hoc ita statutum fuit, quia Diaconus ille negligenter se habuit in falcem sic ferendo; unde dicunt *Suar.* et *Bon.* quod si talis minime advertisset ad periculum, in conscientia non tenebatur se gerere ut irregularem. Ex hac autem secunda sententia inferunt *Palaus n.* 7. *Laym. n.* 3. *Elbel n.* 212. et *Salm. n.* 38. cum aliis, non esse irregularem Clericum, si ipso torneamenta, vel ferarum venationem exercente, mors alicujus contingeret; quia tales actiones non sunt per se inductivæ homicidii, alias nec etiam laicis essent licitæ; excipe nisi in his vel similibus gravem negligentiam ille commiserit pertingentem ad mortale, juxta dicta *n.* 383. *in fin.*

388. » 9. Qui alterum mutilat, et occidit, » ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem: quia hic nulla est culpa: ergo » nec poena. *M. Leo p.* 3. *f.* 349.

Qui alium occidit ob defensionem sui cum moderamine inculpatæ tutelæ, certum est quod excusatur ab irregularitate, ut patet ex *c. Si-*

gnificasti 18. §. *fin. de Hom.* et ex *Clem. Si furiosus eod. tit.* ubi dicitur : *Et idem* (idest non incurrere irregularitatem) *de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Nec obstat Trid. *s.* 14. *c.* 7. ubi dicit etiam cum eo qui occidisset *casu*, *vel vim vi repellendo*, *ut se a morte defenderet*, *jure quodammodo dispensatio debeatur;* nam explicant communiter hunc textum DD. intelligi, quando ille moderamen non servasset; ita *Ronc. de Irreg. c.* 3. *q.* 4. *Salm. c.* 8. *n.* 58. *cum Avila*, *Pal. et Barb.* ex communi; *ac Tourn. t.* 2. *p.* 71. *cum Nav. Sayr. Comit. etc.* ex Declar. S. C. 1. Oct. 1688. Procul autem dubio irregularitatem incurrit qui cum culpa gravi moderamen excedit, ut patet ex *Clem. cit.* et ex *c. Si his* 6. *Dist.* 50. vide *Ronc. l. c. p.* 116. Hoc tamen casu homicidium reputatur casuale, et ideo Episcopus (si crimen est occultum) bene potest in tali irregularitate dispensare, ut mox infra *n.* 395. Excusatur etiam ab irregularitate qui occidit injustum invasorem alterius innocentis, ut *Suar. D.* 46. *sect.* 3. *n.* 2. *et* 3. *Ronc. ib. cum Barb.* item *Less. Con. P. Nav. Bon. Fill. et Cov. apud Cabass. l.* 5. *c.* 19. *n.* 24. qui eis adhæret, contra alios, quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex *c. Ex litteris primo loco de Homic.* Valde autem probabiliter censent *Ronc. l. c. cum Suar. et Salm. cap.* 8. *n.* 50. cum aliis, quod si quis alterum provocet verbis aut facto, prævidens se facillime aggrediendum, fit irregularis si postmodum ob sui defensionem aggressorem occidit, quia tunc dat operam rei illicitæ proxime periculosæ; se-

eus vero si non prævidet. Quid autem dicendum, si quis accedendo ad uxorem alterius maritum aggressorem necet? Vide dicta *l.* 3. *n.* 398. *v. In ordine*, ubi diximus adulterium non excusari ab irregularitate, si prævideritproximum periculum invasionis, quia tunc adulterium est proxime periculosum homicidii: secus si caute accesserit, ita ut putaverit periculum esse remotum. Quid si vir, cognito adulterio, occiderit uxorem, an adulter fiat irregularis? Eodem modo distinximus, vide *l. c. in fine.*

389. Quæritur, an occidens alterum ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiæ, vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatæ tutelæ, fiat irregularis? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Laym.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *n.* 3. *Tournely t.* 2. *p.* 74. *dub.* 5. *et Spor. de* 5. *Præc. c.* 2. *n.* 177. *cum Nav. Sylv. Arm. Henr. Avila, etc.* et probant ex *c. Suscepimus de Homic.* ubi fuit declaratus irregularis quidam Religiosus, qui pro conservandis bonis duos latrones occidit. Probant etiam ratione, quia licet in tali homicidio non adsit peccatum, adest tamen defectus lenitatis, ob quem semper incurritur irregularitas, præterquam in casibus jure expressis, in jure autem tantum excusatur ab irregularitate qui ob conservationem vitæ invasorem occidit, ut habetur in *Clement. Si furiosus de Homic.* ut supra. *Secunda* vero sententia communior et probabilior negat, et hanc tenent *Suar. D.* 46. *sect.* 2. *art.* 4. (qui vocat communem), *Less. l.* 2. *c.* 9. *n.* 73. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 8. *n.* 7. *Fill. tr.* 20. *c.* 1. *q.* 6. *n.* 106. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 10. *Con. D.* 18. *p.* 9. *n.* 88. *Holzm. tom.* 1. *pag.* 294. *n.* 583. *Elbel p.*

459. *n.* 195 *Ronc. c.* 3. *q.* 4. *cum Barb. et Salm. de Cens. c.* 8. *n.* 56. *cum Sayr. Villal. Diana*, *et Corn.* Et probatur 1. ex *c. Quia te. Dist.* 50. ubi, cum quidam Episcopus captus a Saracenis aliquos occiderit, ut suam libertatem defenderet, Urbanus II. ita ei respondit: *Sed quoniam non tam sponte id fecisse cognosceris, canonice nullo modo judicaris.* Item ex *c. Interfecisti*, ubi excusatur ab irregularitate qui *et se*; *et sua* defendens alium occidit, illa autem conjunctio *Et* vim habet disiunctionis, idest si se, vel sua defenderet, alias qui se, et non sua defenderet, irregularis fieret; item frustra Pontifex addidisset illud *sua*, si tantum ob sui defensionem vitaretur irregularitas. Præterea, id fortius probatur ex *c. Dilecto* 6. *de Sent. exc.* ubi, cum quidam dominus temporalis violenter invasisset bona cujusdam Decani, hic supposuit interdicto totam terram illius. Hinc cum dubium factum fuerit, an bene egisset, respondit Pontifex: *Cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittant, licuit utique ipsi Decano (si prædictus Ballivus cum bonis suis mundanis injuriose expoliare præsumserit) contra illius violentiam se defendere. Et quoniam adversus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, potuit se etiam spiritualiter, gladio utendo ecclesiastico, defensare.* Luculenter igitur hic Pontifex declarat, licite potuisse Decanum illum vi temporali sive armis tueri bona sua contra violentiam Ballivi, dicendo unicuique permissum esse, *vim. vi repellere*. Probatur 2. ratione, quia talis irregularitas non incurritur neque ex delicto, neque ex defectu lenitatis; non ex delicto, cum non adsit culpa, ut ipsi Adversarii concedunt; neque ex lenitatis defectu,

nam, ut dicetur infra ex *n.* 464. *in fin.* irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur nisi ob occisionem aut mutilationem, quæ fit vel a ministris publicis, vel a militibus in bello justo offensivo, vel a Clericis medentibus cum adustione aut incisione, juxta dicta *n.* 385. *infra ad n. V.* E converso communis est sententia DD. ex *c. Is qui de Sent. exc. in* 6. ut vidimus *n.* 345. quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa; ergo, cum in jure irregularitas ex defectu lenitatis incurratur tantum in prædictis tribus casibus, non est facienda extensio ad casum de quo loquimur; tanto magis, quia in præfatis casibus homicidium sponte committitur, licet sine culpa, sed in nostro casu homicidium non provenit ex spontanea voluntate, sed ex necessitate defendendi sua jura; ideo talis occisio (ut recte ait *Suar.*) magis habet rationem defensionis, quam occisionis. Respondetur autem ad textum oppositum in *d. c. Suscepimus*, Monachum excessisse in defensione, cum ipse una cum socio ligaverit fures, quando potuisset eos dimittere vacuos sine periculo rerum et personarum. Præterea, notat ibi *Glossa*, quod Monachus interfecit fures, nulla stante necessitate; potuisset enim fugere priusquam illi solverentur a vinculis, nam res vel jam reservatæ erant, vel secum deferre poterat; ergo defensio illa non fuit moderata.

390. Ultimo hic videndum, quomodo tollatur hujusmodi irregularitas propter homicidium contracta. Tollitur I. per Baptismum, ut colligitur ex *c. Si quis Dist.* 50. Vide *Salm. c.* 8. *n.* 15. et alios passim. II. Per dispensationem Pontificis, qui potest quidem in omni irregularitate dispensare, etiam ex homicidio voluntario, et contrariam opinionem id negantem *per-*

iniquam, *et temerariam* vocat *Barbosa Alleg.* 39, *n.* 63. Nec obstat textus in *c. Minor. ead. Dist.* 50 ubi videtur asseri, nec etiam Papam dispensare *posse* in irregularitate contracta ob homicidium; etenim communiter dicunt DD. (vide *Salm. l. c.*) illud *non posse*, intelligi pro *non decere*, ut patet ex eodem textu.

391. Episcopi autem, si homicidium fuit voluntarium, nullo modo possunt dispensare in irregularitate, etiamsi illud fuerit occultum, ut habetur in *c. Liceat.* 6. *Sess.* 24. Tridentini, ubi Episcopi possunt dispensare in omni irregularitate, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Excipitur solus casus quo vergeret periculum Animæ, aut alia gravissima causa urgeret, et non pateret aditus ad Papam, ut docent communiter *Sylv. v. Dispensatio n.* 11. *et Salm. c.* 8. *n.* 16. *in fin. cum Machado*, *Avila*, *Corn. Dian. Henr. etc.*

392. Dicunt autem *Cov. Abbas*, *Castro*, *Texeda*, *Bannez*, *Donat. Miranda*, *etc. apud Cont. Sporer in Suppl. p.* 149. *n.* 166. et probabile putat *Dian. p.* 12. *in fine libri n.* 6. *p.* 97. *art.* 2. *cum Aug. Vivald. etc. et Viva de Cens. q.* 8. *art.* 2. *n.* 7. *cum aliis*, quod si homicidium sit adeo occultum, ut nullo modo possit probari in judicio, bene possint Episcopi dispensare super irregularitate propter illud contracta. Sed hæc opinio mihi nulla valida ratione probatur, unde merito eam rejiciunt *Salm. c.* 8. *n.* 16. *Renzi de Cens. t.* 2. *q.* 10. *et Ronc. c.* 3. *q.* 1. Ratio, quia Episcopi nullam habent facultatem super irregularitatibus nisi eam, quæ ipsis conceditur a Tridentino *in c. Liceat*, 6. *Sess.* 24. cum Inferior nihil possit in lege Superioris, ex *c. Inferior*, *dist.* 21. et *Clement. Romani*, *de Elect.* A Concilio au-

tem conceditur ibi quidem Episcopis potestas dispensandi super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. sed expresse excipitur illa, *quæ oritur ex homicidio voluntario.* Nec valet dicere, Concilium loqui de homicidio illo, quod licet sit occultum, tamen in judicio probari possit. Nam primo respondetur, quod id gratis supponitur. Secundo respondetur, idem Concilium alibi in *sess.* 14. *c.* 7. expresse oppositum declarasse dicendo: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.*

393. Si vero homicidium fuerit casuale, valde probabile est posse Episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuerit occultum, cum Concilium in *d. c. Liceat*, neget Episcopis facultatem dispensandi, tantum si homicidium fuerit voluntarium, ad distinctionem casualis; ita communiter *Pal. D.* 6. *n.* 15. § 7. *num.* 7. *Bon. q.* 4. *p. ult. n.* 5. *Tourn. t.* 2. *p.* 102. *Concl.* 3. *Ronc. c.* 3. *q.* 3. *in fine*, *Diana p.* 9. *tr.* 7. *R.* 22. *et Salm. c.* 8. *n.* 43. *cum Less. Sayr. Corn. etc.* Hinc infertur, quod bene possit Episcopus dispensare I. cum eo qui mandavit famulo, ut tantum percutiat, sed ille casu occiderit, ut *Tourn. l. c. et Bon. n.* 8. *cum Suar. Mol. Fill. etc.* II. cum eo qui leviter percutere intendens, ex negligentia casu interficiat, *Bonac. n.* 7. III. cum eo qui percutiendo prægnantem, casu efficit, ut eveniat abortus, *Tourn. loc. c.* IV. cum Clerico qui exercendo chirurgiam, ex imperitia vel negligentia aliquem perimit, *Dian. p.* 9. *t.* 7. *R.* 22. *Less. et Avil.* Præterea communissime docent *Nav. c.* 27. *num.* 240.

Laym. lib. 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 12. *n.* 3. *cum Sylv. Sayr. et Henr. Barb. All.* 39. *n.* 62. *cum Mirand. Campan. Homob. etc. ac Diana p.* 9. *tr.* 7. *R.* 22. *cum Less. Avila*, et aliis, quod possunt dispensare Episcopi in irregularitate ex homicidio casuali, etiam notorio, ad suscipiendos Ordines Minores, et Beneficia simplicia; quia id jam poterant Episcopi de jure antiquo, ut docent *Abbas*, *Hostiens. Jo. Andr.* et alii *apud Laym.* *l. c.* et *Barb. n.* 59. Tridentinum autem tantum reservavit irregularitatem ex homicidio voluntario, non vero casuali publico. An vero possit Episcopus dispensare in homicidio casuali, ad recipiendum Canonicatum? Vide dicenda in simili casu *n.* 402.

394. Sed dubitatur, an reputetur casuale homicidium in repentina rixa patratum? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Diana l. c. et Salm. c.* 8. *n.* 6. *cum Machad. Philib. Henr. Rodr. etc.* Ratio, quia homicidium voluntarium proprie est illud quod per industriam et per insidias committitur, ut habetur in Trid. *c.* 7. *Sess.* 14. ubi: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari evelli debeat. Secunda* vero sententia probabilior negat, et hanc tenent *Suar. D.* 44. *sect.* 1. *n.* 3. *Nav. c.* 27. *n.* 240. *Holzm. pag.* 444. *n.* 335. *Con. p.* 488. *n.* 2. *Spor. t.* 2. *p.* 148. *n.* 251. *et* 252. *Tamb. c.* 15. §. 6. *n.* 5. *et Diana* (se revocans) *p.* 10. *tr.* 11. *R.* 19. *cum Hurt. etc.* Ratio, quia Tridentinum *l. c.* post verba supra relata, *Cum etiam per industriam, etc.* statim subdit: *Qui voluntate homicidium perpetraverit... nullo tempore premoveri possit. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, fuisse commissum narretur... jure quodammodo*

dispensatio debeatur. Qui autem in rixa occidit, jam sua voluntate, et ex proposito occidit, licet inopinata ira percitus sit, cum jam perpetret homicidium quod intendit. Nec obstant priora illa verba *per industriam et per insidias;* nam Glossa in *c.* 1. *de Homic.* illud *per industriam*, explicat, idest *non casu*; atque idem Concilium declarat intelligi, quando aliquis *sua voluntate* et *ex proposito* occidit, ad differentiam occisionis casu factæ, de qua loquitur in secunda parte.

395. Valde tamen probabile est, quod si quis incurrat irregularitatem ob homicidium occultum pro defensione propria, possit ab Episcopo dispensari, quando excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, quia, cum tale homicidium non fiat ex voluntate absoluta occidendi, non potest dici absolute voluntarium, ut loquitur Tridendinum, ita communissime *Nav. c.* 27. *n.* 239 (ubi asserit ita sensisse S. Pœnitentiariam) *Suar. D.* 46. *sect.* 1. *n.* 13. *Lavm. l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p. c.* 13. *n.* 2. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 8. *n.* 10. *Tourn. pag.* 162. *v. Hinc*, *Diana p.* 10. *tr.* 11. *R.* 19. *Croix l.* 7. *n.* 773. cum communi, *Bon. q.* 4. *p. ult. n.* 9. *cum Sayr. Val. Mol. Cor. Henr. et Avila.*

396. Prælati autem Regulares possunt dispensare cum suis subditis ab irregularitate proveniente ex homicidio occulto casuali, ut docent *Salm.* 8. *n.* 34. ex Privilegio S. Pii V. (relato in extensum ab iisdem *Salm. tract.* 6. *de Pœnit. c.* 13. *n.* 33.) Immo etiamsi crimen fuerit publicum, ut dicunt *Diana*, *Vill. Sayr. etc. apud Salm. c.* 8. *n.* 43. et etiamsi fuerit voluntarium, defendunt *Salm. ib. n.* 17. *et c.* 7. *n.* 59. *cum Peirin. Portel. Bann. etc.* ex concessione Martini V. Pauli III. et Sixti IV.

ubi concessum fuit Prælatis Regularibus dispensare in prima die lunæ Quadragesimæ in irregularitatibus, *quavis occasione*, *et causa contractæ sint*. Sed hac concessione non obstante, censeo non posse Prælatos Regulares dispensare, quando homicidium est publicum, aut voluntarium, quia in generali concessione non computantur ea quæ verisimiliter Superior non esset concessurus, ut tradunt communiter *Suar. D.* 21. *sect.* 3. *n.* 3. *Bon. q.* 3. *p.* 1. *n.* 12. *et Salm. de Cens. c.* 2. *n.* 41. *cum Ugol. Candido*, ac aliis passim, et patet ex *c. In generali. Reg.* 82. *de Reg. Jur.* in 6. Præterquamquod Benedictus XIII. (ut vidimus *n.* 101.) expresse declaravit, quod *solus Generalis Ordinis possit dispensare* (in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario), *dummodo non fuerit appensatum*, *et intra claustra extiterit consummatum*. Unde, etiamsi concessio illa omnibus prælatis Regularibus facta, esset vera, videtur a Benedicto omnino revocata, vel limitata pro solo Generali. Quoad Sæculares vero possunt Confessarii Regulares eos dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi cum subditis suis, ex Privilegio Sixti IV. et Julii II. ut notavimus *n.* 355. Hinc bene possunt dispensare cum Laicis in irregularitate contracta ob mutilationem, vel ob homicidium casuale occultum, prout possunt Episcopi cum suis, ut vidimus *n.* 381. *et n.* 393.

DUBIUM V.

Quæ Irregularitates ex defectu?

397. Prima *ex defectu* Animæ. *Hinc sunt irregulares I.* Amentes, Dæmoniaci, Epileptici.
398. *Distinctius agitur de Amentibus.*
399. *De* Epilepticis, *et* Dæmoniacis.
400. *Quis possit dispensare in hac irregularitate? Et an Episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu? An saltem in dubio? An Prælati Regulares?*
401. *II. Sunt irregulares* illitterati?
402. *III. Neophyti.*
403. Secunda *ex defectu* Corporis; *vel quia defectus impedit exercitium Ordinis, vel quia affert deformitatem.*
404. *Et primo* ob impedimentum exercitii *est irregularis. I.* Cæcus.
405. *II.* Surdus.
406. *III.* Mutus.
407. *IV.* Claudus.
408. *V. Qui caret manu aut digitis omnibus, aut pollice, aut indice.*
409. *VI. Laborans febri, paralysi, etc. item abstemius etc.*
410. *Secundo* ob deformitatem *est irregularis, I. ille cui deest membrum, nempe nasus, aut oculus. Quid si desint auriculæ?*
411. *II.* Leprosus.
412. *III.* Monstruosus, *nempe gibbosus, pigmæus, æthiops.*
413. *Not.* 1. *quid si defectus superveniat Ordinibus? Not* 2. *Quid si antecesserit.*
414. *Quis possit in hac irregularitate dispensa-*

re? An Papa cum cæco? An Prælati regulares?

415. *Quid si defectus corporis advenerit ex propria culpa? Et an in eo possit dispensare Episcopus?*

416. *Quid de Eunucho.*

417. *Quid si quis causam dederit abscissioni virilium.*

418. *Quid si quis amputet sibi testiculos ob vocem servandam.*

419. *Et quid si quis tantum attentet se occidere, etc.*

420. Tertia *ex defectu* Natalium.

421. *Illegitimi legitimantur I. Per Matrimonium subsequens.*

422. *An sufficiat quod Matrimonium fieri potuisset tempore nativitatis?*

423. *Not.* 1. *Quid si matrimonium fiat post quam filius est ordinatus? Not.* 2. *Quid si Matrimonium non consummetur?*

424. *Not.* 3. *Quid si Matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte?*

425. *Not.* 4. *Quid si filii nascantur ex Matrimonio clandestino ob omissas denunciationes?*

426. *II. Legitimantur filii per* Professionem Religiosam.

427. *III. Per* Dispensationem Pontificiam.

428. *Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad Ordines Minores, et ad Beneficium simplex.*

429. *Dub.* 1. *An ad recipiendum Canonicatum.*

430. *Dub.* 2. *An cum illegitimo occulto.*

431. *Dub.* 3. *An saltem ad ministrandum in Sacris Ordinibus jam susceptis?*

432. *Dub.* 4. *An filii* Expositi *sint irregulares?*

433. *Principes sæculares possunt legitimare tan-*

tum ad sæcularia. Quid in dubio, an quis sit legitimus?

434. Quarta *ex defectu* Ætatis.

435. Quinta *ex defectu* Sacramenti, *idest ob Bigamiam. Vide quæ sunt apud Busemb.*

436. *Triplex est Bigamia*, Vera, Interpretativa, *et* Similitudinaria. *I. Quænam sit* Vera?

437. *II. Quæ* Interpretativa? *Hæc contingit quatuor modis.* Primus *modus, cum quis ducit viduam.*

438. Secundus *modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio.*

439. *Dub. 1. Quid si credat virginem?*

440. *Dub. 2. Quid si invalide contrahat?*

441. Tertius *modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram.*

442. *Dub. 1. Quid si adulterium fuerit occultum?*

443. *Dub. 2. Quid si cognoscit ignorans adulterium?*

444. Quartus *modus, cum quis contrahit duo Matrimonia, unum validum, aliud nullum.*

445. *Dub. 1. Quid si utrumque fuerit nullum?*

446. *Dub. 2. Quid si cum bona fide?*

447. *Dub. 3. Quid si ficte ineatur secundum Matrimonium?*

448. *III. Quidnam sit Bigamia* Similitudinaria?

449. *An hanc irregularitatem incurrant etiam Clerici in Sacris?*

450. *Quomodo tollatur irregularitas ex Bigamia? An Papa possit in ea dispensare?*

451. *An Episcopi?*

452. *An saltem quoad Ordines Minores, et ad Beneficia simplicia? An in Bigamia Similitudinaria?*

453. *An Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in omni Bigamia?*

454. Sexta *ex defectu* Infamiæ.

455. Septima *ex defectu* Libertatis. *Hinc sunt irregulares I. Servi.*

356. *II. Conjugati. III. Curiales. IV. Milites, et Administratores publici, atque exercentes sæva, aut turpia.*

457. Octava *ex defectu* Lenitatis.

458. *An sit irregularis qui occidit in defensionem honoris? (Vide etiam dicta n. 389.).*

459. *Fiunt irregulares ex hoc defectu I. Qui occidunt in bello; sed quando?*

460. *An qui hortantur in bello ad occidendum?*

461. *II. Qui in Judicio concurrunt ad mortem, vel mutilationem. Modo ipsi I.* Cooperentur.

462. *II.* Active.

463. *III.* Efficaciter. *An peccent Clerici assistentes supplicio?*

464. *IV.* Proxime. *An peccet Confessarius, vel alius consultus a Judice, respondens aliquem in particulari esse plectendum?*

465. *Qui possunt excusari? An omnes qui non concurrunt ut ministri ad causæ probationem, vel executionem?*

466. *V.* Per actionem ex natura sua ad id ordinatam.

467. *Quomodo vetitum sit Clericis, et Monachis se intromittere in causam sanguinis?*

468. *Fiunt autem irregulares I. Judices. II. Testes voluntarii. III. Accusatores, etc. Quid si accuset Clericus? et quid si causa sit propria, vel aliena?*

469. *An in hac irregularitate possit dispensare Episcopus, si fuerit occulta? An Prælati Regulares?*

470. *Adnotantur ultimo Facultates quas habet S. Pœnitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis etc.*

397. » REsp. *Prima*, ex defectu *Animæ*, » ex quo irregulares sunt I. Amentes, phrænetici, arreptitii, et epileptici, qui tamen, si » ordinati sunt, et intra annum eo morbo non » laborarunt, præsumuntur liberati, et permittuntur ad Ordinum exercitium. Si vero laborent raro, et quidem sine clamore, et spuma, permittuntur celebrare cum coadjutore, » qui, deficientibus ipsis, suppleat sacrificium. » *M. Leo p.* 372. *ex c. illud* 7. *q.* 1. *Glossa* » *ibid.*

398. Loquendo de *amentibus*, distinguendum, si tali defectu laborans jam ordinatus est, tunc omnino, cessato defectu per diuturnum tempus ex judicio Episcopi (vel Prælati, si est Regularis) poterit in ordines susceptos ministrare; ita *Nav. c.* 27. *n.* 203. *Suar. D.* 61. *sect.* 1. *n.* 4. *et* 5. *cum Sylv. Gratian. et S. Anton. Bon. d.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 1. *Pal. D.* 6. *p.* 10. *n.* 4. *Croix l.* 7. *n.* 494. *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 30. *et Salm. c.* 9. *n.* 79. *cum Avila, Pelliz. etc.* Si vero non est ordinatus, numquam poterit Ordines suscipere, si amentia ortum habuerit ex causa permanente et habituali, fundata (ut ait *Suar.*) in læsione organorum, vel humorum, quia ita laborantes facile relabuntur in eumdem morbum, ut habetur in *c. Maritum* 2. *Dist.* 33. ubi dicitur: *Non ordinandum.... qui in furiam aliquando versus insanivit.* Unde sufficit semel insanisse, quia talis raro præsumitur perfecte sanus. Secus tamen si amentia provenerit ex accidente, puta ex vi fe-

bris, vulneris, iræ, aut alterius passionis transeuntis, et postea vere cesset; ita *Suar. l. c. n.* 5. *Nav. c.* 27. *n.* 203. *Ronc. c. ult. q.* 7. *Croix l. c. et Bon. p.* 2. *n.* 23. *cum Mol. Fil. Ugol. Avila*, *etc.* communiter.

399. Idem quod dictum est de amentibus, dicitur de *epilepticis* (sive lunaticis), et *dæmoniacis*; nam si morbus antecedat Ordinationem, sunt hi perpetuo irregulares; ita *Suar. D.* 51. *sect.* 1. *n.* 6. *Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 22. *Croix l.* 7. *n.* 495. *Ronc. c. ult. q.* 7. et alii passim. Et patet ex tota Distinct. 33. et præsertim ex *c. Communiter*, ubi dicitur: *Communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel audeant ministrare, vel se ingerant; exceptis qui corporis incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus, in terra probantur elisi*: idest (ut explicat ibi *Glossa*), *qui raro cadunt.* Dicunt autem *Cabass. T. I. l.* 5. *c.* 19. *n.* 8. *et Tourn. p.* 31. *v.* 3. quod si quis ante pubertatem hoc morbo affectus fuerit, et postea perfecte liberetur, non censetur irregularis, quia (ut ait Hipocrates) epilepsia sæpe in pubertate perfecte curatur. Secus si morbus accidat post pubertatem, et præsertim post 25. annum. Asserit tamen *Croix d. n.* 495. praxim in suis partibus habere, quod qui per biennium liberi fuerint ab hac infirmitate, accedente declaratione Episcopi; ordinantur; immo sine declaratione, si quis per septem annos liberatus probetur. Si vero tali morbo laborans jam ordinatus sit, licet non omnino sit liber, si tamen raro (id est semel in mense) cadat, nec spumet, poterit privatim celebrare, adjuncto Sacerdote jejuno qui Missam perficiat adveniente morbo: ita com-

muniter *Suar. D. n.* 6. *Croix l. c. cum Nav. et Laym. ac Bon. num.* 22. *cum S. Antonin. Sayr. Ugol. etc.* Et patet ex *cit. c. Communiter.* Ibi: *Qui* (id est Epileptici), *et ipsi* (id est obsessi) *tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonis liberati.* Illud autem *anni spatio*, dicit *Suar. n.* 5. non esse in usu, sed relinqui prudentis arbitrio. Notat autem *Mazzot. to.* 4. *pag.* 446. *cum Sayr. Ugol.* et aliis, quod si quis dæmoniacum se simulaverit, hic etiam sit irregularis ad Ordines suscipiendos, ex Concilio Constant. VI. Can. 6. dicit tamen cum eod. *Sayr. et Fill.* quod Episcopus potest promovere dæmoniacum ad Ordines minores, quia in *c. Cler.* 4. *dist.* 33. fit sermo tantum de Ordine Sacro; sed probabilius hoc negant alii communissime; vide infra *n.* 452.

400. In hac autem irregularitate propter defectum Animæ, durante defectu, nec etiam Papa dispensare potest, quia illo laborantes sunt de jure divino inhabiles tam ad suscipiendum, quam ad exercendum Ordinem. Cessante vero defectu, si cesset ante Ordinationem, non possunt in eo dispensare Episcopi, quia nulla Episcopis conceditur Dispensatio in irregularitatibus ex defectu provenientibus nisi in duobus casibus, notat *Cabass. l.* 5. *c.* 19. *n.* 3. scilicet 1. ut possint dispensare natalia illegitimorum ad solos Ordines Minores, et ad simplex Beneficium, ex *c.* 1. *de Fil. Presb. in* 6. Et 2. idem posse cum bigamo ex consuetudine, docent *S. Thom. Sylv. Azor. Rota Rom. et alii apud Cab. l. c.* contra *Tourn. p.* 116. *cum Pont. etc.* Sed vide *num.* 45 Ceterum *Fagn. in c. Veniens. de Fil. Presb.* 7. *n. et* 8. *et Tourn. cum Gib.* et aliis di-

cunt posse Episcopos dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis, argum. *ex c. Nuper*, 29. ubi dicitur permissum quicquid non est reservatum; cum autem reservatio sit odiosa, non censetur facta, ubi impedimentum, sive irregularitas non est certa. Ad tollendam igitur irregularitatem certo contractam ex defectu Animæ, requiritur Dispensatio Pontificis, ut docent *Bonac. p.* 2. *n.* 23. *Pal. D.* 6. *p.* 10. *num.* 5. *Salm. c.* 9. *n.* 8. *et Suar. D.* 51. *s.* 1. *n.* 5. contra *Majol.* et *Tab. apud Bon.* Prælati tamen Regulares bene possunt dispensare cum suis subditis tali defectu laborantibus, ut ad Ordines Sacros promoveantur, etiamsi quis passus fuerit permanentem amentiam, si ex judicio Medicorum vere cessaverit illius periculum, quia Regularibus ex privilegio concessum est dispensare cum suis in omnibus irregularitatibus, exceptis aliquibus, ut diximus *n.* 355. inter quas non est hæc; *Salm. c.* 9. *n.* 80. juxta ab iisdem dicta *c.* 7. *n.* 59.

401. » II. Illitterati qui non habent doctri-
» nam necessariam pro Ordinibus * (*An autem*
» *omnino illitterati sint irregulares, tam ad Or-*
» *dines suscipiendos, quam ad exercendos?*
» *Vide dicta l.* 6. *n.* 791. *Q. II. Quid vero*
» *de Regularibus? Vide ibid. Q. III.*) *.

402. » III. Neophyti, seu recenter conver-
» si, usque dum judicio Episcopi sufficienter
» instructi sint * (*Putat autem Tolet. apud Vi-*
» *vam de Cens. q.* 9. *a.* 4. *n.* 14. *post decen-*
» *nium neophytum non esse amplius irregula-*
» *rem, immo antea, si Episcopus judicet illum*
» *bene moribus profecisse*) *.

403. » *Secunda*, ex defectu *corporis*, 1. Si
» propter eum ineptus est ad exercitium Ordi-
» nis, ut si sit cæcus, surdus, claudus, ita

» ut sine baculo nequeat ire ad altare : item, » si careat manu, pollice, indice, oculo (non » tamen si ungula pollicis, vel indicis, vel » oculo dextero tantum ; si vero sinistro, seu » canonico, aut ejus vi visiva careat, indiget » dispensatione: quod tamen negat *Valent. Henr.* » *Sayr.* si quidem dextero possit absque defor- » mitate legere Canonem). 2. Si Ordinem ne- » quit exercere sine horrore, offensione, aut » scandalo aliorum, ut si careat auribus, na- » so, si notabiliter sit gibbosus, leprosus, pa- » ralyticus, si membra habeat superflua cum » magna deformitate : in dubio vero, an de- » formitas sit sufficiens, Episcopi est judicare, » saltem in clericis, nam in Regularibus id spe- » ctare ad eorum Prælatum, contra *Barb.* etc. » docent *Suar.* et alii 5. cum *Diana p.* 4. *t.* » 2. *R.* 63. licet concedant Episcopum posse reji- » cere arbitrium Prælati: hunc autem, si gau- » deat auctoritate quasi Episcopali, posse in » illa irregularitate dispensare, nisi deformitas » sit tanta, ut scandalum generet, *ib. ex Ro-* » *dr.* et aliis 4. Vide *Bonac. Laym. M. Leo* » *p.* 3. *f.* 370.

Unde resolves.

» 1. Non videtur irregularis. 1. Qui habet » sex digitos, vel aliquos conjunctos, si non » sit magna deformitas, et Ordinem exercere » possit. 2. Qui habet in oculo maculam vi- » sum non auferentem, nec notabiliter defor- » mantem. 3. Qui caret ungula pollicis, si pos- » sit hostiam elevare, et frangere. 4. Qui per » vim, aut infirmitatem factus est eunuchus.

» 2. Irregularis est 1. hermaphroditus, quia est » monstruosus. 2, Gigas, Pigmæus, Æthiops ;

» non tamen inter suos, sed alienos, ubi dis-
» paritas ludibrio est ».

404. Opus est singula latius discutere. Ex duplici capite incurritur irregularitas ex vitio corporis, vel quia impedit congruum exercitium Ordinis, vel quia affert notabilem indecentiam aut horrorem; ita communiter DD. cum D. Thoma *Suppl. q.* 39. *n.* 6. Hinc primo ob impedimentum exercitii irregularis est I. *Cæcus*, qui omnino visu caret ex *c. ult. Dist.* 55. Sed notandum 1. quod si quis jam sit Sacerdos, et constet non posse errare, poterit a Pontifice obtinere Dispensationem; vide dicta *l.* 6. *num.* 390. Not. 2. Si alicui deest visus oculi dexteri, non est irregularis, ut communiter omnes; secus si sinistri, ut communissime docent *Bus.* cum aliis supra, et *Suar. D.* 51. *s.* 3. *n.* 15. *Laym. l.* 1. *tr.* 6. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 2. *Ronc. q.* 6. *R.* 2. *Croix l.* 7. *n.* 500. *Tourn. t.* 2. *p.* 39. *infra n.* 5. *et Salm. c.* 9. *n.* 68. *cum Nav. Fil. etc.* Excipitur, nisi oculus dexter esset aptus ab Canonem legendum sine magna deformitate, cui facillime occurri potest per accommodationem Missalis, illud in medium afferendo, ut dicunt *Laym. l. c. Tamb. de Irr. c.* 8. §. 1. *n.* 2. *Diana p.* 3. *tr.* 6. *R.* 22. *et Croix l.* 7. *n.* 500. *cum Nav. Mol. Sa, Avil. Dicast. etc.* Idque vocat *Suar. l. c.* practice probabile, etiam ut quis possit ad Sacerdotium promoveri. Not. 3. Si quis non sit omnino cæcus, sed ita cæcutiens, ut non possit legere in Missali, hic etiam est irregularis ad Ordines suscipiendos. Utrum autem ad eos exercendos? Vide *l.* 6. *n.* 390 Not. 4. Non est irregularis qui est debilis visu, ita ut indigeat perspicillis, vel qui ex obliquo intuetur (vulgo vocatur *Guercio*); ita communiter *Holzm. t.* 1.

p. 419. *n.* 364. *Tourn. p.* 40. *n.* 2. *Mazz. t.* 4. *p.* 456. *et Tamb.* §. 1. *n.* 3. *cum Sayr. Fill. Menochio*, et aliis.

405. II. *Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audit, ut communissime *Bon. q.* 2. *p.* 2. *n.* 7. *Tourn. p.* 39. *Ronc. q.* 6. *R.* 2. *Croix l.* 7. *n.* 502. *Elb. t.* 2. *p.* 477. *n.* 218. *Mazz. p.* 456. *et Tamb. c.* 8. §. 1. *n.* 5. *cum Suar. et Turr. et Pal. D.* 6. *p* 11. *n.* 3. *cum Laym. et Sayr.* ex Can. 7. Apostolorum, ubi id definitum habetur; quia talis Sacerdos, cum non possit audire vocem Ministri, nequit sine indecentia celebrare. Hanc indecentiam negant *Henr. Præp. et Gob. apud Croix l. c.* quia (ut ajunt) satis est, ut Sacerdos percipiat ex aliis signis Ministrum respondisse; sed communissime (ut diximus) DD. his contradicunt. Concedunt vero *Bon. l. c. Tamb. n.* 6. *Conc. p.* 496. *n.* 5. *Pal. d. n.* 3. *cum Nav. et Laym. ac Salm. c.* 9. *n.* 67. *cum Con. et Pellis.* quod si surditas superveniat Sacerdotio suscepto, non interdicitur Sacerdoti celebratio; facilius enim toleratur defectus superveniens in promoto, quam in promovendo, prout de cæcutiente dictum est *l.* 6. *n.* 390. Communiter autem docent DD. contra *Comitol. apud Croix num.* 502. surdastrum, sive difficulter audientem, minime esse irregularem; ita *Tourn. l. c. Holz. p.* 416. *n.* 363. *Tamb. l. c. et Croix ib. cum Suar. Bon. Sayr. Reg. Fill. Diana, Graff. etc.*

406. III. *Mutus*, qui non possit loqui, aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronunciare, quin aliquid omittat, ut *Tourn. p.* 29. *n.* 3. *Holz. p.* 419. *n.* 363. *Viva q.* 9. *ar.* 4. *n.* 15. vel nisi cum magna difficultate, ut addunt *Salm. c.* 9. *n.* 67. Et idem dicit *Holz. l. c.* de eo qui loquelam pe-

nitus præcipitem habet. Blæsi vero sive balbutientes, aut carentes dentibus non sunt irregulares, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferant, ut ait *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 2222. nisi afferant causam risus, aut contemptus, *Nav. c.* 27. *n.* 222. *et Tamb.* §. 1. *n.* 10. *cum Con. Sayr. Fill. Præpos. etc.*

407. IV. *Claudus*, qui sine baculo nequit ire ad altare, ut habetur in *c. Nullus Episcopus.* 57. *de Cons. Dist.* 1. Hoc tamen intelligitur, ut explicat *Glossa ib. v. Cum baculo*, idest: *Sine baculo non possit substentari in altari*; et idem dicunt *Bon. q.* 2. *p.* 2. *n.* 15. *et Pal. D.* 6. *p.* 11. *n.* 3. Ceterum claudus, qui non indiget baculo, minime est irregularis, ut dicitur in *c. Si quis* 19. *Dist.* 55. Sicut nec etiam qui habet crura distorta, ut *Tourn. p.* 41. *Salm. c.* 9. *n.* 68. *et Croix n.* 504. *cum Pal. Laym. et Henr.* quia talis defectus veste talari facile tegi potest; sicus si in hoc magna adesset deformitas. Si quis vero est instructus pede ligneo, quia habet pedem mutilum, vel aridum, hic est irregularis; ita *Laym. c.* 7. *n.* 4. *Nav. c.* 27. *n.* 199. *Tourn. p.* 41. *Tamb.* §. 1. *n.* 17. *Bon. n.* 13. *cum Molyn. Sayr. Ugol. Fill. Reg. etc.* eo quod celebrare cum pede ligneo magnam habet indecentiam. Dicit tamen *Tamb. l. c. cum Syl. Rosel. Majol. et Gibal.* quod si talis defectus sit modicus, et aliquo modo indecentia reparari valet, permitti posset celebratio. Et in dubio standum judicio Episcopi.

408. V. Qui caret manu, aut diligitis omnibus, aut pollice, ut habetur in *c. ult. de Corpore vitiato.* Idem dicunt cum *Bus.* ut supra *Renzi t.* 2. *p.* 671. *q.* 3. *Tamb.* §. 1. *n.* 12. *Fill. c.* 6. *n.* 132. *Bon. p.* 2. *n.* 15. *cum Suar.*

Mol. Sayr. Avil. Reg. et aliis, de eo qui caret indice, vel parte pollicis aut indicis, vel qui habet eos ita debiles, ut nequeat hostiam elevare, aut frangere. Secus si quis careat ungue pollicis, vel indicis, ut dicitur in dicto *c. ult.* Si quis autem jam fuerit ordinatus, et habet pollicem impeditum, in casu necessitatis probabiliter posset Eucharistiam ministrare posterioribus digitis, ut diximus *l.* 6. *n.* 244. Si quis caret tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis; *Anacl. p.* 515. *num.* 18. *et Tourn. p.* 39. *cum Sayr. et Ugol.* Si vero caret uno tantum digito minori, non est irregularis, ut *Holzm. p.* 420. *n.* 364. et *Tourn. p.* 39. *cum Caj.* et *Pont.* et idem sentit *Tourn.* cum alio Auctore si caret duobus. Nec pariter est irregularis qui habet sex digitos; *Holz. l. c. Tourn. p.* 4. *n.* 6. *Fill. n.* 175. *et Bon. n.* 11. *cum Ugol. Henr. Sayr. Reg.* etc. modo sextus digitus usum aliorum non impediat. Sextus autem ille digitus bene potest abscindi sine periculo irregularitatis, si possit fieri sine periculo vitæ; *Bonac. l. c.* cum eisdem. Notat autem *Tourn. p.* 39. quod si quis careat indice, poterit obtinere dispensationem.

409. VI. Laborans febri continua, non autem quartana, aut levi; aut qui patitur gravem dolorem capitis; *Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 17. Hoc tamen intelligendum de eo, qui non posset celebrare ob talem morbum sine proximo periculo deficiendi, vel notabiliter errandi, ut innuit idem *Bon. n.* 18. nam optimam in hoc tradit regulam *Laym. c.* 7. *n.* 6. *cum Soto, Tol. Avila*, et aliis, quemcumque morbum non inducere irregularitatem, nisi vel exercitium Ordinis impediat, vel notabile scanda-

lum sive indecentiam afferat. Item irregularis est qui laborat paralysi, ut cum *Busemb. Pal. n.* 3. *et Conc. p.* 496. *n.* 4. qui bene ait id intelligi tantum de eo qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi Calicem. Item qui tantum patitur tussim, ut sit periculum in suscipienda Eucharistia; *Bon. p.* 1. *n.* 21. *cum Ugol. Majol.* etc. communiter. Item abstemius qui vinum nequit sumere nisi cum periculo evomendi; *Tourn. p.* 39. etc. *Conc. l. c.* hic enim esset irregularis de jure divino; nec enim Papa dispensare potest, ut Sacrum celebretur in una sola specie, ut diximus *l.* 6. *num.* 196.

410. Secundo incurritur irregularitas ex defectu corporis, quando corporis vitium magnam affert deformitatem sive horrorem, ut habetur ex *c Presbyterum*, *de Cler. ægrot.* et alias *de corp. vit.* Hinc ratione deformationis sunt irregulares I. Ii quibus deest aliquod membrum, nempe qui carent naso, ut in *cap. penult. de corp. vit.* vel habent nimis deformem, nempe valde distortum, aut valde demissum, aut promissum, ut *Tamb. cap.* 8. §. 1. *n.* 19. *Bon. p.* 1. *n.* 2. *et Viva q.* 9. *art.* 4. *n.* 15. Item si alicui est erutus oculus, sive dexter, sive sinister, ut in *c. ult. Dist.* 55. Probabiliter vero dicunt *Sylv. apud Croix lib.* 7. *n.* 500. *in fine*, *Tourn. t.* 2. *p.* 40. *cum Pontas*, *Ronc.* 6. *R.* 2. *cum Tamb.* et alii, hunc non esse irregularem, si deformitas illa reparari possit per oculum vitreum. Sic pariter etiam est irregularis qui caret auriculis, nisi talis defectus capillis aut aliter tegatur, ut dicunt cum *Busem. Salm. c.* 9. *n.* 68. *Tamb.* §. 1. *n.* 8. *Renzi t.* 2. *p.* 670. *q.* 2. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 73. *Bal. D.* 6. *p.* 11. *n.* 3. *cum Laym.*

et Bon. ac Tourn. pag. 40. *cum Con. Avila, et Pontas.*

411. II. Leprosi, ut habetur in *c. Tua nos, de Cler. ægrot.* ubi interdicitur leproso celebrare *pro scandalo, et abominatione populi;* unde si abesset scandalum, ut in loco privato, bene hic posset celebrare; ita *Pal. de Euch. p.* 13. *n.* 5. *Salm. eod. tit. c.* 7. *n.* 57. *et Bon. de Irr. D.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 20. *cum Mol. Ugol. et Majolo.* Sic pariter sunt irregulares qui habent labia corrosa, vel abscissa ad instar leporis; *Tamb.* §. 2. *n.* 11. *Tourn. p.* 40. *Viva q.* 9. *art.* 4. *n.* 15. Idem dicunt *Tourn. p.* 41. *v. Quod, et Holzm. p.* 419. *n.* 363. de eo qui laborat morbo gallico, qui foris appareat: aut qui habet faciem ex alio morbo valde maculatam, ut *Laym. c.* 7. *n.* 1.

412. III. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valde enormem, nimirum (ut docent *Anacl. p.* 515. *n.* 32. *Renzi p.* 671. *q.* 4. *et Bon. p.* 1. *n.* 9. *cum Avil. Mol. Ugol. Reg.* et aliis) si gibbositas vel sit conjuncta cum nimia deformitate vel debilitate, prout si nequeat recto capite stare. Item pigmæi, sive nani, nempe ita breves statura, ut ad risum moveant, præsertim si habeant caput valde ingens, ut *Tamb.* §. 1. *n.* 2. *Tourn. p.* 4. *n.* 7. *et Renzi p.* 672. *q.* 5. *cum Sayr. Majol. Henr.* et aliis; vel (ut ait *Laym. in Indice, v. Irregularis*) illi qui ita statura parvi sunt, ut brachia extendere non possint, quatenus necesse est ad altaris ministerium. Item Æthiopes, qui apud nos risum afferrent, ut *Tourn. l. c. et Ugol de Irr. c.* 50. *n.* 4. Quamvis hoc negat *Majol. et Gavant. apud Tamb.* §. 1. *n.* 24. Color autem subfuscus, sive rubens non nocet altari, ut idem *Ugol. Fill. c.* 6. *n.* 171. *et Tamb. n.* 22. *cum Ma-*

jol. Item herma phroditi, etiamsi in eis prævaleat sexus virilis, ut *Suar. D.* 51. *s.* 2. *n.* 2. *Laym. c.* 7. *n.* 1. *Nav. c.* 27. *n.* 203. *Bon. p.* 1. *n.* 15. Dicunt tamen *Tolet. l.* 1. *c.* 63. *n.* 6. *et Escob. l.* 53. *n.* 209. *cum Corn.* contra *Conc. p.* 497. *n.* 5.) quod hic defectus tunc parit irregularitatem, quando est notus, non vero quando est occultus.

413. Super his notandum 1. quod si aliquis ex præfatis defectibus corporis superveniat Ordinibus jam susceptis, Sacerdos non impeditur ab actibus illius Ordinis, quos potest exercere sine incongruitate et indecentia, ita ut Sacerdos cæcus aut claudus bene potest excipere Confessiones, canere Evangelium, etc. ex *c.* 7. *de Cler. ægrot.* ubi: *ipsum autem fungi ceteris Sacerdotalibus officiis minime prohibemus.* Notandum 2. quod si vero talis defectus ante Ordines adveniet, absolute inducit irregularitatem, non solum ad illum Ordinem, cujus exercitium impedit, sed ad omnes alios, ut communiter docent *Nav. c.* 27. *n.* 200. *Bon. p.* 2. *n.* 18. *Escob. l.* 53. *n.* 216. *Pal. p.* 10. *n.* 4. *Salm. c.* 8. *n.* 72. *in fin. cum Corn. et Pell. ac Cabassut. l.* 5. *c.* 19. *n.* 15. *cum Ang. Ugol. et Avil.* contra *Palud.* et alios, Ratio, quia, cum omnes Ordines Sacerdotium respiciant, exclusus a Sacerdotio, censetur etiam ab omnibus Ordinibus repulsus.

414. In hac autem irregularitate proveniente ex defectu solus Papa potest dispensare, v. gr. ut cæcus ordinetur: Feruntque *Fill. Henr. et Majol. apud Tamb. c.* 8. §. 3. *n.* 2. quemdam Papam dispensasse cum cæco, ut adhibito adjutore perito celebraret * (*Ceterum S. C. ut refert P. Zach. Adn. ad Croix lib.* 7. *n.* 500. *censuit bene posse dispensari cum cæco*, etiam

ex utroque oculo, qui jam sit Sacerdos, ut celebret, cum assistentia alterius Sacerdotis. Secus vero, si laicus, pro quo dicit non esse consulendum Pontificem pro dispensatione ad Primam Tonsuram, nec etiam ad recipiendum Beneficium simplex) *. Censet pariter *Tamb.* posse Papam dispensare ad Sacerdotium cum eo qui caret manibus; ut possit saltem excipere Confessiones, conciones habere, etc. Sed verius hoc negat *Avil. de Cens. p.* 7. *D.* 3. *d.* 3. quia potestas supra Corpus Mysticum fundatur in potestate supra Corpus Reale Christi, unde qui ineptus est ad primam, incapax est secundæ. Prælati autem Regulares bene etiam possunt dispensare in hujusmodi irregularitate, non autem Episcopi (ut diximus *n.* 400.) qui tantum in dubio, an defectus corporis notabiliter impediat exercitium Ordinis, vel an magnam afferat indecentiam, possunt declarare, sive judicare, ut communiter docent *Suar. D.* 51. *s.* 2. *n.* 16. *cum Nav. et Sylv. Laym. c.* 7. *n.* 7. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 73. *cum Miranda* et aliis, ex *c.* 2. *de Corp. vit.* An autem Prælati Regulares possint de hoc judicare respectu ad suos subditos? Negant *Barb. All.* 42. *num. ult. et Dian. p.* 2. *tr.* 6. *R.* 61. *cum Rodr. Henr. et Camp.* Sed valde probabiliter affirmant *Bus.* ut supra *n.* 402. *Suar. l. c. Laym. n.* 6. *Salm. cap.* 9. *n.* 68. *cum Avil. et Pell.* et probabile putat *Diana l. cit. R.* 73. *cum Peyr. Miranda, et Avila.* Ratio, quia Prælati Regulares respectu ad suos habent jurisdictionem Episcopalem, ad quam tale judicium magis pertinet, quam ad characterem. Recte vero ait *Suar.* posse Episcopum ordinantem admittere, vel rejicere talem Ordinandum.

415. Quæ autem dicta sunt, spectant ad eos

qui laborant aliquo corporis defectu sine propria culpa ; si vero defectus advenit ex eorum culpa , puta si quis membrum , vel ejus partem sibi amputaret ex prava intentione , ipsi fiunt irregulares , etiamsi defectus non impediat exercitium Ordinis , nec deformitatem afferat, quia irregularitas hæc imposita est in pœnam sævitiei in semetipsum , unde in *c. Qui p.* 6. *Dist.* 55. ut diximus *n.* 365. *in fin.* declaratur irregularis , *qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscindit.* Ad hanc tamen irregularitatem incurrendam requiritur culpa gravis , ut bene ait *Tamb. c.* 8. §. 2. *n.* 3. Alias tanta pœna non haberet debitam cum culpa proportionem. Alii præterea requirunt, ut tale crimen sit notorium, ut *Suar. D.* 51. *sess.* 1. *n.* 8. *Bon. q.* 2. *p.* 2. *et alii apud Tamb. n.* 8. Sed verius hoc negant *Pal. D.* 6. *p.* 12. *n.* 2. *Salm. c.* 8. *n.* 71. *cum Garc. et Tamb. l. c. cum Sayr. et Mol.* quia talis irregularitas non innititur notorietati culpæ , sed crimini sævitiei , quam quis in seipsum exercet. Recte tamen ait *Tamb. n.* 9. quod Episcopus ex *c. Liceat* 6. Tridentini *Sess.* 24. poterit cum illo dispensare , si crimen sit occultum , adhuc si defectus membri sit patens , nam Concilium universe concedit Episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

416. Quid dicendum de Eunucho? Resp. Qui est eunuchus propter abscissionem virilium, aut testiculorum , factam a Medicis causa morbi , vel ante usum rationis , vel propter injuriam alterius , hic non est irregularis, ut communiter cum *Busem.* dicunt *Salm. c.* 7. *n.* 70. *in fin. et Tamb.* §. 2. *n.* 11. idemque patet ex *cap. Si quis a Medicis* 7. *et c.* 8. *ac* 9. *D.* 55. Ridiculus autem (ait *Nav. cap.* 27. *n.* 200,)

est error illorum qui putant opus esse, ut testiculos desiccatos secum gestet is qui vult ordinari, aut celebrare. E converso qui ex ira aut zelo indiscreto servandæ castitatis abscindit sibi virilia, aut testiculos, certe fit irregularis, ut habetur in *c. Si quis* 4. *Dist.* 55. ubi dicitur *Si quis abscindit semetipsum, idest si amputavit sibi virilia, non fiat Clericus.* Et in *c. Hi qui* 5. *ead. Dist.* ibi: *Hi qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt.* Item in *c. si quis* 7. *ib.* dicitur, *nullum debere promoveri de his qui hanc affectant, audentque semetipsos abscindere.* Et idem communiter docent DD. de eo qui propter eadem motiva permittit ab alio amputari, ut dicunt *Tamb. n.* 13. *et Salm. n.* 69. utque infertur ex *c. Si quis* 9. *D.* 55.

417. Quid vero si quis causam dederit tali abscissioni, sed absque suo consensu, prout cum aliquis, accedendo ad conjugatam, dat causam, ut a Marito virilia sibi abscindantur? *Suar. D.* 51. *s.* 2. *n.* 8. *et Bon. q.* 2. *p.* 2. *n.* 33. censet hunc esse irregularem. Sed valde probabiliter negat *Tamb.* §. 2. *n.* 15. *Conc. D.* 18. *d.* 13. *n.* 108. *Gibal. c.* 3. *q.* 1. *Hurt. Diff.* 14. *n.* 52. *et Pal. p.* 12. *n.* 3. *cum Garcia, etc.* Ratio, quia (ut sæpe dictum est) irregularitas ut incurratur debet esse expressa in jure; nullibi autem habetur quod ille qui abscissioni causam dedit, et sine suo consensu abscissus est, fiat irregularis: verba enim illa textus in *c.* 5. ut supra, *rem hanc affectant*, idem significant (ut cuique patet) ac appetere sive exquirere; qui autem adulterium vult, etiamsi abscissionem præviderit, eam non appetit nec exquirit.

418. Præterea, dicunt *Pal. d. p.* 12. *n.* 14.

et probabile putant *Tamb.* §. 2. *n.* 16. *et Pelliz. apud Salm. n.* 70. (qui huic sententiæ videntur adhærere) contra *Suar. Mol. et Sayr. apud Diana p.* 10. *tr.* 13. *R.* 11. quod si quis amputet sibi testiculos, vel amputari sibi faciat ob vocem conservandam, non fit irregularis, cum id non faciat ex indignatione, aut zelo indiscreto castitatis, ut requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam, in *d. c. Qui partem* 6. et *c. Si quis* 9. *Dist.* 55. Tanto magis quod textus præfati tantum loquuntur de amputante sibi virilia, non autem testiculos.

419. Item recte ait *Tamb. d.* §. 2. *n.* 18. *et* 19. quod si quis attentet se occidere, aut mutilare, non est irregularis; illud enim *affectant* in dicto *Can. Hi qui* 5. intelligitur de consensu effectu sequuto attentationis, ut patet ex contextu. Dicit tamen idem *Tamb. n.* 20. *cum Cornejo*, quod si quis attentaret publice se occidere, contraheret irregularitatem ob infamiam.

420. » *Tertia*, ex defectu *Natalium*, ex quo » irregulares sunt omnes illigitimi, eo quod » ratione originis reputentur viles. * (*Ita ex* » *c.* 1. *et fin. de Fil. Presbyt. Et hoc etiam-* » *si sint occulti, ut communiter docent Bon.* » *D.* 7. *q.* 2. *p.* 3. *Pal. D.* 6. *p.* 9. *n.* 2. » *et Salm. c.* 9. *n.* 43. *cum Avila, Sayr.* » *Pelliz. et Cornejo*) *.

421. » Tales autem communi jure legitimantur I. Per *subsequens matrimonium* inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis » potuerint valide contrahere. * (*Unde si adul-* » *ter mortua conjuge ducat mulierem, ex qua* » *filium habuit, iste manebit illigitimus, ex c.* » *Tanta. Qui filii sint legit.*) *.

422. Valde autem probabiliter dicunt *Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 7. *n.* 19. *Pontius eod. tit.*

c. 3. *n.* 2. *Anacl. p.* 516. *n.* 33 *Bonac. p.* 3. *num.* 5. *et Salm. c.* 9. *cum Sayr. Pelliz. Diana*, *et Corn.* contra *Suar. D.* 56. *s.* 1. *n.* 3. *Tourn. t.* 2. *p.* 26. sufficere ad legitimandam prolem, et eam reddendam immunem a defectu natalium, quod Matrimonium fieri poterat tempore nativitatis, ut colligitur ex *d. c. Tanta. Qui filii sint legit*, ubi dicitur quod proles est illegitima, *si vir vivente uxore sua aliam cognoverit*, *et ex ea prolem susceperit*. Susceptio enim prolis verius non per conceptionem, sed per nativitatem: saltem ibi Pontifex certe loquitur de filio jam nato, dum ait illum *ab hereditate repellendum:* ergo, cum oppositum saltem sit dubium dubietate juris, non censetur in eo casu imposita irregularitas, quæ (ut sæpe repetitum est) non incurritur, nisi in jure sit expressa. Et novissime Bened. XIV. hanc sententiam amplissima dissertatione in forma Epistolæ in *Bullar. suo t.* 1. *in ordine* 213. responsivæ ad Archiep. S. Dominici in insula Hispaniola illustravit; et sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperuit: *In qua controversia satis ardua*, *cum inveniantur Textus Textibus contrarii*, *cum Doctores Doctoribus adversentur*, *si a nobis judicium interponendum foret*, *non aliter id a Nobis fieret*, *quam secundum sententiam in Tribunalibus*, *et Curia illius Religionis receptam*, *in qua esset pronunciandum*. In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit: *Sed cum certum est Matrimonium inter illius Parentes contractum*, *incertum vero tempus*, *quo filius conceptus*, *et in lucem editus fuerit*, *filium hunc legitimum censeremus*, *cum Judex in dubio debeat in bonum*, *et commoda Prolis propensus esse*. His positis, sic ego pro prima sententia argumentor. Igitur si in dubio Judex in

bonum prolis judicare debet, ubi talis casus nulla Tribunalium sententia decisus reperirur, cum simus in dubio ob Textuum, et Doctorum discrepantiam, potius proles judicanda est legitima, quam illegitima, siquidem etiam in hoc casu certum est eam in Matrimonii constantia editam fuisse, et incertum an debeat attendi tempus conceptionis, an vero ortus.

423. Præterea hic notandum 1. cum *Salm. n.* 49. quod si filius naturalis ante Parentum Matrimonium esset Ordinibus Sacris initiatus, illo secuto, licite potest in eis ministrare, et ad alios ascendere sine dispensatione: quia, licet peccaverit Ordinis suscipiendo, tamen nullam noxam ob hoc crimen contraxit irregularitatis: antiqua autem irregularitas jam ablata est per subsequens Matrimonium. Notandum 2. quod talis legitimatio fit per subsequens Matrimonium etiam non consummatum, puta si in articulo mortis contrahitur, quia ex dicto *c. Tanta*, virtus legitimandi tribuitur cuicumque valido Matrimonio.

424. Notandum 3. quod filii nati ex Matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, tamen putato valido, saltem ex uno Sponsorum, censentur legitimi; ita communiter *Suar. D.* 50. *s.* 1. *n.* 6. *Bon. q.* 2. *p.* 3. *num.* 5. *Conc. p.* 497 *n.* 6. *et Tourn. p.* 35. *n.* 3. *cum Pontas*, et patet ex *c. Cum inter* 2. *Qui filii sint legit.* ubi: *Cum parentes eorum publice et sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur ... sancimus, ut filii eorum habeantur legitimi.* Et idem confirmatur in *c. Ex tenore. eod. tit.* Secus vero, si ambo Parentes tempore Matrimonii furint in mala fide, ut habetur in *c. Cum inhibitio* 3. §. *si quis de Cland. desp.* ibi: *Pari modo proles illegitima censeatur, si*

ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumserint. Et sic pariter docet *Suar. l. c. n.* 11. illigitimos esse filios natos ante Matrimonium invalide contractum, licet ambo Parentes putaverint validum, quia pro his nullus habetur textus eos ut legitimos approbans.

425. Notandum 4. quod filii nati ex Matrimonio clandestino, idest sine Denunciationibus, ac sine licentia Episcopi inito, etsi coram Parocho et testibus, reputantur illegitimi, etiamsi Parentes in bona fide propter ignorantiam contraxerint ex *eod.* §. *Si quis*, ut supra in dict. *c.* 3. ubi dicitur: *Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta* (scil. absque Proclamationibus, ut prius in textu explicatur) *conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur.* Id tamen limitat *Suarez D.* 50. *s.* 1 *n.* 1. pro foro conscientiæ, si Parentes adhibuerint debitam diligentiam; sed merito *Bossius de contr. Matr. c.* 8. *n.* 52. hanc limitationem non admittit, quia legitimatio filiorum ex Matrimonio nullo est beneficium indultum a lege, sed lex denegat illud filiis Parentum qui contra interdictum Ecclesiæ contraxerunt, ut dicitur in præfato textu, et confirmatur in *cap. Cum inter.* mox supra relato verbis illis, *publice et sine contradictione Ecclesiæ.*

426. » II Legitimantur filii per *Professio-*
» *nem Religiosam;* quamvis ad dignitates etiam
» in religione, v. g. Abbatiam, Prioratum etc.
» promoveri non possint sine dispensatione. V.
» supra *d.* 3. * (*Ita ex Bulla Greg. XIII. ac*
» *Salm. c.* 9. *n.* 55. *Quamvis aliunde Prælati*

» *Regulares ex aliis Privilegiis bene possunt*
» *dispensare in irregularitate cum suis subditis il-*
» *legitimis*, *ut probant Salm. c.* 9. *n.* 56. 57.
» *et* 58. *Vide etiam dicta n.* 354.

» Per *Dispensationem Pontificiam.*

427. Papa non solum potest illegitimis Dispensationem concedere, sed etiam ipsam legitimationem, quæ irregularitatem aufert quoad omnes effectus. Ita comm. *Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 7. *n.* 28. *Pal. p.* 9. *n.* 6. et *Salm. c.* 9. *n.* 40. *cum Azor. Sayr. et Corn.*

428. Episcopus vero potest cum illegitimo dispensare tantum ad Ordines Minores, et ad Beneficium simplex, ex *c.* 1. *et* 2. *de Fil. Presbyt. in* 6. Ac etiam ad Canonicatus in Collegiatis, vel ad portiones non integras in Cathedralibus, vel ad alia Beneficia; quibus non est annexus Ordo Sacer. Non vero ad Beneficium curatum, ut habetur in *c. Is qui de Fil. Presbyt. in* 6. hoc certum est apud omnes.

429. Sed dubitatur 1. An Episcopus possit dispensare ad recipiendum Canonicatum in Cathedralibus? Affirmant *Pontas verb. Dispensare irreg. Caus.* 28. *et Tourn. t.* 2. *p.* 29. *num.* 5. *Gibert. Olirado*, *etc.* Quia (ut ajunt) omnis Canonicatus per se est Beneficium simplex, et licet Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 12. pro Canonicatibus in Cathedralibus requirat Ordinem Sacrum, tamen non requirit hic et nunc, cum Clericus possit Canonicatum recipere in Minoribus, et deinde obtinere Dispensationem irregularitatis infra annum, quem concedit Concilium ad Sacrum Ordinem suscipiendum. Probabilius vero negat *Palaus D.* 6. *p.* 9. *n.* 8. *Less. lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 66. *Barbosa All.* 45. *n.* 34. *Concina tom.* 10. *p.* 497. *n.* 7. *et Salm. c.* 9. *n.* 51. *et* 52. *cum Cornejo*, *Henr. Avila*, *et Phi-*

lib. Ratio, quia, esto Canonicatus sit per se Beneficium simplex, attamen ex præscripto Concilii est annexus Ordini Sacro: unde per se statim Sacrum Ordinem requirit; quod autem infra annum possit provisus illum suscipere, est beneficium a Tridentino indultum, sed hoc naturam rei minime immutat.

430. Dubitatur 2. An Episcopus possit dispensare in hac irregularitate cum illegitimo occulto? Affirmant *Dian. p.* 1. *tr.* 15. *R.* 21. *et Avila*, *Barbos. Pelliz. Peyrin. etc. apud Salm.* qui probabile vocant; Quia (ut ajunt) Tridentinum concessit Episcopis dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto) præter homicidium) provenientibus, non distinguendo, an delictum fuerit proprium, aut alienum. Sed verius negant *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *n.* 2. *Suar. D.* 50. *s.* 5. *n.* 5. *Bon q.* 2. *p.* 3. *in fin. Tourn. p.* 28. *n.* 2. *Dian.* (se revocans) *p.* 4. *tr.* 2. *R.* 64. *Pal. p.* 9. *n.* 10. *cum Hurt. et Salm. c.* 9. *n.* 53. *cum Con. Corn. et Philib.* Ratio, quia hæc irregularitas proprie non est ex delicto, sed ex defectu; et verius illud *ex delicto*, intelligitur de delicto proprio, non alieno.

431. Dubitatur 3. an Episcopus possit dispensare cum illigitimo occulto, quoad ministrandum in Ordinibus Majoribus susceptis? *Prima* sententia, quam tenent *Laym. lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *n.* 2. *Pal. p.* 9. *n.* 10. *et Diana p.* 4. *tr.* 2. *R.* 64. affirmat absolute, si initiatus bona fide Ordinem susceperit, quia is jam acquisivit jus ad ministrandum: Immo etiamsi mala fide, adhuc probabile putant posse Episcopum cum eo dispensare, et argum. in *c. Nisi cum pridem, de Renuntiat.* ubi dicitur posse dispensari cum eo, qui culpabiliter suscepit Ordinem cum irre-

gularitate occulta. *Secunda* verior sententia universe negat, eamque tenent *Suar. D.* 5. *s.* 5. *n.* 4. *Fill. tr.* 19. *c.* 5. *n.* 155. *et Salm. c.* 9. *n.* 54. *cum Cornejo.* Et probatur ex *c.* 1. *de Fill. Presbyt. in* 6. ubi absolute dicitur, quod Episcopi nequeunt dispensare in irregularitate ex defectu natalium, nisi tantum ad Ordines Minores: unde cum illegitimus sit incapax ad Ordinem Majorem exercendum, non potest ad eum jus ullum acquirere. Illud autem quod dicitur in textu citato, nempe quod etiam cum eo qui culpabiliter processerit, poterit dispensari, certum est, sed ibi non dicitur ab Episcopo; ergo intelligendum ab habente potestate, scil. Pontifice.

432. Dubitatur 4. An filii expositi, quorum Parentes ignorantur, censendi sint illegitimi, et irregulares? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Tourn. t.* 2. *p.* 24. *Fill. tr.* 19. *n.* 141. *et Bon. q.* 2. *p.* 3. *n.* 10. *cum Avila, Ugol. Reg. Reb. Garc. etc.* Quia pro his vehementes adsunt conjecturæ esse illegitimos, cum legitimi non soleant exponi. *Secunda* vero sententia probabilior negat, et hanc tenent *Palaus p.* 9. *num.* 2. *Pontius de Matr. l.* 2. *c.* 6. *n.* 4. *et Salm. c.* 9. *num.* 44. *cum Con Giball. Diana*, et *Pelliz.* ac probabilem censet *Suar. D.* 50. *sess.* 4. *n.* 5. Ratio, quia ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur, ut quis sit certus de sua illegitimitate; sed expositi sunt dubie illegitimi, cum multoties Parentes etiam conjugati propter inopiam filios exponant. Huic sententiæ magnum pondus tribuit Declaratio Gregorii XIV. expedita anno 1591. quam AA. præfati referunt, ubi Pontifex declaravit in gratiam confraternitatis pro expositis, eos non reputari illegitimos nisi tales probentur. *Giballi*,

nus apud Tourn. l.c. licet si pro hac sententia, dicit tamen, hanc Declarationem parum probare, quia fuit facta in gratiam Confraternitatis; sed mihi videtur nimis probare, nam illa potius fuit edita in gratiam expositorum, quam Confraternitatis. Saltem dicendum, quod hujusmodi irregularitas in exposito non est sufficienter expressa in jure.

433. « Principes vero sæculares non possunt » legitimare, nisi tantum in ordine ad officia » sæcularia, et hereditates. Porro cum dubium » est, an quis sit legitimus, non censeri irre- » gularem, contra *Vasq. et* alios 5. *vult Dian.* » *p.* 4. *t.* 2. *R.* 59 *ex Avila*, eo quod qui- » libet præsumatur legitimus donec contrarium » probetur: neque teneri hac in re credere » ipsimet matri, etiam in fine vitæ, nisi ratio- » nibus convincat, vel pater etiam asserat, *ib.* » *communi.* * (*Vide dicta l.* 3. *n.* 654) *.

434. » *Quarta* est ex defectu ætatis, de quo » v. in Sacramento Ordinis. * (*Vide dicta lib.* » 6. *n.* 783. *ad n. XI. et n.* 799.) *.

435. » *Quinta* ex defectu Sacramenti, sive » significationis matrimonii, ratione bigamiæ, » eo quod bigamus non perfecte repræsentet » unionem Christi cum Ecclesia, quippe qui » carnem suam divisit in plures uxores. Non » sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia » cum pluribus etiam secuta copula; nec forni- » catio, vel adulterium, vel matrimonium » ratum cum pluribus: sed matrimonium ve- » rum, vel præsumtum cum duabus, et con- » summatum. * (*Ut habetur ex cap. Debitum* » *de Bigam.* 7.) *. Dixi, *vel præsumtum*; » quia, licet quandoque secundum matrimo- » nium sit nullum, juris tamen fictione, et in-

» terpretatione præsumitur bigamia, licet im-
» proprie dicta.

» *Unde sequitur irregulares fieri sequentibus*
» *casibus.*

» 1. Qui vivente, vel mortua prima uxore co-
» gnita, secundam cognoscit, etsi matrimonium
» sit invalidum

» 2. Qui viduam non virginem ducit, et co-
» gnoscit.

» 3. Qui ducit uxorem prius ab alio corru-
» ptam, etiam per fornicationem, et cognoscit,
» non tamen si ipse eam ante corrupit, quia
» tunc non est divisio carnis in plures.

» 4. Qui propriam uxorem cognoscit, post-
» quam ab alio per adulterium cognita fuit,
» quia ipsa jam divisit carnem in plures. Nec
» refert, etsi per vim vitiata fuerit, vel vir cor-
» ruptam, aut viduam esse ignoraverit: quia
» hæc irregularitas non oritur ex culpa, sed
» ex defectu significationis Sacramenti.

» 5. Qui post solemne votum castitatis de fa-
» cto matrimonium contrahit, et consummat,
» etiam cum virgine: quia interpretatione juris
» censetur duo matrimonia contraxisse, unum
» spirituale cum Christo, alterum carnale cum
» muliere. Nec refert, quod invalide contrahat;
» quia, quantum est in ipso, effectus a parte
» rei ponitur.

436. Quinta igitur irregularitas oritur ex defectu sacramenti, nempe ex Bigamia, ut patet ex toto titulo *de Bigamis.* Idque illatum est ex illo Apostoli 1. *ad T.* 3 *Oportet, Episcopum unius uxoris esse virum.* Dicitur, *ex defectu Sacramenti*, quia is qui duas duxit uxores, non potest apte significare unionem Christi cum Ecclesia unica ejus Sponsa. Bigamia autem triplex est, *Vera*, *interpretativa*, et *Similitudi-*

naria. Et I. *Vera* est, quando quis cum duabus successive verum contraxit Matrimonium, ut ex *c. Præcipimus*, et *c. Dubium. De Bigam.* Debet tamen utrumque Matrimonium esse consummatum (et consummatum juxta dicta *de Matrim. n.* 1075 neque probat *Sanch. lib.* 7. *D.* 93. *n.* 6. cum aliis ex *c. Debitum. de Bigam.* ubi expresse petitur ad bigamiam conjugium commixtione corporum consummatum), quia alias Conjux non dicitur cum pluribus carnem suam dividere, nisi per copulam consummatam, cum de duabus una fiat caro, ita communiter *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 83. *n.* 4. *Bon. D.* 7. *quæst.* 2. *p.* 5. *n.* 2. *Pal. D.* 6. *p.* 8. *num.* 2. *Salm. cap.* 6. *num.* 25. et alii passim.

437. II. Bigamia *Interpretativa* contrahitur ab eo qui juris interpretatione, sive fictione quadam, censetur duas habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. Hæc Bigamia quadruplici-ter contingit, ut docet *D. Thomas Suppl. q.* 66. *art.* 1. *Primus* modus, quando quis ducit viduam jam cognitam, etiamsi ducat iuvalide, ut patet ex *c. A nobis, ult. de Bigam.* Dicitur *cognitam*, nam secus esset si primus vir eam non cognoverit, ex *c. Debitum eod. tit.*

438. *Secundus* modus, quando quis ducit mulierem corruptam ab alio, ita communiter cum *D. Th. l. c. Sanch. l.* 7. *D.* 54. *n.* 7. *Pal. p.* 8. *n.* 4. *Salm. c.* 9. *n.* 25. et aliis. Et patet *c. ult. D.* 51. ubi declarantur Irregulares *Mariti corruptarum*; et ex *c. Curandum dist.* 34. ubi Hilarius Papa dixit: *Ne od Sacros Ordines quisquam, qui uxorem non virginem duxit, aspiret.* Secus si quis duceret mulierem a se prius corruptam, ut communiter *D. Thomas l. c. art.* 3. *ad* 2. *et Salm. c.* 9. *n.* 32. *cum Sanch. Palao, Tolet. etc.*

439. Sed hic dubitatur 1. An fiat irregularis qui ducit corruptam, credens bona fide virginem? Negant *Sa*, *Ledesma*, et alii *apud Sanch. de Matr. l. 7. D. 84. n. 15.* quia hæc irregularitas contrahitur ex proprio facto: ergo ad eam requiritur actio advertenter et voluntarie exercita. Affirmant tamen communiter et verius *D. Thomas Suppl. quæst 66. art. 3. ad 3. Sanch. n. 8. Suar. D. 45 sect. 3. n. 15. Laym. c. 6. n. 3. Tourn. p. 59. Conc. t. 10. p. 498. n. 11. Barbos. All. 49. n. 9. Pal. p. 8. n. 6. cum Nav. Abb. Avila, et Garcia, ac Salm. c. 8. n. 40. cum Soto, Sayr. Henr. et Corn.* Ratio, quia irregularitas hæc non est ex delicto, sed ex defectu significationis; unde bona fides non impedit quod caro viri non dividatur cum corrupta, licet virgo credatur.

440. Dubitatur 2. An sit irregularis qui cum corrupta invalide contrahit ob aliquod impedimentum dirimens? *Prima* sententia quam sequimur affirmat, et hanc tenent *Suar. D. 49. sect. 3. n. 4. cum Ricch.* et communi ut asserit, item *Tour. pag. ... et Covar. ac Cornejo apud Salm. c. 9 n. 51.* Et probant ex *cap. A nobis ult. de Bigam.* ubi dicitur irregularis quidam Diaconus, qui viduam ducit, etiamsi nullum fuerit conjugium cum corrupta initum. *Secunda* vero sententia negat, et hanc tenent *Sanch. de Matr. l. 7. D. 84. n. 11. Pal. p. 8. n. 4. Nav. c. 7. n. 195. et Salm. l. c. cum Valentia, Corn. Henr. Dian, et Pelliz.* ibi testatur *Farinac.* ita a S. C. decisum. Ratio (ut ajunt) quia in præfato textu mentio fit de duobus conjugiis contractis, uno spirituali, nempe sacræ Ordinationis, qua Diaconus desponsatur cum Ecclesia: altero carnali, licet invalido, et ideo Diaconus ille declaratur irre-

gularis, non quia cum vidua contraxit, sed propter bigamiam similitudinariam, ut explicabitur *n.* 448. Sed respondetur, quod in textu citato non appellatur ille irregularis, quia duo Matrimonia contraxit, revera enim non fuit maritus viduæ, cum invalidum fuerit conjugium, sed quia *cum eo* (ait Pontifex *tamquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere secuto.* Ergo non consideravit Papa (in quantum ad rationem irregularitatis) conjugium spirituale in sacra Ordinatione ab eo contractum, nam hæc irregularitas inducitur etiamsi quis constitutus in Sacris virginem ducat prout ostendemus *d. n.* 448. Sed eum declaravit irregularem, *tamquam maritum viduæ, propter affectum intentionis;* ergo non obstat quod Matrimonium sit nullum.

441. *Tertius* modus incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est quando quis cognoscit uxorem, postquam illa adulterium commiserit, ex *c. Si cujus.* 11. *et c. Si laici* 12. *Dist.* 34. et ita communiter *Sanch. l* 7. *D.* 84. *n.* 15. *Suar. D.* 49. *s.* 3. *n.* 15. *Pal. p.* 8. *n.* 5. *Salm. c.* 9. *n.* 20. *et Barb. All.* 49. *n.* 8. ei alii omnes. Ratio, quia vir cognoscens uxorem ab alio cognitam, censetur ac si corruptam duxisset.

442. Sed dubitatur 1. An talis vir fiat irregularis, si adulterium fuerit occultum? Negant *Herincx*, et alii *apud Elbel de Irreg. p.* 485. *n.* 260. quia (ut ajunt) in *dict. Can. Si cujus*, dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum* (uxorem) *adulterium commisisse.* Affirmant vero *Tourn. p.* 63. *Elbel l. c.* cum communi ut asserit, et *Bon. q.* 2. *p.* 5. *n.* 5. *cum Suar. Ugol. et Fill.* Idque tenent, etiamsi mulier fue-

rit vi oppressa. Ratio quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis: et licet ista adultera non sit vera adultera, tamen vere carnem suam cum alio divisit, si seminationem habuit ut requiritur. Verum *Elbel l. c.* primam sententiam probabilem vocat, quia verba supra relata; *si evidenter fuerit comprobatum adulterium*, satis videntur excludere adulterium occultum; sed hoc non obstante, prima sententia mihi magis arridet.

443. Dubitatur 2. An fiat irregularis qui ignorans adulterium uxoris illam cognoscit? Negant *Glossa in c. 2. de Bigam. v. In bigamis*, *ac Rebuff. Lop. Sa*, *Led. etc. apud Sanch. D.* 84. *n.* 15. Quia (ut ajunt) cognoscens uxorem, quam ignorat ab alio cognitam, non cognoscit modo rationali, unde non dicitur cognoscere adulteram. Sed communiter et verius affirmant *Pal. p.* 8. *n.* 6. *Bon. p.* 5. *n.* 5. *Bus. sup. n.* 4. *et Sanch. l. c. cum Nav. Soto*, *Tolet. Bellarm. Palud. Cov.* et innumeris aliis. Ratio, quia (ut diximus) hæc irregularitas ratione bigamiæ non est ex delicto, sed ex Sacramenti defectu, qui culpam non requirit.

444. *Quartus* modus incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est, quando quis duo contrahit et consummat Matrimonia, unum validum, alterum invalidum. Pro hac irregularitate non habetur textus expressus, sed communiter DD. eam deducunt ex *c. Naper de Bigamis*, ubi sermo fit de Clerico, qui ante Sacrum Ordinem Matrimonium contraxit, deinde jam ordinatus aliud inivit, ibique dicitur tamquam bigamus reputandus; non propter Sacramenti defectum, cum secundum Matrimonium irritum fuerit, sed ob intentionis affectum ad duo Matrimonia cum copula secuta; ita *D.*

Th. Suppl. q. 66. *art.* 2. *Tolet. l.* 1. *c.* 26. *n.* 4. *Salm. c.* 9. *n.* 20. *cum Corn. et Led. ac Sanch. D.* 84. *n.* 3. *circa medium, cum Soto, S. Antonin. Palud. Bellarm. Valent.*

445. Sed dubitatur 1. An fiat irregularis, qui duo Matrimonia contraxit, ambo invalida? Negant *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 38. Item *Avila, Coninch. et Henr. apud Salm. c.* 9. *n.* 28. qui probabile vocant. Ratio, quia (ut ajunt) hic casus non est expressus in jure. Sed probabilius affirmant *S. Th. Supp. q.* 66 *art.* 2. *Suar. D.* 49. *s.* 2. *n.* 11. *Bon. p.* 5. *n.* 2. *Pal. p.* 8. *n.* 10. *Tour. p.* 61. *q.* 3. *Conc. p.* 498 *n.* 11. *Salm. n.* 28. *cum Suar. Cornejo, et Sayr. ac Sanch. l.* 7. *D.* 84. *n.* 3. *cum S. Anton. Palud. Soto, Tolet. Bellar. Sa, Valent. Led. Lop.* et alii communissime. Et probatur ex *c. A nobis de Bigam.* citato *n.* 440. ubi (ut vidimus) ille Subdiaconus, qui viduam duxit, *tamquam maritus viduæ*, fuit declaratus irregularis, *non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis*. Ergo solus affectus irregularitatem inducit.

446. Dubitatur 2. An si quis contraxit duo Matrimonia nulla in bona fide, incurrat irregularitatem? Negat *Sanch. d. D.* 84. *n.* 6. *cum Archid. Astens. et Bellamera*, quia is potius censetur irregularis ex delicto quam ex defectu, cum in *c. Nuper de Bigam.* ille qui antea uxorem duxerat, et postea constitutus in Sacris aliud conjugium contraxerat, dictus fuit irregularis, non propter defectum Sacramenti, sed ob affectum intentionis; ergo ob crimen affectus punitus fuit: quando igitur non adest crimen, non incurritur irregularitas. Sed communius, et probabilius affirmant *Sylv. verb. Bigamia q.* 7. *Angel. eod. verb. n.* 9. item *Jo. An-*

dr. Ancharan. Abb. Henr. etc. apud Sanch. l. c. in fin. Ratio, quia in præfato textu non consideratur crimen affectus, sed affectus ad secundum Matrimonium. Idque expresse confirmatur ex *c. A nobis de Bigam.* ut vidimus *n.* 440.

447. Dubitatur 3. An incurrat irregularitatem qui ficte contrahit secundum Matrimonium, tantum ad copulam extorquendam? Negant *Pal. p.* 8. *n.* 7. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 38. item *Avila*, *et Hurt. apud Salm. c.* 9. *n.* 27. quia tunc deficit affectus maritalis, qui requiritur in dicto *c. Nuper*, verbis To *Propter affectum intentionis.* Sed probabilius affirmant *Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 10. *Tour. p.* 61. *q.* 3. *et Salm. l. c. cum Cornejo.* Ratio, quia ad irregularitatem non requiritur affectus ille ad duo Matrimonia vere contrahenda, sed sufficit affectus ad duo Matrimonia exterius ineunda.

Idem videtur procedere respectu viri, qui contraxit cum violata, credens illam virginem, de quo dictum est *n.* 439. Et idem respectu viri ignoranter reddentis debitum Adulteræ, quæ sit occulta, vel quæ violenter fuerit oppressa, juxta dicta *n.* 442. et 443.

448. III. Demum Bigamia *Similitudinaria* est illa quæ contrahitur ex attentatione Matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel virgine post votum sollemne emissum in Religione approbata, vel post susceptionem Sacri Ordinis. Hujusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes attentant Matrimonium contrahere; ita communiter DD. *Suar. D.* 49. *s.* 3. *n.* 2. *et* 6. *Anacl. p.* 517. *n.* 42. *Sanch. l.* 7. *D.* 85. *n.* 5. *Salm. c.* 9. *n.* 36. et alii passim ex *c. Quotquot.* 23. *et c. Monacho* 32. 27. *q.* 1.

Dummodo tale Matrimonium sit consummatum, ut adhuc communiter DD. docent, utque habetur ex dicto *c. Monacho* ubi: *Si postea uxori fuerit sociatus.*

449. Minime autem sunt audiendi *Hurt. et Tanner. apud Salm. l. c.* item *Abbas*, *Hostiens. et Archid. apud Suar. D.* 49. *s.* 5. *n.* 4. (qui improbabiliter id probabile putat (dicentes hanc irregularitatem incurri tantum a Monachis professis. Nam communissime docent AA. eam incurri etiam a Clericis constitutis in Sacris; ita idem *Suar. n.* 8. *Salm. l. c. Anacl. d n* 42. *Nav.* c. 27. *n.* 195. *Tolet. l.* 1. *c.* 26. *n.* 7 *et Sanch D.* 85. *n.* 5 *cum Sa*, *Valent. Graff. Lop. Led. Gabr. Philiarch.* et aliis pluribus. Idque clare probatur ex *c. Qui Clerici*, *vel Mon. etc.* ubi dicitur posse Episcopus post peractam pœnitentiam dispensare cum Diacono, qui uxorem duxerit, ad Ordinem ministrandum; Ergo Diaconus ille jam habetur ut irregularis. Item in *c.* 2 *eod. tit.* dicitur quod Episcopus non permittat Subdiacono, qui Matrimonium contraxit, ministrare. Quavis igitur (ait *Sanch.*) talis Clericus non esset irregularis ex defectu ob bigamiam similitudinariam, saltem tamen incurrit irregularitatem ob delictum. Recte autem rejicit *Sanch. n.* 11. *et* 17. opinionem illorum, qui dicunt fieri irregularem qui Matrimonium contrahit post simplex votum castitatis, cum hoc in nullo jure sit expressum. Sic pariter ex eadem ratione nec est irregularis laicus qui ducit Monialem professam, quia jura loquuntur tantum de contrahente post proprium votum; *Sanch. n.* 12. *et Salm. n.* 36. *cum Sayr. Corn. et Henriq.*

450. Quæres hic, quomodo tollatur hæc irregularitas? Dico 1. quod hæc irregularitas non

tollitur per Baptismum, ut docet communiter *S. Th. d. q.* 66. *q.* 4. *Suar. D.* 49. *s.* 5. *n.* 10. *Sanch. l.* 7. *D.* 83. *n.* 9. *et Salm. c.* 9. *n.* 37. *cum Corn., Pelliz. etc.* et videtur expressum in *c. Si quis viduam* 1. *d.* 34. Dico 2. quod Papa bene potest in illa dispensare; Et licet in Canonibus de Bigamis dicatur; *Cum Bigamis non licet dispensare;* tamen hoc intelligendum sine gravi causa, ut docent *Sanch. l.* 7. *D.* 86. *n.* 6. *Concin. p.* 499. *n.* 14. *Salm. loc. cit. cum Sayr. et Corn.* item *Tourn. p.* 74. *quæst.* 1. cum communi, qui ita fert dispensasse Lucium III. ex *Glossa in cap. Lector.* 17. *Dist.* 34. Nec obstat dicere hanc irregularitatem institutam fuisse a D. Paulo, juxta dicta *n.* 430. Nam respondetur, quod Constitutiones Apostolorum, præcisæ ut tales, non transcendunt jus humanum, in quo utique Papa omnem potestatem habet.

451. Episcopus autem, si bigamia fuerit vera, aut interpretativa, minime potest in ea dispensare, neque ad Ordines Sacros suscipiendos, neque ad ministrandum in susceptis, neque ad Beneficia ipsis annexa, recipienda, ut communiter docent *D. Thom. Suppl. quæst.* 66, *art.* 5. *et Salm. c.* 9. *n.* 39. cum aliis passim, et patet ex *Cap. Super eo de Bigam.* Nec obstat textus in citato *cap. Lector*, ubi dicitur Martinus Papa declarasse, quod Episcopus possit dispensare cum bigamo, ut fiat Subdiaconus. Nam respondent *Suar. D.* 46. *sect.* 6. *n.* 5. *et Tourn. pag.* 65. errasse Gratianum asserendo prædictum Canonem esse Martini Papæ, cum plures AA. probent fuisse Martini Bracharensis Collectoris multorum Canonum ex diversis Conciliis particularibus. Sed dato quod fuisset Martini Papæ, tamen, cum in toto titulo de Bi-

gamis, prohibeantur Episcopi dispensando in bigamia, videtur certum prædicto Canoni fuisse derogatum. Præterquamquod dicunt *Salm. cap.* 9. *n.* 39. quod tempore Martini Papæ Subdiaconatus non adhuc erat Sacer.

452. Sed rogatur, an possit Episcopus dispensare cum bigamo quoad Ordines Minores, et Beneficia simplicia suscipienda? Affirmant *D. Thom. in* 4. *D.* 27. *quæst.* 3. *art.* 3. *Nav. cap.* 27. *n.* 197. *Sanch. lib.* 7. *D.* 86. *n.* 11. *Concina pag.* 599. *n.* 14. item *Palud. Azor. Avil. Comet. et alii apud Pal. D.* 6. *p.* 8. *n.* 17. probabile putat *Suar. D.* 49. *sect.* 6. *n.* 5. Ratio, quia per susceptionem Minorum Ordinum initiati non mancipantur irrevocabiliter cultui Divino, et ideo Episcopis concedi ajunt hujusmodi dispensationem. Sed verius negant *Suar. l. c. Tourn. p.* 65. *Laym. c.* 6. *circa fin. Barbos. All.* 48. *n.* 25. *Bon. D.* 7. *p.* 5. *n.* 15. *et Pal. n.* 18. *cum Garcia* ex Decl. S. C. Et probatur ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 17. ubi vetatur assumere bigamos ad ministeria Ordinum Minorum; et ex *cap. un. de Bigam. in* 6. ubi bigami expoliantur omni privilegio Clericali; sed clarius probatur Decl. Sixti V. *apud Fagnan. lib.* 1. *in c. Super eo de Bigam. in fin.* qua declaravit Pontifex suspensum quemdam Episcopum, eo quod contulit bigamo Beneficium simplex; et ordinatum incidisse dixit in pœnas male promoti. Adversarii contra minime probant unde Episcopi talem facultatem habeant. In bigamia autem similitudinaria bene possunt Episcopi dispen are, etiam ad Ordines Sacros suscipiendos et ministrandos, ut docent *Tolet. lib.* 1. *cap.* 68. *Conc. Salm. cap.* 9. *num.* 41. *Suar. num.* 18. *Sanch. n.* 20. *Tourn. p.* 66. *et Pal. n.* 19. *cum Garcia* et aliis pluribus;

Idque probatur ex *cap.* 4. *de Cler. conj.* et *cap. Qui Cler. vel Vov.* Et hoc currit, ut notant *Salm. d. n.* 41. *cum Cornejo, et Henr.*) etiamsi crimen fuerit Publicum, cum hæc irregularitas proveniat ex defectu, non ex delicto. Recte vero excipit *Tournely* cum communi, si talis Clericus duxerit viduam, vel corruptam, aut si ante Ordinationem fuerit cum aliqua muliere conjugatus.

453. Prælati autem Regulares ex Privilegio Sisti IV. possunt dispensare cum suis subditis in omni bigamia: præter Privilegium Pauli III. (relatum a *Salm. cap.* 7. *n.* 59.) in quo conceditur ipsis facultas dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate; bigamia non excepta, ita *Palaus p.* 8. *n.* 21. *et Salm. cap.* 9. *n.* 24. *cum Pelliz. Henriq. Machad. Leand. etc.*

454. » *Sexta* oritur ex infamia, sive juris » (quæ vel ex delicto proprio, vel parentum, » vel vili conditione personæ nascitur), sive » facti, modo crimen publicum sit, ex occul- » to enim non oritur, si homicidium, et cen- » suræ violationem excipias, ut docent *Nav.* » *Con. Laym.* contra *Sylv. et Suar.* qui ex » occulto etiam oriri putant, modo infamiam » ipso jure connexam habeat. Porro infamia ob » crimen notorium, vel per sententiam judicis » contracta non tollitur, nisi per dispensatio- » nem Principis, cujus auctoritate contracta fuit. » Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine, » et digna depositione tollitur per publicam, » et constantem vitæ emendationem. * (*Vide* » *dicta ex n.* 362. *v. Hæc; irregularitas enim* » *ob infamiam ex defectu, et ex delicto in idem* » *coincidunt*) *.

» *Septima* oritur ex defectu libertatis. Unde » irregulares sunt 1. Omnes servi proprie dicti,

» et (secundum *Laym. l.* 2. *t.* 1. *c.* 8.) et-
» iam originarii, donec consequantur plenam
» libertatem.

455. Servus, qui sciente et non contradicente Domino ordinatur, etiam ad primam Tonsuram, eo ipso liber manet, *c. Si servus, et c. Nulli Dist.* 54. Poterit tamen Dominus eum manumittere cum conditione, ut serviat in iis quæ statui Clericali non repugnant, ex *c. Nullus de Servis non ordin.* Si vero servus ordinetur, ignorante Domino, remanet servus, nisi constituatur in Sacris, et nisi insuper Domino reddatur duplum ab Episcopo, vel ab aliis cooperantibus, vel ab ipso servo; Qui quando impotens est satisfaciendi, remanet servus, si est Diaconus; si vero sit Sacerdos, debet Domino inservire in omnibus quæ statum non dedecent, et Missas pro Domino offerre: nisi Dominus per annum sciens illum esse ordinatum, dissimulet; eumque non revocet. Ita *Salm. cap.* 9. *n.* 60. *et* 61. ex Canonibus ibi allatis.

456. » II. Sunt irregulares Conjugati, nisi
» uxores consentiant et castitatem voveant. * (*De*
» *hoc vide dicta de Sacram. Ordin. lib.* 6. *n.*
« 812.) *. III. Curiales idest curiæ sæculari
» obligati ? facto juramento, vel stipendio, ut
» judices advocati etc. quamdiu talia officia ha-
» bent. * (*Ut habetur in c.* 1. *et* 2. *et* 3. *D.*
» 51. *et cap. unic. de Oblig. ad ratioc. Ex-*
» *cipiuntur tamen ex tacita concessione Ponti-*
» *ficis, vel ex consuetudine Consiliarii Regis*
» *constituti pro casibus civilibus, ut docent*
» *Laym. Pal. Suar. Corn. cum Salm. cap.* 9.
» *n.* 64.) *. Excipe tamen, nisi habeant spe-
» cialem dispensationem Papæ pro illis officiis,
» ut quidem Clerici in aulis Principum, in
» causis civilibus, non tamen criminalibus oc-

» cupati ; vel nisi consuetudo sciente Papa id
» permittat. IV. Milites saltem quamdiu jura-
» mento tenentur ; item thesaurarii , et deposi-
» tarii publici , et qui Remp. administrant.
» * (*Vide dicta Tom. IV. lib.* 3. *n.* 838.) *
» Item apparitores , et similes , qui sæva , tur-
» pia exercuerunt , vel in causa sanguinis mi-
» nistrarunt *M. Leo p.* 3. *f.* 369.

457. » *Octava* ex defectu lenitatis , scilicet
» ex licita mutilatione , vel homicidio in bello
» justo , vel judicio. Quod ideo statuit Eccle-
» sia , quia Sacerdos gerit personam Christi ,
» qui utpote lenissimus neminem unquam læ-
» sit. Ad hanc autem requiritur , ut occisio ,
» aut mutilatio de facto sequatur. Unde non
» sufficit voluntas , nec vulneratio gravis, *Bon.*
» *d.* 7. *quæst.* 4. *Tan. d.* 6. *quæst.* 10. *d.* 11.

Unde resolves.

458. » 1. Non fit irregularis , qui mutilat ,
» vel occidit in defensionem inculpatam hono-
» ris , vitæ , castitatis, etc. vel etiam proximi:
» quia in jure non statuitur irregularitas , nisi
» ob homicidium in bello justo , vel judicio.
» *Tann. loc. cit.* * (*Vide dicta n.* 389.) *.

459. » 2. Irregularis fit in bello , qui mu-
» tilat , vel occidit propria manu , non autem
» Clericus exhortans ad fortiter pugnandum in
» bello justo (secus tamen si ad occidendum
» hunc , vel illum in particulari) ; idem est
» de Duce exercitus , tibicine , etc. *Bon. p.* 4.
» (*Clericus , si est in sacris , vel Beneficiatus,*
» *et militat in bello , fit irregularis , si aliquan-*
» *do sclopum adhibuerit in aliquo conflictu ,*
» *etiamsi juramentum præstaret nullum læsisse;*
» *vide Card. Lambertin. Notif.* 101. *num.* 19.
» *infra*) *.

In bello igitur justo defensivo utique non fit irregularis qui occidit; ita *Salm. c.* 9. *n.* 20. *Holzm. n.* 388. et alii communiter; id patet ex *c.* 2. *de Immunit. Eccl. et Clem. un. de Homic.* In bello autem justo offensivo qui occidit est irregularis, non vero si alii occidant; *Holzm. loc. cit.* et Benedictus XIV. *Notif.* 101. *n.* 15. *ex c. Petitio tua*, *c. Dilectus*, *c. Significasti*, *et c. de Homic.* In bello vero injusto si unus moriatur, omnes sunt irregulares, ut certum est apud omnes *cum D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Hic notandum Clericum (modo fuerit in sacris, aut Beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emiserit) esse irregularem, si militat, etiamsi juret se ne unum quidem læsisse, ut apud *Lamb.* legere est *Notif.* 101. *n.* 19.

460. Qui hortatur ad occidendum in genere, etiamsi bellum sit offensivum, modo justum, non est irregularis; ita communiter cum *Busemb. Bonacina D.* 7. *quæst.* 4. *p.* 4. *n.* 7. *Tourn. pag.* 82. *Conc. p.* 501. *n.* 18. *et Salm. cap.* 9. *n.* 19. ac alii passim, ex dicto *c. Petitio tua*, ubi declaratur irregularis tantum is qui occidit. Quid si quis in bello justo hortetur ad occidendum in particulari? *Busemb.* ut supra, et *Bonacina* hunc non eximunt ab irregularitate. Sed probabiliter contradicunt *Salm. cap.* 9. *n.* 19. quia tam in præfato textu, quam in aliis sermo fit tantum de occidente, sive de mutilante, non de exhortante.

461. » 3. In judicio justo irregulares fiunt, » qui ad mortem vel mutilationem cooperantur » active, et efficaciter, et proxime, per actio» nem ex natura sua ad id ordinatam. * (*Ita* » *ex Clem. un. Si furiosus*, *de Homic. et cap.* » *Clericis cap. Sententiam. Ne Cler. vel Mon.*

» *item cap. Ex litteris, de Excess. Prælat.* » *etc.*) *. Dicitur I. *Cooperantur*, ut Judex » ferens sententiam. Notarius eam scribens, » ministri exequentes, testes, etc. * (*Tran-* » *scribens vero sententiam non incurrit, ut com-* » *muniter Bonacina D. 7. quæst. 4. p. 1. n. 5.* » *cum Suar. Fill. Ugol. Reg. etc. Immo Natalis ab Alexand. et Cabassut. apud Tournely* » *pag. 78. idem tenent etiam de scribente*) *.

462. » Dicitur II. *Active*, idest ex parte occidentium, quia non fit irregularis, qui se » tantum habet passive, et ex parte ejus, » qui occiditur, ut Confessarius hortans ad fa- » tendum veritatem, vel ad acquiescendum sen- » tentiæ justæ, quam non potest differre, nisi » appellatione injusta. *Corn.* et *Dian. p. 4. t.* » *22. R. 99.* * (*Ita etiam Holzmann n. 387.* » *Tourn. pag. 78. v. Dico 7.*) *.

463. » Dicitur III. *Efficaciter*, quia adju- » vans, v. gr. ferens ligna, ut comburatur » ante jam suffocatus, non fit irregularis; nec » assistens supplicio, si sua præsentia in illud » non influat. * (*Ita Suarez D. 47. sect. 4.* » *n. 10. Pal. p. 13. §. 4. n. 2. Bonacina p.* » *1. num. 18. et Salmanticens. cap. 9. cum* » *Avila, Diana, et Giball. communissime,* » *contra Sayrum. Nec obstat textus in cap.* » *Sententiam. Ne Cler. vel Mon. ubi vetatur Clericis interesse hujusmodi suppliciis,* » *quia hic Canon vel est abrogatus, vel tantum* » *venialiter obligat, ut docent Bonacina p. 1.* » *num. 16. Salm. loc. cit. ac Tournely pag.* » *78. v. Quale, testatur esse communem sen-* » *tentiam cum Avila, et Cabass. id non ex-* » *cedere venialem culpam; immo ibi Navar. et* » *Avila censent minime in hoc peccare Clericos* » *in Minoribus*) *.

464. » Dicitur IV. *Proxime*, quia qui re-
» mote tantum cooperantur, non fiunt irregu-
» lares, ut qui gladios faciunt, aut vendunt,
» item legislator leges capitales condens. * (*Ex*
» *c. Delatori* 5. *qu.* 6. *Aut suadens Regi le-*
» *gem ferre; Salm. c.* 9. *num.* 7.) *. Con-
» cionator in genere dicens, puniendos esse
» malefactores; * (*Ut Salm. c.* 9. *n.* 7. *cum*
» *communi*) *. Confessarius interrogatus de reo,
» an mortem mereatur, si respondeat, judicem
» sine acceptione personarum fungi debere suo
» munere, quia hi omnes sunt tantum causa
» remota. * (*Hoc etiam est commune apud*
» *omnes: vide Salmant. d. n.* 6.) *. Essent
» autem proxima, ideoque irregulares, si quid
» facerent, aut dicerent in particulari, ex quo
» mors alicujus sequeretur, aut etiam accele-
» raretur, v. gr. si quis efficaciter urgeret reum,
» ut scalam ascenderet, vel ad hoc illum ju-
» varet, vel si judici in particulari responde-
» ret, hunc esse plectendum. * (*Sentiunt ita-
» que cum Busemb. Bon. p.* 1. *n.* 6. *ac Avi-
» la, Sayr. Henr. etc. apud Salm. c.* 9. *n.* 8.
» *fieri irregularem Confessarium, sive alius qui
» consultus a Judice in particulari de Reo ali-
» quo, respondet ei, esse occidendum. Sed pro-
» babilius id negant Holzm. n.* 387. *cum Mol.
» et Laym. Pal.* §. 3. *n.* 7. *et* 8. *et Salm. loc.
» c. cum Vasq. Pelliz. Hurtad. Turrian. etc.
» Ratio, quia irregularitas hæc ex defectu le-
» nitatis inflicta est tantum concurrentibus ad
» occisionem aut mutilationem ut ministris ne-
» cessariis, non vero aliis, et præsertim juste
» occurrentibus. Addunt probabiliter Tournely
» pag.* 79. *v. Dico* 7. *Busemb. et alii infra
» n.* 466. *nec fieri irregularem Confessarium,
» si moneat carnificem, quod suum munus jam
» fungatur*) *.

465. » Possunt tamen subinde etiam proxime » cooperantes excusari ab irregularitate, v. gr. » 1. Si fiat ex indeliberatione, aut cum semi- » plena tantum advertentia, v. gr. si dicat Con- » fessarius; *properemus*, aut infliget jumentum, » quo Reus vehitur. 2. Si cooperatio sit valde » exigua, ut si jubeat reum adhuc unum gra- » dum ascendere; quia minimum reputatur pro » nihilo, *Avila*, et *Henr.* apud *Bon. quæst.* » 4. *part.* 1. *n.* 9. Item *Suarez Regin. Laym.* » etc. (contra *Vasq. Turr. Hur. Bann.* etc.) » qui censent ex homicidio neminem fieri ir- » regularem, nisi concurrat ut publicus mini- » ster justitiæ, sive ad causæ probationem, si- » ve executionem; vel ut privatus injuste, et » cum peccato. Quam sententiam probabilem » censent *Diana p.* 3. *lib.* 4. *R.* 79. et *in ad-* » *dit. R.* 15. et *p.* 8. *t.* 7. *R.* 61. * (*Et* » *revera valde probabilis est juxta Adnotationem* » *mox supra oppositam*) *. Hinc negant fieri » irregularem 1. Confessarium, vel alium quem- » cumque, qui furem hortatur, ut scalam » ascendat, caput supponat ad ictum excipien- » dum. 2. Eum, qui carnifici dicit, ut ali- » quid aptet, quo citius extinguatur reus. 3. » Qui, dum reus ad supplicium ducitur, sug- » gerit viam breviorem. 4. Qui vendit, vel » commodat scalam, funes et cetera instrumen- » ta, etiam qui furcam facit. 5. Qui interro- » gatus a Judice, an teneatur reum conde- » mnare, respondit, teneri. 6. Eum, qui car- » nifici putanti, suspensum jam esse mortuum, » significavit adhuc vivere, ex quo calcans item » pede occidit. * (*Ita etiam Salm. cap.* 9. *ex* » *n.* 9. *ad* 11. *cum Pal. Pellis. Hurt. Turrian.* » *Diana*, *Machad etc.*).

466. » Dicitur V. *Per actionem ex natura sua*

» etc. quæ per se sit causa talis effectus: quia
» effectus per accidens non imputatur danti
» operam rei licitæ. Hinc non fit irregularis di-
» cens carnifici: *nemo te impedit facere tuum*
» *officium*, *ego meum feci.* * (*Ita probabili-*
» *ter etiam dicunt Tournely pag.* 79. *v. Dico*
» 7. *et Salm. cap.* 9. *n.* 10. *cum Avila*, *et*
» *Henr.*) *. Nec judices Ecclesiastici degrada-
» tum tradentes brachio sæculari; nec Clerici
» accusantes aliquem in causa criminali: modo
» expresse protestentur, se non intendere, ut
» puniatur pœna sanguinis; sed tantum, ut
» sibi, vel suis satisfiat, vel impediantur mala
» sibi, ut aliis imminentia. Vide *Bon. quæst.*
» 4. *Tann. l. c.* etc.

467. Ex *c. Sententia sanguinis. Ne Cler. vel Mon.* vetitum est Clericis in Sacris constitutis, vel Beneficiariis, et omnibus Regularibus se intromittere in causam sanguinis (intelligitur, unde mors aut mutilatio sequatur) judicando, vel testificando, exequendo, etc. Et ideo peccant mortaliter, si quomodolibet ad illam adjuvant.

468. Fiunt autem irregulares omnes qui ad sententiam sanguinis concurrunt, et I. *Judices*, eorumque Assessores; non vero Domini temporales, etiam Ecclesiastici, committentes aliis hujusmodi causas, ex *c. ult. Ne Cler. vel. Mon.* 6. nisi ipsi jubeant, ut Judex aliquem in particulari suspendere, vel sententiam statim exequi faciat; *Palaus* §. 1. *n.* 6. *et Salm. cap.* 9. *n.* 5. *cum Henr. Corn.* II. Testes voluntarii, qui libere se offerunt ad testificandum contra Reum; etiamsi protestentur non intendere sententiam sanguinis; nam si coacti sint ad testimonium faciendum, sane excusantur, ut recte docent *Suar. D.* 47. *sect.* 3. *num.* 4. *Bon. p.* 3. *n.* 8. *Palaus* §. 3. *n.* 3. *et Salm. c.* 9. *n.*

12. *cum Con. et communi.* Et idem dicendum de Advocatis, et Procuratoribus Accusatoris coactis ad eum mendum; *Salm. ibid. cum iis-dem.* III. Accusatores vel denuntiatores (sive formales sive materiales, nempe si tantum exhibeant querelas, ut ait *Tamb.* §. 11. *n.* 3. *pag.* 298.), qui coram Judice sæculari accusant reum de crimine digno sententia sanguinis, criminalem petentes vindictam. Et tunc tam Clericus; quam laicus accusans fiunt irregulares, ut communiter *Bon. Pelliz. Pal. c.* 9. *n.* 18. Cum hac autem differentia, quod Clericus, præter irregularitatem quam incurrit, peccat mortaliter, si est in Sacris, vel Beneficiatus, et accuset sine justa causa; vel si adsit causa, et accuset sine protestatione, ut *Salm. c.* 9. *ex n.* 2. Minime tamen irregularitatem incurrit Accusator (sive laicus, sive Clericus) qui accusat Reum, tantum, ut proprium damnum præcaveat, vel sibi resarciatur, facta protestatione se non velle pœnam sanguinis, ut habetur ex *cap. prælatis. De Homic. in* 6. Et hoc currit etiamsi talis protestatio ficte ponatur, ut *Suar. D.* 47. *s.* 2. *n.* 3. *Bon. p.* 2. *n.* 11. *Pal.* §. 3. *n.* 2. *et Salm. c.* 9. *n.* 15. *cum Avila, Con. Fill. Pelliz. Corn Henr. etc.* Necnon etiamsi fiat protestatio post accusationem, dummodo ante sententiam: *Bon. n.* 8. *Sayr. Pell. et Salm. ibid.* Advertendum vero, quod protestatio solum suffragatur in causa propria, non autem in causa aliorum nisi hi sint cognati, usque ad quartum gradum, ut *Pal.* §. 2. *n.* 6. *Conc. p.* 500. *n.* 19. et *Salm. cap.* 9. *n.* 17. *cum Bon. Corn. Pell. Henr. etc.* vel nisi causa sit propriæ Ecclesiæ, ut *Suar. n.* 20. *et Bon. num.* 5. *cum Mol. Sayr. Avila, Fill. Ugol. Rodr. Henr. etc.* idem ait *Concina,*

si causa sit domesticorum. Item, si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut non possint aliis vim separari; bene potes et quandoque debes Clericum Reum accusare post protestationem, immo etiam protestatione omissa, ut ajunt *Salm. cap.* 9. *n.* 17. quia talis accusatio est mera defensio innocentis.

469. Quæritur, an Episcopi possint dispensare in hac irregularitate, si fuerit occulta? Affirmant *Diana*, *Sa*, *Barbos.* etc. apud *Salm. c.* 9. *n.* 23. Quia Trident. concedit eis dispensare in omnibus irregularitatibus; excepto homicidio voluntario. Sed verius *Bon. p.* 5. *n.* 15. *Pal.* §. 5. *n.* 7. *et Salm. ibid. cum Bon. Ban. Hurtad. Pal.* etc. omnino dicunt esse negandum, quia Concilium clare ibi loquitur tantum de irregularitatibus provenientibus ex delicto. Prælati autem Regulares bene possunt cum suis subditis dispensare in hac irregularitate, sive occulta, sive publica; Quia Regulares concessionem universe habent dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, juxta limitationem datam *n.* 396.; ita *Diana part.* 2. *tract.* 4. *R.* 69. *et Salm. cap.* 9. *n.* 24. *cum Lez. Bord. Diana*, *Cand. Villal.* etc.

FACULTATES S. POENITENTIARIÆ.

470. Hic ultimo operæ pretium est adnotare in quibus casibus, aut censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, aut aliis pœnis recurri possit ad S. Pœnitentiariam pro absolutione, dispensatione, aut relaxatione. In Bulla quæ incipit *Pastor bonus*, edita a N. SS. P. Benedicto XIV. die 13. Aprilis 1744. (*in Bullario tom.* 1. Bulla 95.) habetur posse S. Pœnitentiariam I. absolvere a quibuscumque casibus et

censuris, etiam Bullæ Cœnæ, Regulares pro utroque foro; Sæculares vero tam Ecclesiasticos, quam laicos etiam in utroque foro a censuris publicis latis a jure; et etiam ab homine, si expirata sit jurisdictio Judicis, vel si lator censuras illas reservavit Sedi Apostolicæ, modo Judici et parti satisfecerint. Quod si pars injuste refutet satisfactionem oblatam, potest Pœnitentiarius convenientem satisfactionem arbitrari. II. Posse absolvere Hæreticos occultos, modo nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut hæreticos; item publicos Hæreticos, casu quo non est opus complices denunciare. Posse etiam absolvere Principes, Administratores rerum publicarum, et Episcopos, ac alios Prælatos a casibus publicis Bullæ Cœnæ. III. Posse dispensare in occultis irregularitatibus, et inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, non tamen ut post homicidium possint promoveri ad Episcopatum. Item etiam ab inhabilitatibus, et irregularitatibus propter hæresim, modo fuerint penitus occultæ. IV. Posse dispensare cum homicidis, et aliis, ut valeant profiteri in Religione approbata, et fieri deinde etiam Sacerdotes. V. cum male promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, et temporibus, non autem Sacros una die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. VII. Posse convalidare titulos Beneficiatorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, et ulterioribus remittere fructus male perceptos; componere vero cum Italis, Hispanis, etc. et cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de male

ablatis, vel retentis, si Dominus sit incertus, casus occultus, et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint a Regularibus, modo non excedant decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel præstita obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quæ virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiæ; vel cum virginibus, ut inirent Monasterium mulierum Pœnitentium. XIII. Posse relaxare juramenta, quæ non sunt in favorem alterius. XIV. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV. Dispensare commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem Divini officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus quisbusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, et pœnis; non autem in publico defectu Natalium quoad Generalatum; in publicis vero nonnisi auditis Superioribus. XVII. Posse absolvere Apostatas a censuris, cum reincidentia si non redeant intra præfinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint, usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere, ut ipsi transeant ad alium Ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad Religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia; non tamen ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ; neque ad consimiles Congregationes cujuscumque Ordinis. Idque quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, et dispensare super defectibus, et censuris etiam ob Clausuræ violationem. XX. Item concedere Confessarium Monialibus, vide dicta de hoc *lib.* 6.

n. 576.) XXI. Vacante Sede Apostolica, habere facultatem in foro conscientiæ etiam in casibus, a quibus vivente Pontifice non poterat; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se præsentent, hancque facultatem post Cardinalis Pœnitentiarii ingressum in conclave transire ad Signaturam. Alia quæ pertinent ad Matrimonii materiam, vide *lib.* 6. *n.* 114. Alia minus scitu necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus.*

Demum hic nota, quod cum Litteræ S. Pœnitentiariæ committuntur Magistro Theologiæ, vel Decretorum Doctori, possunt eas exequi Confessarii Societatis Jesu designati a Generali vel Provinciali de ejus licentia, ut concessit Gregorius XIII. 3. Aprilis 1582. Et idem possunt Lectores Jubilati Ordinis Minorum ex concessione Innocentii XI. 27. Novembris 1679. Ac ideo idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes: ita refert *Elbel tom.* 3. *Conf.* 20. *pag.* 506. *n.* 513.

Laus Jesu nostro Redemptori, et Mariæ Immaculatæ nostræ Reginæ et Matri.

Digitized by Google

AD LECTOREM
MONITUM.

IN Neapolitanis nostri hujus Operis Editionibus Catalogum Propositionum omnium a Romanis Pontificibus damnatarum, et praeter casus in Diœcesi Neapolitana reservatos, Encyclicas SS. D. N. Pontificis BENEDICTI XIV. Epistolas, et Decreta, quæ ad morum Theologiam pertinent, huic loco doctissimus Auctor apposuerat. Verum cum hæc omnia Prolegomenæ Dissertationi, quæ initio primi Tomi edita est, sapienti consilio inserta fuerint, (Part. II. cap 3. §. 2.) ea hic iterum recudere supervacaneum omnino visum est.

Hoc te monere duplici ex causa necessarium duximus. Primum, ne quis forte suspicetur Editioni huic nostræ aliquid deesse; tum ne, cum ad hunc locum in operis corpore sæpenumero amandaris, deceptum te fuisse arbitreris. Vale.

ELENCHUS

Quæstionum, quas Auctor, post primam Neapolitanam Operis editionem, rebus ad sediliorem trutinam revocatis, reformavit. In qualibet autem harum Quæstionum prius adnotatur locus libri primæ editionis, postmodum locus secundæ, ubi facta est correctio.

QUæstio 1. An legatarius possit sibi compensare legatum relictum in testamento non sollemni? In priori libro (*col.* 13. *vers.* 3. *Probabile etiam*) relata est opinio *Lessii, Mol. Gran. Salmanticensium*, *etc.* qui id probabile dixerunt. Sed in hoc præsenti libro id reprobatum est. Vide *lib.* 1. *n.* 35. *vers. Attamen.*

Qu. 2. An debitor donans aliquid suo creditori immemor debiti, excusetur a restitutione? In primo libro (*col.* 13. *v. Hinc I.*) relata est opinio *Rebellii*, *Card. et Diance*, qui probabilem putarunt opinionem affirmativam. Sed vide limitationem in hoc *l.* 1. *n.* 34. *et l.* 3. *n.* 700. *v. Qu.* 6.

Qu. 3. An fur mittens Domino rem furatam per virum fidelem teneatur ad iterum restituendum, si ille non reddat? in primo libro (*col.* 14. *v.* VI. *Similiter*) *Pal. Sot. Ledes. et Gabriel* adducuntur qui id negaverunt. Sed in hoc absolute affirmandum probatur. Vide *lib.* 1. *num.* 39.

Qu. 4. An sit obligatio ex superfluis statui elargiendi eleemosynam pauperibus laborantibus paupertate communi? In primo libro (*col.* 80. *lit. A.*) relata est opinio *Soti*, *Nav. S. An-*

tonini, *Vasq. etc.* qui negarunt. Sed in hoc melior visa est sententia opposita. Vide *l.* 2. *n.* 32. *v. Quæritur.*

Qu. 5. An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia in legem humanam? In primo libro (*col.* 83. *lit. A. v. Quæritur hic.*) visa est probabilior opinio negativa. Sed in hoc affirmativa probabilior visa est; Vide *l.* 2. *num.* 36.

Qu. 6. An qui inducit, sive directe, sive indirecte proximum ad peccandum, semper peccet peccato scandali? In primo libro (*col.* 85. *lit. A.*) dictum est cum *Palao*, *Sanch. Bonac. Azor. etc.* probabile esse quod is non peccet contra caritatem, nisi expresse intendat ruinam spiritualem alterius. Sed in hoc visa est vera sententia affirmativa; Vide *l.* 2. *n.* 45.

Qu. 7. An semper in Confessione sit explicanda circumstantia inductionis ad peccandum? in primo libro (*col.* 86. *v. Nota.*) reprobata est sententia negativa. Sed in hoc vide *dicta l.* 3. *num.* 46.

Qu. 8. An sit peccatum mortale petere ab aliquo quidquam quod ille non præstabit sine mortali, si jam sit paratus ad peccandum? In primo libro (*col.* 86. *v. Quær. II.*) relata est opinio *Soti*, *Suari et Azor.* qui id negarunt. Sed in hoc dictum est sequendum esse oppositum; Vide *l.* 2 *n.* 47.

Qu. 9. An peccent graviter mulieres ad sui ornatum partem pectoris ostendentes? In primo libro (*col.* 89. *lit. C. et col.* 250. *in fine*) actum est de hoc puncto sequendo doctrinam *Laymanni*, *Cajet. Nav. Salmant. etc.* Sed vide quomodo limitatur in hoc; Vide *l.* 2. *n.* 55. *v. Quæritur.*

Qu. 10. An liceat famulo comitari Herum

ad lupanar, vel eum ducere curru vel sella? In primo libro (*col.* 94. *lit. B.* relata est opinio *Busembai*, *Nav. Manuel. etc.* dicentium licere sola ratione famulatus. Sed in hoc requiritur saltem causa gravis damni subeundi. Vide *l.* 2. *num.* 64.

Qu. 11. An liceat famulo ratione famulatus deferre munera meretrici Domini? In primo libro (*col.* 94. *in fine Qu.* 2.) relata est opinio *Busembai*, *et Sanch.* id permittentium, si sit de esculentis et poculentis. Sed in hoc negatur; Vide *l.* 2. *n.* 65.

Qu. 12. An liceat famulo ob metum mortis subjicere humeros; vel deferre scalam Domino ascendendi ad fornicandum, aut vi aperire januam? In primo libro (*col.* 95. *Qu.* 4.) id omnino negatum est. Sed in hoc vide *dicta l.* 2. *n.* 66. *v. Qu. IV.*

Qu. 13. An liceat vendere vinum ei qui vendet mixtum aqua? In primo libro (*col.* 69. *lit. C. v. Puriter*) adducta est opinio affirmativa *Palai*, *Sanch. et Tamb.* si æque commode aliis vendi non posset. Sed in hoc id non admittitur, nisi ob metum mortis, vel infamiæ; Vide *l.* 2. *n.* 69. *v. Qu. VII.*

Qu. 14. An liceat vendere ornatus puellæ abusuræ? In primo libro (*col.* 96. *lit. D. v. Eodem.*) relata est opinio *La-Croix* citantis *Navar. Azor. Sanch. Bonac. etc.* qui dicunt licere, si illa æque emeret ab aliis. Sed in hoc id non admittitur, nisi venditor notabile patiatur incommodum; Vide *l.* 2. *n.* 72. *v. Eodem.*

Qu. 15. An liceat Aurigis, et Nautis ob solum lucrum mercedis vehere meretricem ad Amasium? In primo libro (*col.* 98. *v.* 8. *Licet.*) dictum est licere cum *Salmant. Sanch. Azor. Navar. etc.* Sed in hoc non admittitur nisi ob

metum gravis damni ; Vide *lib.* 2. *num.* 75. *v. An autem.*

Qu. 16. An sit peccatum mortale sine gravi causa petere mutuum ab Usurario parato, vel Sacramentum a Sacerdote peccatore parato ad ministrandum? In primo libro (*col.* 97. *n.* 4. *v. Utrum autem*, *et num.* 7. *v. Sed quæstio.*) relata est opinio *Lugonis*, *Soti*, *Sanch. Cajet. Led. Man. etc.* qui id negarunt. Sed in hoc dictum est id esse mortale tam contra caritatem, quam contra justitiam, nisi gravis causa necessitatis, vel utilitatis interveniat ; Vide *lib.* 2. *n.* 47. *et* 77. *v.* 4. *Licitum*, loquendo de Usurario ; et *n.* 79. de Sacerdote peccatore.

Qu. 17. An volenti frangere jejunium liceat sine gravis incommodi causa cibos præbere? In primo libro (*col.* 97. *n* 7. *v. Volenti.*) adducta est opinio *Lessii*, *Cajet. Nav. et Vasq.* id affirmantium. Sed in hoc reprobatum est ; Vide *l.* 2. *n.* 80.

Qu. 18. An in materia simoniæ, et usuræ possit deduci in pactum obligatio antidotalis ? In primo libro (*col.* 118. *lit. A. v. Quæritur in fine.*) dictum est cum *Salmant. Val. Cajet. Pal. Less. etc.* id licere, si pactum sit remunerandi in genere, nulla addita nova obligatione. Sed id omnino reprobatur. Vide *l.* 3. *n.* 53. *et n.* 764.

Qu. 19. An juramentum execratorium sit verum juramentum ? In primo libro (*col.* 146. *lit. A. v. Notandum.*) dictum est cum *Salm. Busem. Sanch. Pal. etc.* id communiter negari. Sed in hoc affirmatur, si in juramento expresse nominetur *Deus* ; Vide *l.* 3. *n.* 143.

Qu. 20. An in juramento assertorio sit mortale jurare cum defectu justitiæ ? In primo libro (*col.* 148. *lit. A.*) dictum est probabilius

esse tantum veniale. Sed in hoc additur esse mortale, si juratur ad firmandam detractionem; Vide *l.* 3. *n.* 146.

Qu. 21. An peregrinus possit dispensari in votis, juramentis, et legibus ab Episcopo loci, ubi reperitur? In primo libro) *col.* 758. *lit. E. v. Nota hic.*) id omnino negatum est. Sed vide *hic l.* 1. *n.* 158.

Qu. 22. An maritus possit occidere eum qui vult cum sua uxore adulterari? In primo libro (*col.* 239. *v. Dicendum II.*) id absolute negatum est. Sed in hoc id non reprobatur, si vir ante factum occidat, ne adulterium eveniat; Vide *l.* 3. *n.* 391. *v. Quando.*

Qu. 23. An peccent graviter spectatores qui ad comœdiam turpem concurrunt pecunia, vel plausu? In primo libro (*col.* 251. *v. Quæres* 2.) dictum est probabile esse non peccare spectatores secundos, nempe sine quibus etiam comœdia repræsentaretur. Sed in hoc visum est oppositum: Vide *l.* 3. *num.* 427. *v. Num autem.*

Qu. 24. An Beneficiarius expendens fructus Beneficii superfluos ad suam sustentationem in usus profanos, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 270. *v. Utrum autem.*) probabilior cum *S. Thoma*, *Sot. Lugo*, *Pal. Less. etc.* visa est opinio negativa. Sed in hoc probabiliorem diximus oppositam, per se loquendo; Vide *l.* 3. *n.* 490.

Qu. 25. An fur teneatur restituere cum damno graviore nempe si res non posset mitti ad Dominum, nisi expensis majoribus quam sit valor rei? In primo libro (*col.* 295. *lit. B.*) adducta est opinio *Salmanticensium*, *Soti*, *Less. Pal. Con. et Bus.* id negantium. Sed in hoc oppositum tenetur, nisi expensæ sint longe majores; Vide *l.* 3. *n.* 598. 697. *et* 753.

Qu. 26. An accipiens rem a fure, qui rem furatam cum suis permiscuit, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 299. *lit. B.*) adducta est opinio negativa *Tamburini cum Sanch. et aliis.* Sed in hoc omnino reprobatur. Vide *l.* 3. *n.* 612.

Qu. 27. An beneficiarius omittens Officium uno die possit excusari a restitutione, si suppleat in alio? In primo libro (*col.* 310. *in fin. Qu.* 5.) relata est opinio affirmativa *Salm. Molfes. Palud. Bonac. etc.* Sed in hoc tenetur negativa; Vide *l.* 3. *n.* 667.

Qu. 28. An Beneficiarius omittens partem Officii minorem quam integræ Horæ, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 311. *Qu.* 5.) relata est opinio negativa *Navarri, Tol. et Viva.* Sed in hoc verior visa est opposita; Vide *l.* 3. *n.* 668.

Qu. 29. An Beneficiarius simplex omittens Officium teneatur restituere omnes fructus Beneficii? In primo libro (*col.* 312. *Qu.* 10. *v. Quid etc.*) adducta est opinio *Henrici, Metinæ, et Manuelis*, qui dicunt teneri ad restitutionem tantum tertiæ partis fructuum. Sed in hoc illa reprobatur; Vide *l.* 3. *num.* 673. *v. Quid.*

Qu. 30. An licitum sit donum accipere a donante debitis gravato? In primo libro (*col.* 327. *lit. B.*) relata est opinio affirmativa *Lessii, Mol. Nav. Lay. etc.* Sed in hoc refutatur. Vide *l.* 3. *n.* 622.

Qu. 31. An sit necessarium in mutuo ad exigendum interesse, ut moneatur mutuatarius de justo titulo, qui jam adest? In primo libro (*col.* 343. *lit. E. v. Sed dubitatur.*) delatum est opinioni negativæ *Lessii, Lugonis, Bon. Trull. etc.* Sed in hoc verior est affirmativa; Vide *l.* 3. *n.* 769. *v. Sed dubitatur.*

Qu. 32. An mutuator possit retinere lucrum exactum, si aderat justus titulus, sed non monuit de eo mutuatarium; et contraxit bona fide? In primo libro (*col.* 394. *Quæst. III.*) adducta est opinio affirmativa (licet tamquam minus probabilis) *Lugonis*, *Dianæ*, *Sa*, *et Tanneri*. Sed in hoc refutata est; Vide *l.* 3. *n.* 773.

Qu. 33. An liceat res pretiosas quamplurimi vendere? In primo libro (*col.* 355. *lit. D.*) relata est opinio affirmativa *Soti*, *Tol. Dianæ*, *Tann. Val. Reg. etc.* Sed in hoc probabilior visa est contraria? Vide *l.* 3. *n.* 808.

Qu. 34. An, facto monopolio injusto a Mercatoribus, liceat aliis eodem pretio merces vendere? In primo libro (*col.* 357. *lit. G. v. Sed hinc.*) relata est opinio affirmativa *Salm. Bon. Trull. Reg. Med. etc.* Sed in hoc omnino melior visa est negativa; Vide *l.* 3. *num.* 817. *v. Sed hic.*

Qu. 35. An liceat rem infimo pretio emere ab aliquo nesciente ejus valorem? In primo libro (*col.* 357. *lit. H. v. Idem.*) amplexata est opinio negativa. Sed in hoc defenditur opposita; Vide *l.* 2. *n.* 829. *v. Idem.*

Qu. 36. An liceat Clerico conducere prædia aliena ad saginanda propria animalia, ut postea vendat? In primo libro (*col.* 361. *v. Quæres.*) dictum est licere, si conductio non afferat magnam distractionem a ministerio sacro. Sed in hoc id non admittitur, quia non caret cupiditate turpis lucri: Vide *l.* 3. *num.* 835. *v. An vero.*

Qu. 37. An pereunte re censita, pereat census de jure naturali? In primo libro (*col.* 366. *v. Qu.* 3.) dicta est probabilis sententia negativa cum *Soto*, *Pal. Salm. Covarr. etc.* Sed in

hoc omnino tenendam diximus affirmativam; Vide *l.* 3. *n.* 847.

Qu. 38. An cogens cum injuria alterum ad ludendum possit retinere lucratum? In primo libro (*col.* 375. *lit. D.*) adducta est opinio negativa. Sed in hoc probabilior visa est sententia affirmativa, modo ille qui cogit, non superet coactum in peritia ludendi; Vide *l.* 3. *n.* 880.

Qu. 39. An sit gravis obligatio relinquendi sua bona suis Fratribus, et Sororibus? In primo libro (*col.* 398. *lit. A.*) relata est opinio *Salmanticensium*, *Nav. etc.* dicentium non esse, nisi illi extreme indigeant. Sed in hoc diximus omnino tenendum peccare graviter relinquentem bona extraneis, si Fratres graviter indigeant; Vide *l.* 3. *n.* 946.

Qu. 40. An liceat revelare crimen alterius ad vitandum damnum proprium, si notitia criminis vi aut dolo excipiatur? In primo libro (*col.* 407. *lit. A. v. Sed hic.*) dicta est probabilis opinio affirmativa cum *Salm. Lessio*, *et P. Nav.* Sed in hoc melior visa est opposita; Vide *l.* 3. *n.* 969. *v. Sed hic magna.*

Qu. 41. An qui alteri occultam contumeliam irrogavit teneatur ad satisfactionem? In primo libro (*col.* 410. *v. Sed Quær.* 1.) relata est opinio negativa *Laymanni*, *et Molinæ.* Sed in hoc diximus omnino sequendam affirmativam; Vide *l.* 3. *n.* 985.

Qu. 42 An lædant jejunium electuaria sumta in modica quantitate ad delectationem? In primo libro (*col.* 419. *lit. F.*) adducta est opinio negativa cum *Salm. Sylvest. et Abb.* Sed in hoc dictum est contrariam omnino tenendam; Vide *l.* 3. *n.* 1019. *Quær. II.*

Qu. 43. An potio chocolatis possit sumi to-

ties quoties in die? In primo libro (*col.* 425. *v. Orandum.*) dicta est probabilis opinio affirmativa *P. Viva*, si sumatur ut potus usualis. Sed in hoc talis potio non admittitur, nisi pro uno tantum cyatho in die, ratione consuetudinis: Vide *l.* 3. *num.* 1023. *v. Secunda in fine.*

Qu. 44. An Religiosus expendens cum licentia generalis Prælati ad usus illicitos, peccet contra paupertatem, et teneatur ad restitutionem? in primo libro (*col.* 450. *lit. E. v. II. Quæstio.*) vocata est non improbabilis sententia negativa cum *de Alexandro*, *Suar. Binn. Lugo*, *etc.* Sed in hoc affirmativa amplexata est; Vide *l.* 4. *n.* 31. *et l.* 3. *n.* 873.

Qu. 45. An Patronus debeat præsentare digniores ad Beneficium curatum? In primo libro (*col.* 469. *lit. A. Qu.* 2.) dicta est probabilis opinio negativa cum *Palao*, *Garcia*, *P. Nav. Rodr. etc.* Sed in hoc dictum est, omnino tenendam affirmativam; Vide *l.* 4. *n.* 97.

Qu. 46. An Episcopus conferens Beneficium simplex minus digno peccet mortaliter? In primo libro (*col.* 291. *Quær.* 2.) delatum est sententiæ negativæ cum *Navar. Sa*, *Soto*, *Dicast. Gutt. Diana*, *etc.* Sed in hoc probabilior dicta affirmativa; Vide *l.* 4. *n.* 103.

Qu. 47. An Episcopus conferens Beneficium curatum minus digno, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 292. *v. Magis*) probabilis visa est opinio negativa *Navarri*, *Henrici*, *Ledesm. etc.* Sed in hoc amplexata est opposita; Vide *l.* 4. *n.* 109.

Qu. 48. An graviter peccet, et teneatur ad restitutionem, qui recipit Beneficium curatum cum animo dubio, vel conditionato suscipiendi Sacerdotium infra annum? In primo libro (*col.*

471. *lit. A.*) adducta est opinio negativa *Navarri*, *Barbosæ*, *Garciæ*, *etc.* Item opinio *Salmanticensium*, qui eam admittunt tantum, si animus est conditionatus. Sed in hoc melior visa est opposita, sive animus sit dubius, sive conditionatus; Vide *l.* 4. *n.* 114.

Qu. 49. An pluralitas Beneficiorum sit vetita non solum de jure Canonico, sed etiam naturali? In primo libro (*col.* 473. *lit. A.*) dicta est probabilis opinio negativa cum *Lugo*, *Innoc. Fill. Valent. Led. etc.* Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam, nisi accedat Dispensatio Pontificia, et justa causa; Vide *l.* 4. *n.* 117.

Qu. 50. An possit sine peccato gravi permutari Officium Divinum in aliud notabiliter brevius? In primo (*col.* 494. *lit. A.*) dicta est probabilis opinio affirmativa, excepto Officio Palmarum cum Officio Paschæ, vel Pentecostes, ut tenent *Sylvest. Salm. Vill. Diana, etc.* Sed in hoc non est admissa ut probabilis; Vide *l.* 4. *n.* 161. *v. Quær. III.*

Qu. 51. An Matutinum possit recitari duabus horis post meridiem? In primo libro (*col.* 496. *lit. D.*) probabilis dicta est opinio affirmativa cum *Salm. Sanch. Tamb Molfes. Led. etc.* Sed in hoc dictum est tenendam esse oppositam. Vide *l.* 4. *n.* 174.

Qu. 52. An peccata multiplicentur ex diversitate objectorum totalium, nempe si quis uno ictu occidit quatuor homines? In primo libro (*col.* 564. *v. An autem.*) dicta est probabilis opinio negativa cum *Suar. Lugo*, *Busemb. Viva*, *etc.* Sed in hoc amplexata est opposita; Vide *l.* 4. *n.* 45.

Qu. 53. An Confessarius in mortali successive absolvens plures Pœnitentes unum peccatum com-

mittat (*col.* 563. *v. II. Quoad actus.*) visa est probabilis opinio affirmativa cum *Salmant. Lugone*, *Viva*, *Sporer*, *etc.* Sed in hoc reprobata est; Vide *l.* 5. *n.* 50. *Qu.* 6.

Qu. 54. An, citra infamationem possit quis dissolvere amicitiam alicujus, narrando ejus defectus naturales, ut ipse succedat loco expulsi? In primo libro (*col.* 576. *lit. A.*) relata est opinio affirmativa *Salmanticensium*, *Soti*, *Bonac.*, *Arag. Prado*, *etc.* Sed in hoc amplexata est opposita; Vide *l.* 5. *num.* 82. *v. An citra.*

Qu. 55. An liceat se inebriare ex consilio Medicorum, si inebriatio æstimatur necessaria ad morbum expellendum? In primo libro (*col.* 577. *v. Non est.*) adducta est opinio affirmativa *Busemb.*, *Sylv. Cajet. Lessii*, *Salm. etc.* Sed vide quomodo in hoc limitata est, *l.* 5. *n.* 76. *Qu. I.*

Qu. 56. An liceat se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minitatur? In primo libro (*col.* 578. *lit. C.*) dicta est probabilis opinio affirmativa *Lessii*, *Laym. Bonac. Busemb. etc.* Sed in hoc amplexata est negativa; Vide *l.* 5. *n.* 76. *Qu. II.*

Qu. 57. An satisfaciat, qui se confitetur tempore Missæ? In primo libro (*col.* 210. *Quær.* 2.) adducta est opinio affirmativa *Palai*, *Hurtadi*, *La-Croix*, *Pichler*, *Gobat. etc.* modo aliquo modo attendat simul ad Missam. Vide *l.* 5. *n.* 314.

Qu. 58. An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri si Monasterium sit opulentum? In primo libro (*col.* 130. *v. Sed quæritur.*) relata est opinio affirmativa *Salm. Nav. Tol. Pal. Sanch. Bon. Sot. etc.* Sed in hoc amplexata est opposita; Vide *lib.* 3. *n.* 92. *v. Secunda.*

Qu. 59. An in Sacramento Baptismi aqua sit infundenda, dum actu dicitur: *Te baptizo?* In prima editione (*col.* 585. *lit. A.*) affirmatum est. Sed hac secunda probatum est sufficere quod forma proferatur, antequam materia desistatur applicari; Vide *l.* 6. *num.* 9. *v. Quæritur.*

Qu. 60. An omnes materiæ, et formæ Sacramentorum sint a Christo determinatæ in specie? Negatum est in priori libro (*col.* 804. *Qu.* 2.). Sed in hoc secundo oppositum probabilius visum est; Vide *lib.* 6. *n.* 12.

Qu. 61. An peccet graviter Minister conferens Sacramenta in mortali, etiamsi ad illud non sit specialiter ordinatus, vel si sollemniter non ministret? Negatum est in priori libro (*col.* 594. *et* 595.) Sed hic affirmatur; Vide *lib.* 6. *n.* 32.

Qu. 62. An peccet graviter Sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali? In priori libro (*col.* 655. *v. An autem.*) probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamus; *l.* 6. *n.* 35.

Qu. 63. An Minister possit dare Sacramentum indigno ob metum mortis? In priori libro (*col.* 395. *Dub.* 5.) probabilis visa est sententia affirmativa. Sed hic negativam tenemus; *l.* 6. *n.* 49.

Qu. 64. An Clericus habituatus in vitio turpi, vel alio, volens ascendere ad Ordinem Sacrum, possit absolvi ex simplicibus signis extraordinariis, tantum sufficientibus ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum? In priori libro affirmatum est, *col.* 598. *Quæres hic* 3. Sed hic negatur, nisi valde extraordinaria signa accedant, quæ probitatem positivam Ordinandi ostendant; vide *l.* 6. *in Dissert. ex num.* 63.

Qu. 65. An Sacerdotes ordinentur per solam manuum impositionem? In priori libro (*col.* 806. *lit.* F.) negavimus. Sed hic affirmativam sententiam probabiliorem censemus: *l.* 6. *n.* 749.

Qu. 66. An moribundus qui mane communicavit, possit eadem die sumere Viaticum adveniente morbo? In priori libro (*col.* 668. *lit.* *A.*) probabilem diximus sententiam tam affirmativam, quam negativam. Sed hic distinguimus, si morbus sit naturalis, aut violentus: *l.* 6. *n.* 285. *Dub.* 3.

Qu. 67. An Sacerdos negligens dicere Sacrum promissum, parvo stipendio accepto, graviter peccet? In priori libro (*col.* 676. *lit.* *C.*) diximus probabilem sententiam negativam. Sed hic affirmativam tutamur, *lib.* 6. *num.* 317. *Qu. III.*

Qu. 68. An Episcopus possit moderari numerum Missarum a Testatore præscriptarum? In priori libro dictum est posse, si fructus congruentes non percipiantur (*col.* 680. *lit.* *F.*) Sed hic negatur; *loc. cit.* *n.* 631. *Dub.* 1.

Qu. 69. An liceat privatim celebrare in die Cœnæ Domini? In priori libro adhæsimus sententiæ affirmativæ; (*col.* 687. *lit.* E.). Sed hic dicimus omnino tenendam negativam (*l.* 6. *n.* 350.).

Qu. 70. An Altare amittat consecrationem, si frangatur Sigillum, vel removeatur Sepulchrum cum Reliquiis? In primo libro probabile dictum est non amittere, (*col.* 693. *lit.* C.). Sed hic *l.* 6. *n.* 369. *ad n.* 3. *Dub.* 2. oppositum tenendum probamus.

Qu. 71. An sufficiant duæ Mappæ in Altari, vel una duplicata? In priori libro affirmavimus, (*col.* 697. *lit.* C.). Sed hic contrarium tenendum dicimus; *lib.* 6. *n.* 375.

Qu. 72. An aqua lotionis Corporalium possit projici alio quam in Sacrarium? In priori libro dictum est sufficere, si projiciatur in decentem locum; (*col.* 699. *lit.* E.) Sed hic contrarium probamus; *lib.* 6. *n.* 387.

Qu. 73. An Abbates possint consecrare Calices pro Ecclesiis alienis? In priori libro relata est sententia affirmativa (*col.* 699. *lit.* B. *in fine*). Sed hic oppositam tenendam dicimus; *lib.* 6. *num.* 381.

Qu. 74. An Pyxis debeat benedici? In priori libro retulimus sententiam negativam, (*col.* 698. *lit.* H.) Sed hic oppositam probamus *lib.* 6. *num.* 385.

Qu. 75. Si post sumptionem Sacerdos prudenter dubitat vinum fuisse acetum, an rursus consecrare debeat utramque materiam sub conditione? Hic affirmandum probamus *lib.* 9. *n.* 206. *v. Quoad.* Quidquid dictum sit in priori libro.

Qu. 76. A quo Episcopo debeant approbari Confessarii? In priori libro (*col.* 247. *lit.* E.) dictum est probabiliter posse approbari etiam ab Episcopo Confessarii, aut Poenitentis. Sed hic *lib.* 6. *n.* 548. dicimus omnino approbandos ab Episcopo loci.

Qu. 77. Doctor consultus a Confessario an teneatur ad Sigillum? In priori libro (*col.* 776. *lit.* G.) diximus probabiliter non teneri: Sed hic oppositum tuemur *lib.* 6. *n.* 647.

Qu. 78. An Mutus teneatur confiteri scripto? In priori libro probabilis visa est sententia negativa, (*col.* 726. *lib.* b.). Sed hic dicimus teneri, si commode potest; *lib.* 6. *num.* 479. *v. Qu.*

Qu. 79. An in Jubilaeo Confessio debeat fieri in eadem hebdomada in qua perficiuntur ope-

ra, ut possit Pœnitens absolvi a reservatis? In priori libro adhæsimus opinioni negativæ (*col.* 743. *lit.* A. *n.* 2.). Sed hic oppositam tenemus; *lib.* 6. *n.* 537.

Qu. 80. An qui in Jubilæo confessus est invalide, possit deinde a quolibet absolvi? In priori libro relata est opinio affirmativa: (*col.* 743. *n.* 1.). Sed hic negativam sustinemus; *lib.* 6. *n.* 537. *v. Qu. II.*

Qu. 81. An Parochus in aliena Diœcesi possit excipere Confessiones alienorum ex licentia illorum Parochi? In priori libro affirmavimus; (*col.* 746. *lit.* B.). Sed hic negamus; *l.* 6. *n.* 544.

Qu. 82. An simplex Sacerdos possit absolvere moribundum, præsente Confessario approbato? In priori libro (*col.* 752. *lit.* D.) relata est sententia affirmans, quam hic rejicimus; *lib.* 6. *n.* 562.

Qu. 83. An ignorans reservationem casus Episcopalis, eam incurrat? In priori libro diximus probabilem sententiam negativam (*col.* 757. *lit.* A.): Sed hic eam reprobamus; *l.* 6. *n.* 581.

Qu. 84. An absoluti indirecte a peccato reservato in casu necessitatis a non habente facultatem, teneantur postmodum Episcopo se præsentare? In priori libro negavimus; (*col.* 936. *v. An autem*). Sed hic observa distinctionem allatam *l.* 7. *n.* 91.

Qu. 85. An Confessarius errans culpabiliter circa valorem Sacramenti teneatur monere Pœnitentem de errore etiam cum gravi suo incommodo? In priori libro probabilem diximus sententiam negativam; (*col.* 766. *lit.* I.). Sed hic affirmativam tenemus; *lib.* 6. *n.* 619.

Qu. 86. An possit absolvi a simplici Confessario Peregrinus habens casum reservatum in

loco Confessionis tantum, et non in Patria? In libro priori relata est opinio affirmativa; (*col.* 758. *in fin. v. Quæritur an.*). Sed hic eam refutamus; *lib.* 6. *n.* 588.

Qu. 87. An qui confessus est Superiori, et oblitus fuerit reservati, remaneat ab illo directe absolutus? Hic probabilius negatur *l.* 6. *n.* 597. Quidquid in priori libro dictum sit.

Qu. 88. An incurrat suspensionem qui ordinatur cum Patrimonio donato, sed data antapoca, vel fide de reddendo illo donanti? In priori libro dicta est probabilis opinio negativa, (*col.* 829. 2.). Sed hic *l.* 6. *n.* 822. observa distinctionem tenendam, nempe si donans habuerit veram, vel ne, voluntatem donandi.

Qu. 89. Si quis post contracta Sponsalia cum una ducat aliam, an hac defuncta, teneatur ducere primam? In priori libro dictum est probabiliter non teneri (*col.* 845. *lit.* I.); Sed hic contrarium sustinetur *l.* 6. *num.* 875. *v. Quæritur.*

Qu. 90. An si quis ficte contraxit Matrimonium, ad illud revalidandum sufficiat, quod ipse solus apponat consensum? Hic *l.* 6. *n.* 1114. sententia affirmativa verior dicitur; Quamvis in priori libro (*col.* 899. *v. Hinc infertur*) non fuerit admissa.

Qu. 91. An sit nulla Dispensatio super impedimento inter propinquos, si taceatur copula inter ipsos præhabita? In priori libro opinio negativa probabilior visa est; (*col.* 904. *v. Quær.* 3.). Sed hic *l.* 6. *n.* 1134. omnino rejicitur, etiamsi copula non fuerit habita ad facilius obtinendam Dispensationem.

Qu. 92. An simplex Sacerdos possit absolvere a venialibus, et ab excommunicatione minori? In priori libro (*col.* 746. *lit.* A et *col.*

928. *v. Certum.*) opinio affirmativa, licet non fuerit admissa, non tamen omnino rejecta est: Sed hic *lib.* 7. *n.* 71. omnino rejicitur ob Decretum Innoc. XI.

Qu. 93. An absolutus ab Episcopo in necessitate a casu Papali propter impedimentum temporale, excusetur ab adeundo Romam, si parti jam satisfecerit? In priori libro dictum est probabiliter excusari, (*col.* 933. *Qu. III. in fin.*). Sed hic omnino teneri dicimus, *l.* 7. *n.* 87.

Qu. 94. An habens casum Papalem publicum, si punitus fuerit ab aliquo Episcopo, possit absolvi ab alio? In priori libro opinio affirmativa probabiliis visa est, (*col.* 930. *v. Hinc, infra Dub.* 1.). Sed hic contrariam veriorem dicimus, *l.* 7. *n.* 77.

Qu. 95. An Episcopi possint absolvere a Papalibus occultis extra Confessionem? In priori libro relata est opinio affirmativa, (*col.* 942. *ad n.* 8.). Sed hic *l.* 6. *n.* 593. *v. Eamdem*, illam refutamus ex Declar. Gregorii XIII.

Qu. 96. An liceat rescribere ad excommunicatum? In priori libro dictum est probabiliter licere, (*col.* 964. *lit.* F.). Sed hic negamus *l.* 7. *n.* 193. An autem liceat excommunicatum resalutare? In priori libro (*col.* 965. *Dub. II.*) opinionem affirmativam diximus absolute probabilem: Sed hic *d. num.* 193. oppositam censemus probabiliorem, licet primam non damnemus.

Qu. 97. An Duellum possit acceptari, ne incurratur magna et certa jactura bonorum? Quicquid dictum sit cum *Salmantic.* in priori libro (*col.* 970. *lit.* A. *Not. I.*) hodie hæc opinio damnata est a Bened. XIV. vide Tom. III. *lib.* 3. *n.* 400. Prop. IV.

Qu. 98. An Parentes possint cogere puellam

ad ingressum in Monasterium causa educationis? In priori libro (*col.*983. *in princ.*) probabilis dicta est opinio affirmativa: Sed hic *l.* 7. *n.* 212. opposita absolute probabilior visa est, nisi puella sit in periculo incontinentiæ.

Qu. 99. An incurrat irregularitatem ratione bigamiæ, qui contrahit duo Matrimonia nulla, vel qui ficte secundum Matrimonium init ad copulam extorquendam? Hic dicimus affirmandum *l.* 7. *n.* 446. *et* 447. Quidquid in priori libro dictum fuerit.

Adduntur aliæ recentes Retractationes opinionum, quæ in præcedenti Editione recensebantur.

Qu. I. Si quis probabiliter judicet implevisse votum, Horas Canonicas, sive pœnitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium non implevisse? Negant plures Auctores *l.* 1. *n.* 76. Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio jam contracta, donec certe non fuerit impleta.

Quær. II. An Declarationes S. C. Cardinalium vim legis habeant? Plures AA. negant, nisi editæ sint, non solum consulto Pontifice, sed etiam mandante, ut ipsæ sollemniter per totam Ecclesiam promulgentur; *lib.* 1. *n.* 106. *vers. Quær.* 2. Addendum tamen est, quod hujusmodi Declarationes, quæ jam in Ecclesia universaliter divulgatæ, et facto sic promulgatæ fuerint usu plurium annorum, vel relatione Auctorum communiter ipsas referentium, hæ satis omnes Fideles obstringunt.

Qu. III. An Episcopus dispensare possit in Statutis canonicis, in quibus dispensatio reservata non sit? Visa fuit prius satis probabilis

sententia affirmativa cum *Soto*, *Covarr. Castrop. Bonac. et S. Antonin.* Sed re melius perpensa, videtur negativa omnino tenenda ex *Clement.* 2. *de Elect. ubi : Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Cui congruit *c. Dilectus*, *de Temp. Ordin.*

Quær. IV. An Delegatus *Principis*, vel Delegatus *ad universitatem causarum*, possit subdelegare? Affirmatur *l.* 1. *n.* 193. Sed hoc est limitandum juxta id, quod dicitur *lib.* 6. *n.* 559. nempe hoc intelligi, cum delegatio facta est tamquam per Officium, aut cum delegatur alicui jurisdictio, uti privilegium perpetuo suo officio, sive Dignitati annexum.

Quær. V. An cesset lex, cessante fine legis in particulari? Allata est sententia, quæ id probabile vocat, hancque tenent *Salm. et Viva cum Cajet. Sylvest. Panorm. Valent Sa, Carden. Navarr. Abbate*, *Comit.* et aliis, *lib.* 1. *n.* 199. Sed hic advertendum, quod hæc opinio vix unquam in praxi probabilis erit, quia vix unquam eveniet, quod in particulari omne alucinationis periculum cesset.

Quæ. VI. Si quis ex intentione furandi centum aureos surripiat eos centenis vicibus moraliter interruptis, an tunc centum peccata perpetret? *l.* 5. *num.* 44. dictum fuit probabile esse unum furtum, sive peccatum committi. Sed melius re perpensa, dicendum hujusmodi furta esse centum distincta peccata mortalia, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se continet.

Quær. VII. Actus caritatis erga Deum eliciendus est saltem semel in mense, ut dicitur *l.* 2. *n.* 8. Addendum est quod eodem modo, nempe semel saltem in mense tenemur pariter elicere actum Caritatis erga Proximum, alioquin

difficulter hoc præceptum caritatis erga Proximum observare valebimus.

Quær. VIII. Dictum est *l.* 3. *n.* 244 non videri improbabile cum *Less. Salm. Bon. etc.* quod ab ipso vovente possit commutari votum in æquale. Sed dicendum cum *S. Th. Caj. Suar. et aliis*, esse multum probabilius, quod non possit; quia Deus potius vult rem promissam, quam aliam.

Quær. IX. Dicunt plures DD. apud *Bus. l.* 3. *n.* 381. licere viro honorato occidere aggressiorem conantem alapam ei impingere. Sed ibi addendum id, quod sapienter docet Sylvius: *Etiamsi honor sit bonum præstantius, quam divitiæ, aut nullum, aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris licet aggressorem interficere. In* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *quæst.* 9.

Quær. X. An Beneficiarii expendentes redditus Beneficii superfluos in usus profanos, teneantur ad restitutionem? *l* 3. *num.* 492. exposita fuit sententia affirmativa tamquam valde probabilior; sed peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi, signanter ob auctoritatem, et rationem D Th. *in* 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *Vide cit. n.* 492.

Quær. XI. Si quis furatus sit rem, cujus Dominus est incertus, cui restituere debet? *lib.* 3. *n.* 589. dictum est restitutionem faciendam esse Pauperibus, aut Locis piis cujuscumque loci. Sed huic plures addendæ sunt limitationes, quas loco citato, vel paulo post invenies.

Quær. XII. Utrum si crimen aliquod est publicum in quodam loco, possit sine culpa, saltem gravi, manifestari in alio, ubi illud est adhuc occultum? dictum fuit *l.* 1. *n.* 86. cum *Lug. Cajet. Nav. Salm. etc.* communissime,

contra alios, sententiam affirmativam esse valde probabilem. Sed vide *l.* 3. *n.* 976. ubi nunc sententia limitatur tantum pro delictis illis, quæ delinquentem aliis perniciosum efficiunt.

Quær. XIII. An in die jejunii notabiliter antevertens sine justa causa horam meridianam, graviter peccet? *l.* 3. *n.* 1016. dictum fuit cum *Lessio*, *Tol. Bonac. Laym. Salm. Castrop. etc.* probabiliorem esse negativam sententiam. Sed re melius ad trutinam revocata, dicimus cum *Azor. Sanch. Nav. Sylvest.* affirmativam omnino tenendam.

Quær. XIV. An Episcopus possit lites transigere super bona Ecclesiæ vertentes? *l.* 4. *num.* 187. *vers. Circa etc.* dictum est non posse. Sed hoc intelligendum tantum, quando Ecclesia ob transactionem deberet aliquid de rebus possessis cedere: secus si nihil cederet de possessis.

Quær. XV. Si votum sit certe emissum, sed tantum probabiliter impletum, utrum vovens teneatur omnino votum implere? Negant plures AA. nempe *Lug. Ronc. Salm.* cum *Laym. etc.* Sed censeo cum *Conc. Antoine etc.* votum implendum esse, cum enim votum est certum, possidet obligatio implendi votum.

Quær. XVI. An teneatur Pœnitens confiteri mortale peccatum certe commissum, si tantum probabiliter reputet illud confessum fuisse? Negant *Suar. Lug. Salm. et alii.* Sed dico cum *Concina* et aliis eum teneri peccatum illud clavibus subiicere, cum dubia sit confessio, et certa sit Confessionis obligatio. Sed vide quod dicitur *Lib.* 6. *de Pœnit. n.* 477.

Quær. XVII. An liceat conferre Sacramentum sub conditione, absque quod conditio ore exprimatur? *l.* 6. *n.* 29. *in fin.* affirmatum est cum *Tourn. Ronc. Castropal.* et aliis commu-

nissime. Sed quia non desunt Auctores aliqui, ut *Gonet*, *Juenin*, *Contens. Serry*, *etc.* qui tenent (licet parum probabiliter) valorem Sacramenti non pendere ab intentione Ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

Quær. XVIII. An teneatur quis confiteri peccatum mortale certe commissum, si postea sit in dubio, an illud fuerit vel ne confessus? *l.* 6. *n.* 477. dictum fuit non teneri, si credat probabiliter peccatum Confessario jam exposuisse. Sed nunc teneri dicimus, quia sicut certa fuit obligatio confitendi, ita certa debet esse confessio, vide tamen *cit. n.* 477.

Quær. XIX. An Sacerdos ab Ecclesia abscissus, uti si esset hæreticus, schismaticus, aut excommunicatus vitandus, possit absolvere eos, qui sunt in periculo mortis, si alius desit? *l.* 6. *n.* 560. *Quær. I.* probata fuit sententia negativa: Sed nunc probamus contrariam cum *Sylvio*, *Colet*, *Sylvestro*, *Cano*, *etc.*

Quær. XX. An si Pœnitens confessus sit Superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde a quolibet Confessario de illo absolvi? *l.* 6. *n.* 597. probavimus sententiam negativam; sed nunc ex auctoritate *Pontas*, *Colet*, et signanter *Sylvii*, qui affirmativam cum *Sylvest. Nav. Adrian. Angel. Covarr.* et pluribus aliis pro certa habet, eam reprobare non possumus.

Quær. XXI. An inhabilitas ad celebrandum, quam incurrunt Confessarii sollicitantes, incurratur ante sententiam? *l.* 6. *n.* 705. affirmatur; sed nunc vide id, quod dicitur in hac Editione *num. citato.*

Quæ, XXII. An Episcopi possint absolvere

ab excommunicatione eos, qui tentaverunt extrahere delinquentes ab Ecclesia? *Lib.* 1. *Append. II. pag.* 56. *n.* XXVIII. affirmatum est; sed nunc oppositum tenendum cum *Fagnano*, qui id probat; vide *loc. cit.*

Quær. XXIII. In Praxi Confessarii, posita post librum VII. dicitur *Cap. ult. num.* 287. Episcopis, eorumque Delegatis concessa esse facultas impertiendi Indulgentiam Plenariam Infirmis eam petentibus in articulo mortis; addendum ad hoc requiri, quod Episcopi hanc facultatem a Pontifice Regnante expostulent, et obtineant.

Quær. XXIV. In eadem Praxi *n.* 98. dicitur ex Rubrica illicitum esse in Missa adhibere vinum, quod *incipit acescere:* adverte ibi quod additum est.

Quær. XXV. In eadem Praxi *Append. III. n.* 122. dicitur, dubium esse an sit probabilis opinio, quod celebrare sine Cruce non sit mortale. Sed re maturius perpensa, nunc satis probabilis mihi videtur, cum inter Doctores sit communis, nec certum habetur fundamentum in oppositum.

Quær. XXVI. An Calix si denuo inauretur, denuo sit consecrandus? *tom.* 2. *l.* VI. *tract.* III. *de Euch. c.* 3. *dub.* 2. probabilius censui negandum cum *Laym. Lugo etc.* Sed re melius perpensa nunc puto cum *Ferrari*, *Suar. etc.* probabilius iterum Calicem esse consecrandum; vide adnotationem ultimo loco adjunctam in loco citato.

Finis.

Digitized by Google

PRAXIS
CONFESSARII

AD BENE EXCIPIENDAS CONFESSIONES

AB EODEM AUCTORE

EDITA

AD INSTRUCTIONEM TYRONUM CONFESSARIORUM

Digitized by Google

INTRODUCTIO.

1. MAgna utique erit merces, qua in æternitate compensabuntur boni Confessarii, et de sua prædestinatione ita securi sunt ii, qui se ad Animarum salutem occupant, ut Jacobus Apostolus (*Epist. c. 5. v.* 20.) perspicue hoc testetur his verbis : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit Animam ejus* (nempe ejus qui converti fecerit, et ut loquitur textus græcus, *Animam suam*) *a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Sed luget atque lamentatur Ecclesia, videns tot filios suos propter malorum Confessariorum sive imperitiam, sive incuriam,

sive impietatem ad gehennam destinari; etenim ex illorum bono aut malo regimine potissimum Populi pernicies, aut salus pendet. Habeantur idonei Confessarii (dixit S. Pius V.), ecce omnium Christianorum omnimoda reformatio. Non enim est dubitandum, quin, si omnes Confessarii ea pollerent scientia, et morum bonitate, quas tantum Ministerium exigit, nec Mundus ita peccatorum cœno deturpatus esset, nec Infernus tot baptizatorum Animabus repleretur. Et cum *bonitatem* dico, non hic intelligo illam solam habitualem, quæ simplicem Gratiæ statum, sed positivam bonitatem, quæ Ministrum Pœnitentiæ decet, cui tamquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem; quoniam cum Confessarius aliorum Conscientias dirigere debeat, maxime ei cavendum erit, ne nimia indulgentia, aut immoderato rigore

erret. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum Mulieribus et Adolescentibus sæpe versari, eorum Confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: Cum personis præclaris, abscissò omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari. Et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in caritate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hæ omnes partes, ut par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate, quam certe numquam assequetur ille, cui oratio non est perfamiliaris, nec meditatio est quotidiana; etenim alia via lucem, et gratias huic tanto muneri (etiam ipsis Angelicis humeris, ut dici solet, formidando) necessarias obtinere nemo potest. Sed deveniamus ad nostri laboris institutum, nempe ad praxim Confessiones ex-

cipiendi, de qua dumtaxat hic fiet sermo. In hac Praxi multas delibabo doctrinas ad ipsammet spectantes, sed nec repetam ea quæ in opere morali fusius descripsi, hic tantum (per interjectas litteras indicantes) adnotabo loca Operis, ad quæ lectorem remittam, ut copiosius doctrinas rationibus, et auctoritatibus confirmatas, perlegat.

CAPUT I.

De officiis confessarii.

2. QUATUOR sunt Officia, quæ bonus Confessarius exercere debet, Patris nempe, Medici, Doctoris, et Judicis. In hoc Capitulo de quolibet istorum sigillatim sermo erit.

§. I.

Circa Officium Patris.

3. COnfessarius, ut boni Patris partes adimpleat, debet caritate esse plenus. Et primo caritatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis Confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium, quia, ut has a se repellant, non est eis tantus animus; Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, ægre auditur, et conviciis oneratus arcetur; Unde fit, ut ille miser, qui postquam sibi maximam vim intulerit, quo ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in Pœnitentiæ Sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire, qui sibi opituletur, et se absolvat a peccatis, in perditæ vitæ lubricum laxis habenis præceps ruat, et in salutis desperationem incidat. Secus boni Confessarii agunt; cum ad se hujusmodi peccatores confluunt, benigne hos excipiunt, et (*quasi victor capta præda*) exultant, perpen-

dentes sibi sortem contigisse, Animam de manibus Dæmonis eripere. Sciunt hoc Sacramentum proprie non pro justis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etiam enim veniales culpæ, ut remittantur, non indigent Sacramentali Absolutione; cum multis aliis modis deleri possint. Sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare justos, sed peccatores. Marc.* 2. 17. Propterea Confessarius caritatis viscera induens, quo magis Animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore caritate eas amplectatur, eisque animum præbeat his aut similibus verbis. *Eja frater bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuæ conscientiæ sinus non introspexeris: sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias qui te hucusque ad pœnitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Lætare, quia Deus certe omnia peccata, quamtumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; Ideoque te expectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*

4. Caritatem deinde longe majorem ostendere debet in Confessionem excipiendo. Caveat ne se impetinentem, aut tædio affectum se exhibeat; nec ostendat admiratione pencelli de peccatis quæ narrantur; modo Pœnitens non sit ita animo durus, aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore, et sine ulla displicentia animique sensu exponeret, quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a Pœnitente quanta sit illorum deformitas, et magnitudo percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a letali lethargo expergefiat. Verum

quidem est, quod (ut dicunt Doctores) in actu Confessionis abstinere debent Confessarii a correctione facienda, ne forte exterriti Pœnitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo, ceterum multoties expediat ad ulteriora non procedere, et statim Pœnitentem corripere, præcipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen, ne eum exasperet, nec perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: *Eja frater, vis te ab hoc vitio resipiscere? Non ita est? Et quonium hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quæso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus; Hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quæ hucusque commisisti: Igitur dic omnia animo forti, vince teipsum: Confitere omnia sincere: Deus enim paratus est tibi parcere.*

5. Deinde in fine Confessionis opertet, ut Confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut Pœnitenti percipere faciat gravitatem, et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum caritate fiat. Verum tamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut Pœnitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam Animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi, considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali*

fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contemsisti? Si Jesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicitior, potuisses cum illo te gerere pejorem? Sed quæso, animadverte quis sit hic Jesus. Hic est ille qui cum esset Deus, nullius egens, factus est homo propter te: voluit mori in Cruce, ut te de Inferno redimeret. Ah fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in æterno igne Inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quod nisi mores in melius mutes, jam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Non consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriæ, alterum illic pœnarum? Age Fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quæ ad te suscipiendum sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus, et toto corde te adjuvare volo, veni ad me semper ab tibi lubet, quoniam invenies Patrem, qui te benigne suscipiet. Et firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas a malo, et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum! etc. (S. Franciscus Sales, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat, ut ipsi cognoscerent pacem qua fruuntur illi qui Deo adhærent, et vitam infelicem quam ducit qui a Deo alienus est). Postea adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, et si dispositus est, eum absolvat; et remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei pœnitentiam imponat (sed de his sequenti agetur.) Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens

videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic: *Eja frater tali die te expecto, ne prætermittas ad me redire; animo forti magnoque esto, ut tibi dixi, commenda te quotidie Beatæ Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum Confessiones excipientem, accede, te enim ante alios audiam: Si alibi ero, fac ut me arcessant, omnia deseram, ut tu confitearis.* Et sic dulcibus verbis a se dimittat. Hæc est via qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxime fieri potest caritate; alioquin, si ipsi in Confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a Confessione horrebunt, confiteri negligent, et effrænate in perditionem ibunt.

§. II.

Circa Medici Officium.

6. Confessario, ut sui Pœnitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo, et causa omnium spiritualium ejus morborum. Nonnulli Confessarii, præter species et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si pœnitentem dispositum vident, statim eum absolvunt: sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: *Discede a me, quia te absolvere non possum.* Aliter procedunt boni Confessarii; hi enim prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt Pœnitentes corripere,

eos ad Absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere.

7. His interrogationibus adhibitis, et cognita morbi origine ac gravitate, Confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse tamquam Pater debeat caritate Pœnitentes auscultare, tamen ut Medicus tenetur (quantum opus est) eos monere et corrigere, eos præsertim qui multis mortalibus gravati, ad Pœnitentiæ Sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si Pœnitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit Magistratus, Princeps, Sacerdos, Parochus aut Prælatus, si de aliquo sui muneris sine nimio animi sensu se accusaret. Ait Summus Pontifex Benedictus XIV. (a) Confessarii admonitiones Concionibus ipsis esse efficaciores; et jure merito, quia Concionatorem latent circumstantiæ particulares, quæ Confessario aperte innotescunt, ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones, et remedia quæ morbis expediunt applicare. Nec Confessarius tunc debet attendere alios Pœnitentes qui ipsum circumstant, nam, ut ajebat S. Franciscus Xaverius (b), melius est paucorum Confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas, et sine fructu. Hic animadvertere oportet, quam perperam agunt illi confessarii, qui si Pœnitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se eum abire jubent. Sciant propterea istiusmodi Confessarii, validis niti rationibus sententiam illorum Doctorum (c), qui volunt pro vi-

(a) *Bulla*, Apostolica. §. 12.
(b) *Tursell. in Vita l.* 6. *c*, 17.
(c) *Tom. VII. l.* 6. *n.* 608. *v. Hic adverte.*

ribus teneri Confessarium Pœnitentem, licet accedat indispositus, ad Absolutionem disponere; consideranda ei proponendo v. gr. injuriam maximam, qua Deum suis sceleribus afficit, periculum imminens ejus damnationis etc. Et parum refert quod alii expectent, aut inconfessi discedant; Confessarius enim de hoc tantum qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die Judicii rationem reddere debet.

8. Et ita etiam Confessarius tenetur admonere Pœnitentem de aliqua illius ignorantia culpabili, sive hæc sit juris naturalis, sive positivi. Quod si Pœnitens teneretur ignorantia inculpabili; tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, debet Confessarius ab hac ignorantia eum removere; si erit circa alia, de quibus potest dari ignorantia invincibilis, licet sit juris divini, et prudenter Confessarius existimet admonitionem non fore profuturam pœnitenti, tunc abstinendum ab admonitione erit, et pœnitens relinquendus in sua bona fide. Et in hoc conveniunt Doctores rigidioris sententiæ; ratio est, quia magis cavendum est a periculo peccati formalis, quam materialis, quia Deus tantum formale punit; siquidem hoc solummodo in sui offensam habet; hoc fuse probatum est in Opere Morali (*a*) cum communi DD. paucis exceptis. Qua de re hic etiam cum communi (*b*) infertur quod si quis Matrimonium contraxisset invalidum propter aliquod occultum impedimentum, et in bona fide maneret, et contra periculum subesset infamiæ, scandali aut incontinentiæ, si manifestaretur Matrimonii nullitas, tunc Confessarius debet eum in sua bona fide relinquere,

(a) *Num.* 610.
(b) *Num.* 611.

donec dispensationem a sacra Pœnitentiaria illi obtinuerit (excipe tamen, si dispensatio statim, et facile obtineri possit). Et in hoc casu, nempe cum in bona fide vivitur, si forte pœnitens se accusaret negasse debitum conjugale sine justa causa, dicunt Doctores (*a*) Confessarium debere pariter ad hoc illum obligare, dicendo in generali, quod conjuges tenentur sub gravi invicem debitum reddere. Quomodo autem se gerere debeat Confessarius cum Sponsis, qui jam jam contracturi sunt Matrimonium nullum, et timor prudens esset peccati formalis, aut scandali, si manifestetur ejus nullitas? Observentur resolutiones in Opere scriptæ (*b*), ubi fuse probatum est commune esse, et tutam sententiam posse Episcopum dispensare in impedimento dirimenti, stante illa urgenti necessitate. Et si aditus ad Episcopum etiam esset difficilis, et nullo modo posset evitari gravissimum periculum infamiæ aut scandali, retulimus (*c*) sententiam Auctoris (*instruct. pro novis Confess. p.* 2. *n.* 32. *ex Ronc. Surd. et Pignat. tom.* 3. *consult.* 33. *n.* 5.) qui ait non improbabile esse, immo tutum in praxi posse Parochum vel alium Confessarium declarare, quod lex impedimenti tunc non obliget, atque cesset, utpote potius nociva, quam utilis. Sed observa quæ loco citato fusius ibi dicuntur. Ita pariter omittenda esset correctio de restitutione facienda, si certe prævideatur futurum fore, ut pœnitens, qui nunc esset in bona fide, non pareat monitioni.

9. Nihilominus excipiendi sunt sequentes casus. 1. Si ex ipsa ignorantia redundandum esset

(a) *Ibid.*
(b) *Lib.* 6. *n.* 612.
(c) *Ibid. p.* 332. *v. Infer. II.*

damnum contra bonum commune (*a*), quia tunc Confessarius, cum ipse constitutus sit minister in bonum Reipublicæ, tenetur præferre bonum publicum bono privato pœnitentis, licet prævideat correctionem huic non esse profuturam. Qua de re omnino admonendi sunt Principes, Prætores, Confessarii, Parochi, et Prælati, qui proprio officio desunt; quia horum ignorantia, etiam invincibilis, semper damno erit Communitati, dum facili negotio alii putare possunt sibi licere quod vident a Superioribus factitari. Et, ut docet SS. Pontifex Benedictus XIV. (*b*), eodem modo se gerere debet Confessarius cum iis, qui frequentant Sacramenta, ne licitum judicetur ab aliis, quod impune ab his exerceri animadvertitur. Excipitur II. Si pœnitens interrogasset, quia tunc Confessarius teneretur pandere veritatem (*c*); in eo enim casu ignorantia non esset omnino invincibilis, prout requiritur ad hoc, ut omitti possit admonitio. Excipitur III. Si brevi esset pœnitens admonitioni assensurus, licet in principio non acquiescat (*d*). Quid autem faciendum sit in dubio, an correctio sit profutura, an nocitura? Vide in Opere (*e*).

10. Post debitas correctiones, sive monitiones, præstat, ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris, et propositi; quocirca monitos esse volo Confessarios, perpaucos esse illos pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedunt. Nonnulli Confessarii putant satis

---

(a) *Num.* 613.
(b) *Bulla*, Apostolica. §. 20.
(c) *lib.* 6. *n.* 616.
(d) *Ibid. v. Excipiendum III.*
(e) *Ibid. v. Utrum autem.*

suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulasne a Deo veniam de omnibus his* (quod revera non est verus actus doloris): *Te pœnitet ex corde omnium peccatorum?* Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum Confessariorum institutum, hi enim in primis elaborant, ut pœnitentes (sermo est de iis qui letalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos præparant, v. gr. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in æternum? In Inferno? Ah in illo igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam æternitatem! Igitur te pœnitet Deum offendisse, propter infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis si quis diceret, se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet, ut dicat se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet, ut eliciatur actus Contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinitum bonum: nullam illius rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam, et gratiam ejus. Eja ergo, quia offendisti Deum bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœniteat. Detestare et odio habe super omnia mala nmnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam promptus es millies mori, quam hæc in posterum committere?* Notandum hic 1. quod si pœnitens, obtenta absolutione, etsi immediate post confiteatur aliud peccatum, ut denuo absolvatur,

ei novus actus doloris eliciendus est, cum tunc novum fiat judicium (*a*). Notandum 2. esse probabile apud plures Doctores (*b*), ad hoc, ut Confessio sit Sacramentalis, debere novo dolore informari: quare, cum aliquis confitetur, quin prius actus doloris præcesserit, non sufficit (cum agatur de valore Sacramenti) si terminata Confessione eliciatur dolor, sed requiri amplius, ut post dolorem elicitum replicetur Confessio, saltem dicendo: *me accuso de omnibus iis, quæ modo confessus sum.*

11. Demum incumbendum est Confessario, ut applicet ea remedia, quæ opportuniora judicabit pro salute pœnitentis, imponendo ei eas satisfactiones quæ magis convenient ejus morbo, et eas quas prudenter judicabit illum fore executurum. Advertatur hoc, quod licet satisfactiones debeant respondere culpæ juxta Tridentinum (*c*), quod declarat participes alienorum peccatorum eos Confessarios, *qui levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt*; nihilominus justis de causis potest Confessarius minuere pœnitentias, si nempe pœnitens compunctione vehementi affectus sit, aut si Jubilæi, aut Indulgentiæ plenariæ curreret tempus, et præsertim si infirmitate aliqua, sive corporis, sive Animæ, laboraret. Et denique (ut paucis me expediam) semper et quando prudens timor exoritur, quod ipse correspondentem culpæ satisfactionem non sit adimpleturus. Ita communiter docent Doctores cum S. Thoma (*d*). Non negamus in Tridentino (*e*) haberi, injungendas esse

(a) *Lib.* 6. *num.* 448.
(b) *Num.* 445.
(c) *Sess.* 14. *cap.* 8.
(d) *Lib.* 6. *n.* 509.
(e) *Sess.* 14. *c.* 8.

satisfactiones pro modo culpæ; sed scimus etiam ibidem subjungi eas debere esse *pro pœnitentium facultate salutares, et convenientes. Salutares*, nimirum saluti pœnitentium utiles: et *convenientes*, correspondentes nempe, non solum culpæ, sed etiam viribus pœnitentis. Unde fit non esse salutares, nec convenientes eas, quibus vires pœnitentis, spectata spiritus debilitate, non sunt pares; tunc enim illis essent venenum potius, quam remedium. Et in hoc Sacramento potius intenditur vitæ moderatio, quam omnimoda satisfactio; idemque Rituale Rom. (*a*) ait a Confessario habendam esse pœnitentis rationem. S. Thomas (*b*) dicit: *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem, ut propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus desperet, et a pœnitentia totaliter recedat.* Et alibi (*c*): *Sicut exiguus ignis extinguitur, si multa ligna superimponantur; ita accidere potest, quod parvus pœnitentis contritionis affectus pondere pœnitentiæ deficiat.* Et subjungit: *Melius est Sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset injungenda, et injungat nihilominus quod pœnitens tolerabiliter ferat.* Et alibi (*d*): *Tutius est imponere minorem debito, quam majorem, quia melius excusamus apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in Purgatorio supplebitur.* Et idem docent *Gerson*, *Cajetanus* et præcipue S. *Antoninus*, qui (*e*) ait eam peniten-

(a) *De Sacr. Pœnit.*
(b) *Supplem. q.* 28. *art.* 4.
(c) *Quodlib.* 3. *art.* 28.
(d) *Opusc.* 64. §. 4.
(e) *Vide in lib.* 6. *num.* 509. *et* 510.

tiam injungendam esse, quam judicatur pœnitens postea verosimiliter executurus esse; et quam lubens acceptaturus. Et si pœniténs protestetur sibi tantas vires non esse, ut debitam persolvat pœnitentiam, sic S. Archiepiscopus concludit: *Tunc quantumcumque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet.* Cum sufficiat tunc (idem ait) imponere generalem pœnitentiam, nempe totum quod boni egerit, usurpando eadem verba Ritualis: *Quicquid boni egeris etc.* quæ opera injuncta in Sacramento ut docet Angelicus (*a*) virtute ejusdem Sacramenti, majoris erunt valoris ad satisfaciendum pro peccatis. Item addunt probabiliter Doctores multi (*b*) justam esse causam diminuendi pœnitentiam, si judicetur pœnitens hoc modo magis allici ad Sacramentum. Oh quanti valet sapiens illud consilium S. Thomæ de Villanova (*c*): *Facilem unam injunxeris, acriorem consulueris.* Expedit quoque, ut pœnitens cognoscat pœnitentiam, quam mereretur; propterea potest valde prodesse, si indicentur pœnitentiæ Canonum Pœnitentialium (quarum in Libro notabiliores adnotantur (*d*)). Juvabit pariter (ut dicit S. Thom. de Villan) suadere graviorem; postea vero imponere eam, quam prudenter judicabit a pœnitente adimplendam. Insinuat S. Franciscus Sales (*e*), et idem confirmat Rituale Parisiense (*f*) prodesse idcirco pœnitentem interrogare, si sibi ad illam pœnitentiam sufficientes sint vires, alio-

(a) *Quodlib.* 3. *art.* 28.
(b) *Lib.* 6. *num.* 510. *v. Idem.*
(c) *Serm. Fer.* 6. *post Dom.* Lætare.
(d) *Lib.* 6. *pag.* 277. *n.* 539.
(e) *Instruct. Confess. cap.* 8.
(f) *Vide lib.* 6. *num.* 509. *circa finem.*

quin in aliam commutabitur. Juvabit quoque aliquando, inter opera satisfactoria injuncta imponere aliquam satisfactionem gravem, sed non sub gravi culpa (*a*), aut aliud opus aliunde præceptum, aut debitum (*b*).

12. Ex hoc quod dictum est colligitur, quam imprudenter operari quosdam Confessarios, qui pœnitentibus imponunt satisfactiones eorum viribus impares. Quot istorum non dubitant absolvere recidivos indispositos, et eos pariter qui in proxima occasione peccandi versantur, et insipienter putant eos recuperare, si gravibus pœnitentiis a se oneratos dimittunt, licet prævideant illas non fore executuros: v. gr. injungunt illi, qui vix semel in anno dudum confessus est, ut octavo quovis die per annum confiteatur; quindecim decades Rosarii quolibet die recitandas illi, qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare: disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet quod licet inviti accepent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil harum executioni demandant; et credendo iterum esse in peccatum delapsos, quinimo putando (præcipue rudes) nullius momenti fuisse Confessionem factam, quia pœnitentiæ impositæ non fatisfecerunt, propterea ad pristinum perdite vivendi modum redeunt: et perterriti ob pœnitentiæ impositæ pondus, a Confessione horrent, et ita pergunt in peccatis tabescere. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed melius dicendæ forent inconvenientissimæ.

(a) *Lib.* 6. *num* 518. *Dub.* 3.
(b) *Num.* 513. *Dub.* 1.

13. Ceterum extra casum infirmitatis, et compunctionis extraordinariæ, non bene ageret Confessarius, si pro culpis gravibus adjungeret levem satisfactionem, quæ indicat levem obligationem; etenim, licet (cum expedit) possit adjungi opus, quod habita ratione peccatorum sit leve, attamen semper debet imponi satisfactio gravis quæ obligat sub gravi. Et hic oportet adnotare aliqua pertinentia ad praxim circa pœnitentias imponendas. Notandum I. Cum pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ, communis est sententia (*a*) ad nihilum amplius eum teneri, nisi facile esset sibi, ut posset a Confessario qui eam imposuit cognoscere. II. Non potest imponi pro occultis peccatis publica satisfactio; tenetur autem Confessarius has imponere, si alia via non possit occurri scandalo dato, vel honori alicujus palam detracto; sed non est adstringendus pœnitens ad publicam pœnitentiam faciendam, si ipse renuit, et alio modo possit scandalum reparare, nimirum Sacramenta frequentando, Ecclesias visitando, al aliquam Congregationem se aggregando, etc. (*b*) III. Aliquando potest imponi aliqua pœnitentia sub conditione, si pœnitens reinciderit (*c*). Sed animadvertendum hujusmodi pœnitentias forte multoties felicem non habere exitum, præcipue si per longum tempus duraturæ erunt; quia faciliter postea in relapsu negliguntur, et peccata multiplicantur. IV. Si unquam pœnitens sibi mutari pœnitentiam ab alio Confessario impositam petierit; volunt multi Doctores ei repetendam fore totam Confessionem huic Confessario, saltem in confuso, ut status

(a) *Lib.* 6. *num.* 520.
(b) *Num.* 512.
(c) *Num.* 524.

suæ conscientiæ huic notitiam præbeat. Sed multi alii etiam probabiliter dicunt (*a*), hoc non esse necessarium, cum sufficiat, quod Confessarius judicium faciat, ad hoc, ut mutet pœnitentiam, esse insufficientes pœnitentis vires illi oneri ferendo; cum contra possit ex ipsamet pœnitentia imposita arguere materiam peccatorum, pro quibus illa injuncta erat, et ita se dirigere potest, aut in mutando, aut diminuendo. Et probabiliter potest id Confessarius (*b*) ex se efficere, cùm prævidet, quod pœnitens verosimiliter pœnitentiam, ut antea, negligere perget. Attamen Confessario inferiori non est permissum immutare pœnitentiam impositam a Superiore pro reservatis; extra casum quo pœnitens difficulter posset regredi ad Superiorem, et contra gravis causa urgeret, ut pœnitenia mutetur, quia tunc rationabiliter præsumitur Superioris conniventia (*c*). V. Non potest mutari pœnitentia extra Confessionem, ne ab ipso quidem Confessario; tantum potest hoc fieri ab illo immediate post datam Absolutionem, et antequam pœnitens a Confessionali discedat (*d*).

14. Circa satisfactiones in particulari imponendas, advertendum, satisfactionem non solum debere esse medicinalem, sed etiam culpis præteritis satisfactoriam. Regula harum requirit, ut imponantur opera carnem coërcentia pro peccatis sensualibus, eleemosynas pro peccatis avaritiæ, orationem pro blasphemiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti. Quamvis autem maxime utile sit

(a) *Num.* 529. *Dub.* 1.
(b) *Ibid. in fin.*
(c) *Dicto num.* 529. *Dub.* 2.
(d) *Dicto num.* 529. *Dub.* 3.

imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas, nihilominus praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum, Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæ solent esse, nimirum aggregari ad aliquam Congregationem: quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio: *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me; ne tui proditor efficiar:* Visitare quotidie sanctissimum Sacramentum, et Imaginem quoque Mariæ sanctissimæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando: Rosarii saltem tertiam partem, et ter salutationem Angelicam mane et vesperi, dicendo: *Mater mea, adjuva me hodie, ne Deo peccem.* (Hanc tamen pœnitentiam ter recitandi salutationem Angelicam cum prædicta supplicatione ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis, qui ea uti non solerent). Cum cubitum iverint, dicere in lecto: *Nunc mihi morandum fuisset in Inferni igne*, aut dicere: *Veniet dies, quo mihi in hoc lecto moriendum erit.* Iis qui legere sciunt et potissimum Ecclesiasticis, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem. Monet autem S. Franciscus Salesius (*a*) non esse gravandum pœnitentem multis rebus, ne confundatur et terrefiat.

15. Sermonem autem facturus de remediis, quæ insinuari debent pœnitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda, sunt 1: amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creaverit. Et curetur pariter, ut pœ-

(a) *Instruct. Confess. c. 8.*

nitens cognoscat pacem interiorem qua donantur, qui Dei amicitia fruuntur, et Infernum quem ante tempus experiuntur, qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Sæpe se commendare Beatæ Virgini, Rosarium recitando, se commendare Angelo Custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum æternarum consideratio, et præ ceteris consideratio mortis: et patribusfamilias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium una cum filiis. 5. Dei præsentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt.* 6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari, cum animi dolore, et proposito. 7. Sæcularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, et Sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam. Et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

16. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate; v. gr. illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur, ut quotidie commendet Deo illum, quem odit, recitando pro ipso orationem Dominicalem, et salutationem Angelicam; et cum se turbari sentit memoria injuriæ sibi illatæ, reminiscatur contumeliarum quibus ipse Deum affecit. Illi, qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios, et occasiones aufugiat; et illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili ad resistendum factæ erunt proximæ. Huic præcipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter Salutationem Angelicam in honorem

Puritatis Beatissimæ Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram ejus Imagine propositum non peccandi, et supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem Confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur, *vinum germinans virgines*. Illi, qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur, ut novies, vel quinquies lingua signet crucem super terram, et ut quotidie saltem semel dicat orationem Dominicalem, et salutationem Angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit; et ut quolibet mane dum e cubitu surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat B. Virgini quolibet mane: *Domina mea, dona mihi patientiam*; et id non solum inserviet, ut Maria sanctissima sibi opituletur, sed etiam ut in occasionibus reperiatur habitus factus dicendi eadem verba. Aut adsuescat dicendo, *Maledictum sit peccatum meum; maledictus sit Dæmon, etc.* Alia remedia assignabit Confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, et munerum.

§. III.

Circa Officium Doctoris.

17. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (a). Confessario, ut Doctoris officio rite fungatur, opus est, ut bene sciat legem; qui enim eam ignorat, non potest alios docere. Sed hic advertendum est id quod scribit S. Gregorius, nempe officium di-

(a) *Malac.* 3. 7.

rigendi Animas per viam salutis æternæ esse artem artium : *Ars artium regimen Animarum*. Et S. Franciscus Salesius dicebat officium audiendi Confessiones esse omnium maximum, et difficillimum. Revera ita est. *Est omnium maximum*, quia est omnium scientiarum finis, qui nihil aliud esse debet quam salus æterna ; estque omnium *difficillimum*, dum primo, Confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum, atque artium notitiam ; secundo, quia scientia Theologiæ Moralis complectitur tot materias inter se diversas ; tertio quia in magna parte constat ex tot legibus positivis, et Sacris Canonibus, quorum intelligentiam debet accipi secundum suam veram significationem : præterea quælibet harum legum redditur difficilis, cum ratione circumstantiarum, quæ casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandæ sint. Quidam, qui eruditos, et Theologos magnæ notæ se jactant, Moralistas, quos *Casuistas* (nomen ignominiæ apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt hi sufficere, ut Confessiones rite excipi possint, principia generalia moralis callere ; illis enim posse resolvi (ajunt) omnes casus particulares. Quis negare potest omnes casus particulares esse his principiis resolvendos ; sed totum opus, et totus labor est in adaptando ad casus particulares, tantis diversis circumstantiis irretitos, principia hujusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat, nequit id fieri sine magna discussione rationum, quæ pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud, quod Moralistæ effecerunt, dum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent. Præterea, hac nostra tempestate ; ut dictum est, adsunt tot leges po-

sitivæ, tot Bullæ, tot decreta, quæ nequeunt sciri, nisi Casuistæ legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores hi Moralistæ sunt, eo antiquis utiliores. Justa ratione motus auctor Instructionum pro novis Confessariis (*a*) affirmat, multos Theologos quanto profundiores in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus, quæ, ut scribit Gerson (*b*), omnium difficillimæ sunt, et nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui in dies nova non accidant; ex quo infert, nunquam Confessario deserendum esse Theologiæ Moralis studium. Doctissimus *Sperelli* (*c*), pariter dicit longe errare eos Confessarios, qui totos in Scholasticæ studio se applicant, æstimantes tempus in Morali frustra expendi: et postea nesciunt distinguere lepram a lepra; qui error (subjungit) Confessarios simul, et pœnitentes in æternam perditionem trahit.

18. Non negamus autem minorem scientiam exigi in audiendis Confessionibus simplicium, et rusticorum, quam Curialistarum, Negotiantium, Ecclesiasticorum, et similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur Confessiones in Oppido, quam in Civitate: et præcipue si alicubi sit tanta Confessariorum inopia, ut pœnitentes deberent aut per longum tempus a Confessione se abstinere, aut alio proficisci (*d*). Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos Confessarios, qui cursim, lecta aliqua brevi Summa Morali, temere ad excipiendas Confessiones se intromittunt.

(a) *Part.* 1. 18.
(b) *Tract. de Orat.*
(c) *De Episcop. p.* 3. *cap.* 4.
(d) *De Episcop. p.* 3. *c.* 4.

Oportet saltem, ut Confessarius sciat I. ad quæ sua jurisdictio se extendat. Advertat hic quisque, Sacerdotes sæculares, et regulares alterius Ordinis non posse audire Confessiones Religiosorum, sine licentia suorum Prælatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, et socium non habeant, aut alium Sacerdotem idoneum ejusdem Religionis. Et tunc Religiosi possunt absolvi ab omni simplici Sacerdote, dum superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare juxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis Sacerdoti idoneo (a). Item quivis Confessarius scire debet casus, et Censuras reservatas, saltem eas, in quas frequentius incurri solent, prout Excommunicationes Papales quæ sunt in Bulla Cœnæ, hæresis externa, lectio aut retentio aut venditio librorum Hæreticorum, qui ex professo de Religione tractant, aut continent hæresim formalem: item quinque casus Papales Clementis VIII. qui sunt, percussio enormis, aut mediocris Clerici, vel Monachi, simonia realis, aut confidentialis, violatio Clausuræ Monialium ad malum finem, violatio immunitatis Ecclesiasticæ, et duellum: item excommunicationes a Pontifice Benedicto XIV. emanatæ in absolventes Complices in materia turpi (b), et in eos qui docent posse a Confessario exquiri nomen complicis, etiam per absolutionis Sacramentalis negationem, si revelare recuset (c); et aliæ excommunicationes obviæ, quæ observari possunt in tractatu de censuris. Sciat II. distinguere peccatum veniale a mortali, saltem in suo genere, quo communi-

(a) *Lib.* 6. *n.* 628.
(b) *Lib.* 6. *n.* 575.
(c) *Num.* 553.

niter occurri solet; et de aliis saltem dubitare sciat. III. Sciat interrogationes, quas facere debet, circumstantias peccatorum saltem speciem mutantes: quid constituat occasionem proximam, quid inducat restitutionis obligationem; item qualis esse debeat dolor et propositum, et denique remedia ad emendationem efficaciora. Et ut brevibus me expediam affirmo in statu damnationis esse eum Confessarium, qui sine sufficientia ad Confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum reprobat: *Quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* (a). Nec excusabit eum Episcopi approbatio, si manifeste se noverit inhabilem: approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *Manifeste*, dum qui tantum dubitaret, bene potest, immo debet quiescere in sui Superioris judicio confisus, si saltem sedulori studio se habilem reddere satagat. At nullus Confessarius intermittere debet Theologiæ Moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

§. IV.

Circa Judicis Officium.

19. Postremum Confessarii Officium est Judicis, et hoc importat, ut sicut Judex tenetur prius rationes cognoscere, inde causæ momenta

(a) *Lib.* 6. *n.* 491. *Oscæ c.* 4.

discutere, et deinde sententiam proferre: ita Confessarius prius debet conscius fieri pœnitentis conscientiæ, postea ejus dispositionem inspicere, et demum absolutionem impertire, aut negare. Et quoad primum munus, quod est peccata pœnitentis cognoscere, quamvis debitum examinandi conscientiam sit præcipuum pœnitentis, nihilominus (quicquid alii Doctores (a) dixerint), non est dubitandum, quin si Confessarius cognoverit pœnitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, teneatur ipse eum interrogare prius de peccatis, in quæ verosimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie, et numero, ut probatur ex *c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. et ex Rit. Rom.* (b).

20. Et hic multa animadvertenda sunt: I. perperam eos agere, qui rudes dimittunt, ut melius se examinent. Hoc *P. Segneri* (c) vocat errorem intollerabilem, et jure optimo; quia hujusmodi homines, quantum laborent, difficulter se examinabunt, ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse Confessarius eos examinare; et contra, cum dimissi sunt, periculum erit, ut exterriti difficultate se examinandi a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant (d); qua de re Confessarius debet ipse ex hujusmodi pœnitentibus peccata exquirere, eos interrogando secundum ordinem præceptorum, præcipue si sunt famuli, aurigæ, muliones, milites, satellites, caupones, et alii hujus generis, qui vitam solent ducere æternæ salutis negligentem, et rerum Divinarum ignorantes, procul a

(a) *Apud Lohner Instruct. pract. p.* 33.
(b) *Vide lib.* 6. *n.* 607.
(c) *Confess. Inst. c.* 2.
(d) *Ibidem v. Sed hæc; ad num. I.*

Concionibus, et Ecclesiis. Et hoc pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendæ essent Confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quod si non redeat, peribit (*a*). Advertat nihilominus Confessarius se non teneri tam minute hos interrogare; interroget tantum de peccatis, in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione, et capacitate; immo pœnitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus, et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc Confessarius nihil aliud tenetur interrogare (*b*). II. Notandum, melius esse si Confessarius sigillatim examinet peccata statim ac ea exponit pœnitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter Confessarius obliviscitur eorum quæ audivit, aut obligandus esset pœnitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa (*c*). III. Errare eos Confessarios, qui volunt certum judicium facere de peccati qualitate, an si grave, vel leve, exquirendo a rudibus istis si pro mortali habebant an pro veniali; hi enim multoties respondent, ut casus sibi verba suggerit; et hoc experientia testamur (ut ego millies observavi). Quod si Confessarius paulo post iterum interroget, respondent modo toto a primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur, cum non possit

(a) *Ibi ad n. III.*
(b) *Ibi ad num. II.*
(c) *Ibi ad num. IV.*

haberi numerus certus, curet Confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impedit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; et deinde interroget de numero, interrogando pœnitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense? proponens ei plures numeros, ex. gr. ter aut quater, octies vel decies, ut videat cui numero potius ille adhæret? Et si pœnitens numero majori adhæret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori. Sed in hoc Confessarius advertat, ne formet de numero judicium certum; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, appreliendendo peccata quotquot sunt coram Deo. Aliqui Doctores dicunt, quod circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum pravarum, et desideriorum, sufficit, plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse quod aliquis magis sit intentus ad externa negotia, aut moretur ubi sic occurrent pauciores occasiones cogitationum pravarum; alius erit magis alio animi passione allectus: ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc. ut formet judicium majoris, vel minoris frequentiæ actuum internorum. Ceterum post duas vel tres interrogationes, non debet angi Confessarius, si ei judicium, quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est, majorem claritatem sperare. V. Oportet animadvertere, quod, licet Confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debet Confessarius

esse valde rigorosus ad efficiendum, ut Confessiones jam factæ repetantur (a). Unde ait *P. Segneri* non esse obligationem repetendi Confessiones, *nisi in casu manifestæ necessitatis, et in quo error sit evidens.* Neque relapsus sunt certa indicia nullas fuisse Confessiones factas, præcipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet sibi aliquam vim fecerit. Aliud tamen judicium fieri debet, si pœnitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe, vel tres dies a Confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

(a) *Lib. num.* 505.

CAPUT II.

De Interrogationibus faciendis pœnitentibus rudibus.

21. NON speret hic meus lector me sermonem facturum de omnibus doctrinis ad Dei et Ecclesiæ præcepta pertinentibus, quoad ea quæ in ipsis permittuntur, aut prohibentur; de his enim satis actum in Opere Morali (*a*). Hic tantum adnotabimus interrogationes a Confessario plerumque faciendas pœnitentibus rudibus, qui judicantur non sufficienter suam conscientiam perquisisse; et pauca alia quæ præcipue notari debent, ad praxim maxime facientia, aliter quam speculative tractantur.

22. Circa I. *Præceptum*. Interroget 1. Pœnitentem, an mysteria fidei calleat; nam, si quatuor mysteriorum principalium ignorantia teneatur, nempe Deum esse, remuneratorem esse boni et mali, mysteria Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis ac mortis Jesu-Christi; erit absolutionis incapax, juxta propositionem 64. proscritam ab Innocent. XI. Item an sciat Symbolum fidei, præcepta Decalogi, Sacramenta, etc. saltem in substantia. Sed hic bene advertit celebris ille, et doctus Missionarius P. Leonardus a Portu Mauritio in suo *Discursu mystico, et morali, num.* 26. teneri confessarium instruere pœnitentes rudes in Mysteriis fidei, saltem in quatuor principalibus; quapropter sic subjungit, *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis hæc doceantur, quia nullus*

(a) *Tom. II. lib.* 3. *ex n.* 14.

alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est breviter eos docere prædicta Mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum efforment actus Fidei, Spei, Caritatis, et Contritionis, obligando tamen eos, ut in posterum perfecte instrui se faciant circa cetera mysteria scitu necessaria de necessitate præcepti. Et idem Auctor loquens de personis urbanis salutis propriæ negligentibus, quæ sibi magno rubori, et contumeliæ habent se de iis interrogari, ait decere Confessarium, ut ipsis sic dicat: *Eja eliciamus una simul Actus Christianos, dic mecum Deus meus, quia es veritas infallibilis, et quia sanctæ Ecclesiæ tu revelasti, credo quicquid Sancta Ecclesia me docet credere; credo præcipue te esse unum Deum, et tres Personas; credo Filium, cum Deus esset, se fecisse hominem, mortuum esse in cruce, resurrexisse, et ad Cœlos ascendisse, et illinc venturum esse omnes judicaturum, ut boni Paradisi gloria fruantur, et mali in æterno igne crucientur.* Præterea advertendum id, quod dicit Bened. XIV. in *Constit.* 42. *de Doctrina Christ.* §. 12. (vide in *Bullar. tom.* 1.) nempe negandam esse absolutionem pœnitenti, qui culpabiliter neglexit addiscere res fidei scitu necessarias de necessitate tam medii, quam præcepti. Sed circa res præcepti, ait posse absolvi ignorantem, si vere promittat addiscere, his verbis: *Eo quandoque casu pœnitens absolvi potest, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscit, et promittit operam se daturum addiscere necessaria necessitate præcepti.* 2. An superstitiones exercuerit, aut alios docuerit, et si in ipsis aliorum ministerio usus fuerit, quos ad suo peccato coperandum induxerit; quocirca debet rudes admonere, superstitiones numquam

esse licitas, quamvis ex caritate, aut necessitate fiant. Quæ autem actiones sint nec ne superstitiones; vide in Opere (a). 3. An unquam olim rubore suffectus in Confessione aliquod peccatum reticuerit? Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes, et mulierculas, qui raro frequentant Sacramenta, dicendo eis: *Forsan aliquis vitæ anteactæ scrupulus te mordet? cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab Anima tua depone, etc.* Hac interrogatione, ajebat quidam diligens Operarius, a se multas Animas a Confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat jam hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus, a quo peccare cessavit, confessus sit, et communicaverit? et si quotiescumque confitebatur, vel communicabat, ad sacrilegium advertebat? Contigit enim aliquibus interdum sacrilege confiteri, præcipue in pueritia, et postea horum oblivisci; hi enim non tenentur repetendas Confessiones oblivionis tempore factas. Item interroget, utrùm sciebant se talibus Confessionibus, et Communionibus etiam Præceptum Paschale transgressos fuisse? expedit autem ut hæc interrogatio de sacrilegiis fiat, in principio Confessionis, ne si postea fiat, et reperiatur jam commissum sacrilegium, tempus teratur inutiliter in repetenda Confessione, quæ forsan nihil habet dissimile a prateritis. Oportet autem operam dare, ut qui peccata reticuerunt, cognoscant, quam maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus Sanguinem Jesu Christi. 4. Interroget, si pœnitentiæ satisfecerit? Et si omiserit, an hoc acciderit pro-

(a) *Vide lib.* 2. *n.* 695.

pter oblivionem, aut quia noluit eam adimplere, aut quia distulit in posterum faciendam, aut ut sibi commutare faceret? et si in ea dilatione putabat peccare? 5. Circa scandala, si induxerit alios ad peccandum, aut si ut peccatum exequeretur abusus fuerit ministerio aliorum? Si cooperatus sit peccatis alienis? Tabernarios interroget, si ministraverint vinum illi qui soliti fuerunt ebriari (a)? Mulieres interroget, si verbis parum honestis, jocis, saltibus, risu, aut si fixis oculis aliquem inspiciendo, tunica nimis elevata, aut pectore aperto provocaverint viros ad malas cogitationes? Si munera ab illis ad malum finem data acceptaverint?

23. Circa hanc ipsam materiam scandali, potest interrogare insuper, an pœnitens cooperatus fuerit peccato alicujus; sed Confessarius in hoc debet esse valde peritus, ut dignoscat quando cooperatio sit formalis, et quando materialis. *Formalis* est, cum cooperatur actuali peccato alterius, ut evenit in fornicatione, aut cooperatur malæ voluntati alicujus, ut si in suam tutelam furem reciperet, quod vulgo dicunt, *guardar le spalle*. *Materialis* autem est, cum operam suam exhibet actui alicujus ex se indifferenti, qui ea abutitur ad malum finem, ut est præbere vinum volenti se ebriare; et hæc potest esse licita, cum adest justa, et cooperationi proportionata causa. Hic punctus, qui magni momenti est, et multa consideratione indigens, non mediocris mihi fuit laboris, ut veluti res exigebat, expediretur; observent ideoque rationes, et resolutiones in Opere (b) congestas.

(a) *Ibidem n.* 76.

(b) *Lib.* 2. *n.* 63. *v. Ad distinguendum*, *et lib.* 3. *n.* 571.

24. Circa II. *Præceptum* interroget de perjuriis, de votis transgressis, et de blasphemiis. Quoad perjuria interroget pœnitentem, si falsum juraverit, et an in judicio, vel extra, quia pejerando in judicio, etiam justitiam læsit, propter quod aliquando tenebitur, aut se retractare, aut damnum reficere. 1. Interroget de modo quo juravit, si *per Deum*, *per Sanctos*, *per Animam*; si enim juravit per coscientiam, aut *per fidem*, quin addiderit *fidem sanctam* aut *Christi*, probabilissime potest excusari a perjurio (*a*). Advertatur hic, multos rudes non apprehendere ut peccatum grave, pejerare per Sanctos, cum alterius damnum non intervenit. Et plerumque, cum in filios, aut famulos, irascentes dicunt, *per Deum*, *per Sanctos*, *per Christum te occidam*, *si iterum hoc facies*, non intelligunt tunc pejerare, etiamsi revera minas exequi non intendant, saltem non advertunt.

25. Quoad vota facta pariter Confessarius diligenter exquirat a pœnitente, si illud quod emisit, sit verum votum, quia vulgus sæpe confundit desideria, aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? Siquidem rudes sic interrogati facile negant, satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse, an non, si postea non satisfecisset; et ita melius cognoscetur, an sub gravi, vel levi se voto obligavit. Certus de hoc factus Confessarius hoc fuisse verum votum, exquiret, an si ob dilationem putavit peccare moraliter, aut

(a) *Tom. II. lib.* 3. *n.* 145.

judicabat se ab hoc excusari, quia sibi erat propositum illud adimplendi in posterum.

26. Hic juvat adnotare aliqua circa votorum Dispensationem, et commutationem. Jam sciuntur quinque vota reservata, Religionis nempe, castitatis perpetuæ, et trium peregrinationum, ad Romam, Jerusalem, et ad S. Jacobum Galliæciæ, non posse nisi a Papa dispensari, dummodo sint absoluta, non autem pœnalia, et conditionata (a). His adde votum perseverantiæ in aliqua Congregatione, vel communitate solitum emitti (prout fit in Congregationibus Missionariorum S. Vincentii a Paulo, et SS. Redemptoris nostra) quod Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, sub die 25. Novembris 1749. §. 32. sibi reservavit (b) alia vota possunt commutari aut dispensari ab Episcopis, qui possunt hanc facultatem aliis delegare (c); aut a Confessariis regularibus (d), aut ab aliis Confessariis per facultatem jubilæi, aut alterius privilegii sibi concessam. Loquendo autem de commutatione, Confessarium monitum esse volo, ne sit scrupulosus circa causam, quia quodlibet rationabile motivum pro causa haberi potest. Sufficiens est, ut ex commutatione voti sit minus periculum transgressionis (e); nec circa materiam æqualiter subrogandam, etiam non requiritur æqualitas lance libranda, sed sufficit, ut sit æqualis moraliter. Interroget Pœnitentem, quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensio-

(a) *Lib.* 3. *n.* 261.
(b) *Num.* 255.
(c) *Num.* 256.
(d) *Lib.* 3. *n.* 257. *v. Immo.*
(e) *Num.* 244. *in fine.*

nem, et in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit frequentia Sacramentorum (a). Advertat vota perpetua bene posse commutari in temporalia; dummodo adsit debita proportio; et sic etiam realia possunt commutari in personalia; et contra personalia in realia (b). Loquendo autem de Dispensatione, ad hanc requiritur causa gravior, nimirum periculum grande transgressionis, magna difficultas executionis, levitas, aut imperfecta deliberatio qua votum emissum est (c). Nihilominus semper laudabile erit adjungere hujusmodi dispensationibus aliquam commutationem. Hæ autem dispensationes, et commutationes possunt fieri extra Confessionem, modo facultas non sit concessa sub tali conditione, ut in jubilæo (d); sed consilii est eas facere in Confessione.

27. Quoad blasphemias interroget 1. si execratus fuerit in Sanctos? et quibus verbis usus fuerit, an dixerit male habeat vulgo *managgia*, vel *Atta*, aut *Potta?* Etenim dicere *managgia*, certum est esse mortale: *Atta* in se est veniale, quia tale verbum non continet contumeliam; sed aliqui rudes eumdem concipiunt horrorem ac cum dicunt *Managgia*, et tunc oportet accipi pro gravi blasphemia, et simul instruere pœnitentem tale effatum non esse blasphemiam. Dicere *Potta* in se esset grave peccatum juxta Idioma Hispanicum, sed in nostro blasphemia non est, cum nihil aliud significet quam interjectionem indignantis (e). Nihilominus bonum erit

(a) *Num.* 243.
(b) *Lib.* 3. *n.* 247. *v. Notandum.*
(c) *Num.* 252. *et* 253.
(d) *Num.* 257. *v. Immo.*
(e) *Lib.* 3. *n.* 124. *v. Neque.*

exigere numerum, cum rudes horrorem notabiliorem ex hoc concipiunt. Sed cum tale verbum sit æquivocum et cum possit accipi in sensu meliori, bene potest animadverti pœnitens, quod illud juxta nostram loquelam non est blasphemia, quandoquidem nostri indigenæ non intelligunt certe proferre illud in sensu pejore, idest Hispanorum Idiomatis, sed advertatur simul, ut caveat a scandalo, si unquam adesset.

28. Interroget 2. si execraverit in dies sanctos, nempe Pascham, Natalem, Epiphaniam, Sabbatum Sanctum etc. quod excusari non potest a mortali, licet multi rudes clare non apprehendant ut tale; sed quia est dubium, si apprehendunt, an non, investigetur de numero, et hujusmodi blasphemiæ accipiantur ut sunt coram Deo. 3. Interroget, si postquam protulerit blasphemias in Deum, in Sanctos, aut in dies sacros, immediate subjunxerit, *si eos ego feci*, aut *excepto Deo*. Etenim illi rudes, qui dicunt ita unico actu, bene notat Auctor Instructionum pro Confessariis Pagorum (*a*), saltem excusari a gravi, propter ignorantiam, dum non intendunt tunc blasphemiam proferre, et licet in Opere (*b*) dixerim, tale effatum esse veram blasphemiam, quia ad blasphemiam non requiritur intentio execrandi, sed sufficit quod propositio sit in Deum, aut in Sanctos contumeliosa, nihilominus melius mihi rem consideranti videtur esse probabile hanc non esse blasphemiam, siquidem verus uniuscujusque propositionis sensus ab ultimis verbis designatur; unde

(a) *Cap.* 5. *pag.* 141.
(b) *Lib.* 3. *n.* 124. *v. Sic quoque.*

bene dici potest præfatam propositionem, integre acceptam, non importare contumeliam. Sed aliter dicendum, si ille postquam vere execratus fuerit, ut malo jam patrato mederetur, diceret *si ego feci*, *etc.*

29. Notandum 4. quod cum rudes dicunt, *maledicta sit fides tua*, vulgo *managgia la fede tua*, non accipitur ut blasphemia, quia non intelligunt fidem christianam, et nomine *Fidei* potest quoque intelligi fides humana; aliter autem debet judicari si execrarentur in *fidem sanctam*, aut *Christi*. Ita pariter non est mortale maledicere *Mortuis*, nisi nominarentur aut intelligerentur præcise a proferente Animæ Purgatorii, vel mortui in Christo, aut Animæ Mortuorum. De hoc puncto jam in Opere (*a*) locutus sum: sed quia hoc est punctum ab aliis Auctoribus non discussum, refert illud hic ad trutinam revocare, ut clarius patefiat, atque præsertim alicui Anonymo respondeatur; qui in quadam sua Epistola mihi contradixit, aliqua objiciens.

Dico autem maledictionem *Mortuorum*, per se loquendo, non esse blasphemiam, neque in se, neque ex relatione illorum, qui eam pronunciant. Non est in se, quia vox *Mortui*, proprie est terminus *privativus*, qui homines significat vita functos, nunc amplius non existentes; et in tali supposito verbum *Mortui*, nec Animam, nec corpus importat. Quamobrem loquendo in philosophico rigore, qui mortuis maledicit, nemini injuriam irrogat: dum rem maledicit, quæ amplius non existit.

Dicet aliquis; sed hic vox *Mortui* accipitur, non ut terminus *Privativus*, sed ut termi-

(a) *Lib.* 2. *n.* 130.

nus *Analogus*, qui utrique, tam Animæ quam Corpori referri potest. Respondeo primum, quod is qui hoc dicit, loquitur jam de relatione mentis; sed ego loquor de eo quod verbum *Mortui* in se importat. Sed adhuc illum sumendo ut terminum *Analogum*, respondeo secundo, quod sub voce *Mortui*, principaliter, et *in recto* (ut dicunt Philosophi) solum venit corpus, quod solum mortuum dici potest, cum Anima immortalis sit. Dumtaxat *in obliquo* Anima queit intellecta venire, nempe Anima Mortui, eo quod olim ipsa forma fuit Corporis illius, cui vitam præbuit. At supposito quod vox *Mortuus* principaliter respicit Corpus, et minus principaliter Animam, cum aliquis *Mortuos* nominat, per se loquendo, non de eorum Animabus, sed de Corporibus intelligitur; ut de Animabus intelligatur, opus est, ut ille aut speciatim in suâ mente de Animabus loqui intelligat, aut saltem quod alia sermonis verba Animas denotent, prout est illud quod scriptum est in Machabæis (*l.* 2.): *Sancta et salubris est cogitatio pro Defunctis exorare.* Hic verbum *exorare*, jam denotat de Animabus Mortuorum fieri sermonem.

Per se igitur loquendo, maledictio *Mortuorum* blasphemia non est. Videamus nunc, an blasphemia sit propter mentalem relationem eorum qui illam proferunt. Et dicimus secundo loco, nequaquam ex relatione blasphemiam esse; quoniam ii qui *Mortuis* maledicunt, ordinarie a consideratione Animarum ipsorum præscindunt. Hic autem Auctor Epistolæ me improperat, quod distinguere nesciam terminum *Abstractum* a *Concreto*. *Abstractus*, me instruit, ille est qui formam significat, a subjecto præcisam, prout est pulchritudo, albedo, etc. *Concretus*

vero significat subjectum cum forma, conjunctum, ut est homo pulcher, charta alba, etc. Hinc dicit vocem *Mortuus* significare hominem, qui olim Anima et Corpore constabat, sed nunc importat Corpus et Animam disjunctam. Et ex hoc concludit, quod *Mortuos* alicujus Persona maledicens, non solum eorum Corpora, sed Anima etiam maledicit.

Respondeo. Ego non dico quod *Mortuos* maledicens eos considerat tamquam abstractos, scilicet tamquam formas sine subjecto: sed dico quod præscindit a considerandis Mortuorum Animabus, quæ nunc existunt. Aliud est abstrahere quod est considerare aliquam formam sine subjecto: aliud præscindere, quod est considerare quoddam subjectum, præcisum ab aliqua circumstantia aut qualitate, quæ respici potest. Certum est homines vita functos nunc eosdem non esse, qui vivendo fuerunt. Tunc tot erant personæ Anima et Corpore conjunctis compositæ, nunc vero eorum Animæ, et Corpora existunt quidem, sed disjuncta existunt. Quapropter, cum *Mortui* maledicuntur, non ideo necessario ipsorum Animæ maledictæ veniunt, nisi cum illæ specialiter exprimuntur, vel intelliguntur.

Sed denique Auctori Epistolæ concedamus, quod ipse aggressus est sustinere, nimirum quod *Mortuis* maledicere idem sit quam eis maledicere ac si viventes essent. Quæro: Ergo qui hominem vivum maledicit, semperne letaliter peccat? Omnes DD. ajunt, *Cajetanus*, *Sotus*, *Molina*, *Grado*, *Azorius*, *Lugo*, et alii cum *Salm. de Restitut. cap.* 4. *n.* 27. *et* 28. ex D. Thoma 2. 2 *quæst.* 86. *art.* 4. tum maledictionem in proximum peccatum esse mortale; cum ipsa est formalis, scilicet (ut explicat *Cu-*

jetanus) cum prixímo optatur damnum, et damnum grave, quod aliquis illi imprecatur; non vero cum maledictio est tantum materialis, nempe sine pravo animo prolata. Et quidem in vivente certe Corpus, et Anima simul existunt. Et quare non est mortale? quia qui maledicit homini viventi non semper proximi Animæ intendit maledicere, et contumeliam inferre substantiæ illi, in qua specialiter Imago Dei splendet, sed præscindit ab Anima respicienda, et ita gravem non committit culpam. Qui creaturis irrationabilibus maledit (docent idem D. Thomas *loc. cit. art.* 2. et omnes) si eas respicit in quantum sunt creaturæ Dei, mortaliter peccat, veramque patrat blasphemiam; non vero jam si præscindit ab eis considerandis ut tales, et tantum eis maledicit secundum se consideratis, et quidem omnes ipsæ sunt creaturæ Dei. En quod D. Thomas etiam præcisionem hanc admittit. Ita pariter, qui *Mortuis* maledicit, si maledicit in quantum ad Animas eorum, graviter peccat; non autem si præscindit, et mortuis maledicit, quin specialiter Animas respiciat. Dicere autem quod omnes qui maledicunt *Mortuis*, omnes jam intendunt etiam eorum Animabus maledicere, ego et tot alii Confessarii, pœnitentes interrogando, oppositum comperimus. Tanto magis quod ordinarie isti qui mortuis maledicunt, non jam eos lædere intendunt, sed vivos quibus ad instar contumeliarum hujusmodi maledictiones dirigunt. Verumtamen hæc est materia facti, quisque Confessarius in hoc, pœnitentem diligenter interrogando, poterit se a dubio eximere.

Dicere autem quod licet quis solis Mortuorum corporibus maledicere intendat, nec etiam culpa gravi excusari potest, propter respectum quem

Ecclesia habet corporum mortuorum, eis incensum præbendo, aqua lustrali aspergendo, et cum pompa sepeliendo: Nescio quomodo quis ob hanc rationem id suadere sibi possit. Nolo in hoc immorari. Paucis me expediam, et dico, quod prædictæ functiones non sunt quidem exhibitiones alicujus cultus Religiosi erga corpora mortuorum, sed tantum quædam cærimoniæ, quas Ecclesia etiam erga viventes adhibet. Si igitur honor qui fit Defunctis, major non est illo qui vivis exhibetur, nec contumelia major erit. Sed cur (subdit Auctor Epistolæ) leges gravius puniunt qui adversus cadavera sæviunt? Respondeo: puniunt, non ratione contumeliæ, sed ratione iniqui animi, qui in tali actione manifestatur, et qui adhuc in occidente Infidelem, aut Hæreticum a lege mulctatur. Alioquin si hoc esset in se gravis cadaverum injuria, ejusdem criminis essent rei qui ob usum Anatomiæ ipsa incidunt et laniant.

Ceterum id, quod concludo, est maledictionem in mortuos, per se loquendo, nec blasphemiam, nec culpam mortalem esse. Et invenio, quod tres Auctores (jam in Opere citati) qui soli de hoc puncto scripserunt, idem pronunciarunt. Præterea, ego pro majori meæ conscientiæ pace, de hoc pluribus doctis Viris Neapolim scripsi, et etiam tribus Congregationibus Presbyterorum Missionibus addictorum, ubi flos Cleri Neapolitani existit; et uno exemplo fuerunt responsa omnia meæ sententiæ conformia. Ac P. Sabbatinus (tunc temporis Pius Operarius, nunc dignissimus Aquilæ Prælatus) mihi respondit, cunctos Pios Operarios, tam præsentes, quam antiquos, idem uniformiter sensisse. Insuper, cum quamdam Epistolam de hoc puncto typis dederim, adversus quam postmodum Anonymi E-

pistola prodiit, de quo supra mentionem jam feci, accepi tamquam certum, utramque scripturam a Nuncio trasmissam fuisse ad Summ. Pont. Bened. XIV. qui postquam curam dederit controversiam discutiendi R. P. D. Thomæ Sergio Pio Operario, S. Officii Romæ Consultori (qui nunc suum obiit diem), ipse pariter mecum sensit, maledictionem *mortuorum* non esse blasphemiam. Et ab alio P. Pio Operario mihi affirmatum deinde fuit, quod idem etiam Pontifex, cognita P. Sergii sententia, ostendit eam approbare.

30. Dubitatur 5. an maledicere *Mundo* sit blasphemia. Auctor ipsius Instructionis negavit, sed ego contrarium ostendi (*a*); nihilominus dixi, quod si pro Mundo intelligeretur Mundus qui Deo adversatur, certe non esset peccatum. Sed quia verosimiliter rudes non sic intendunt, sed potius ut creatum a Deo, et de hoc se accusant cum magno horrore, dico probabilius accipiendum esse pro culpa gravi. 6. Maledicere creaturis insensatis, ut vento, pluviæ, annis, diebus, igni, etc. non est blasphemia, nisi hujusmodi creaturæ expresse Deo non referrentur, prout si diceretur, *maledictus sit ignis Dei, panis Dei*, etc. Maledicere autem Paradiso, aut Animæ (quia in Anima splendet specaliter potentia, et imago divina) non est dubitandum quin sit gravis blasphemia (*b*). 7. Maledicere Dæmoni, non est mortale, quia maledici solet ut auctor mali, et Dei inimicus: ideoque in se veniale quidem est, præscindendo ab actu impatientiæ, qui tamen facile comitatur (*c*). Di-

(a) *Lib. n.* 129. *v. Sed hic.*
(b) *Dict. n.* 129.
(c) *Ibid. v. Maledicere.*

cere autem Diabolum *sanctum*, aut *omnipotentem*, est vera blasphemia, ac gravis, sed immo hæreticalis, si proferretur cum intellectus errore, qui quidem regulariter loquendo non præsumitur. Sed non est blasphemia appellare Dæmonem *potentem*, aut *sapientem*, quia ille natura sua talis est; dummodo hoc non diceretur, ut ei honor præstaretur; aut dicere vulgo, *santo Dia...*, *santo Diana* (a). Interroget 8. Quoties et qua occasione blasphemaverit; si in ludo, aut in caupona, aut venatione? et a quanto tempore versetur in hoc vitio? ut cognoscat si est recidivus, aut si sit in occasione proxima, quam pœnitens teneatur auferre.

31. Interroget etiam si blasphemavit coram filiis, aut famulis; tunc enim, præter blasphemiæ peccatum, peccavit etiam scandali. Demum hic addo cum quodam docto Auctore, blasphematores non excusari a peccato gravi, eo quod propter vim habitus mali, aut vehementem animi commotionem ad iram, non adverterint ad id quod dicebant; quia hi male habituati, licet habeant cognitionem minus vivacem aliis, qui usum blasphemandi non contraxerunt, tamen semper habent eam actualem cognitionem sufficientem ad hoc, ut actus sit deliberatus, et graviter peccaminosus. Cum enim ipsi tanti mali non faciunt peccatum, ideo in suo animo nullum hujus sceleris sensum experiuntur, sicuti perciperet alius, qui esset conscientiæ non tam depravatæ; et hinc oritur quod in eorum mente, ne signum quidem remaneat actualis cognitionis, quam in peccato habuerunt; aut si vestigium aliquod cognitionis relinquitur, est ita

(a) *Lib.* 3. *n.* 123. *v. Insuper.*

leve, ut interrogati faciliter respondeant se non animadvertisse: sed diligens Confessarius nullam in hoc debet eis præstare fidem; et neque debet ab his seiscitari, an adverterint nec ne, sed accipiendæ sunt omnes, ut vere blasphemiæ actuales, semper ac ipsi sciebant tales esse.

32. Circa III. *Præceptum*. Quoad obligationem audiendi Sacrum diebus festis, interroget pœnitentem, si aliquoties Sacrum omiserit? et si advertit ad omissionem? an dubitaverit tempore quo Sacrum audire poterat? etenim multoties pœnitens ad horam tardam Sacrum audire differens, licet casu repererit Sacrum, et illi interfuerit, nihilominus sine justa causa in periculum illud omittendi se injecit, et de hoc rudes non se accusant. Item si pœnitens se accusabit Sacrum omisisse, interroget de causa, an propter necessitatem, ut accidit famulis qui non possunt gregem derelinquere, aut matribus quæ domi non possunt relinquere pueros, aut conjunctis, qui non possunt relinquere infirmos, aut itinerantibus qui non possunt a comitatu disjungi sine gravi incommodo, ut esset subire periculum quod expolientur a latronibus, aut viam errent, si soli pergant, etc. (*a*); aut accidit alicui qui vestes se decentes non habeat, quibus in Ecclesia decenter compareat (*b*).

33. Quoad opera autem servilia, quæ in die festivo prohibentur, interroget si laboravit die festo? et si ille affirmat, interrogetur 1. quantum temporis laboravit? et quodnam laboris genus exercuit? nam secundum communiorem Do-

---

(a) *Tom. II. lib.* 3. *num.* 326.
(b) *Num.* 330.

ctores (a) excusant a gravi laborantem duas horas; immo alii admittunt quid amplius, saltem si labor est de se levis, aut adest aliqua causa notabilior. Si autem pœnitens confitetur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit judicans laborare in materia gravi; sed opus est, ut eum doceat laborare post longum tempus etiam occulte, et animi solatio, ac gratis, etiam esse peccatum. 2. Interrogetur, quare laboravit, an per regionis consuetudinem? an ob necessitatem? Verum est, quod paupertas potest excusare, ut plerumque excusantur pauperes, qui si non laborant non possunt se, aut familiam suam sustentare (b); ut etiam excusantur illi, qui die festo vestes resarciunt, cum non possint diebus ferialibus (c). Sed oportet: rudes ab errore dimovere, qui falso putant posse laborare die festo, cum laborantur pro familia sua, et sine mercede. Multi DD. excusant eos qui laborant, ut fugiant otium, ob quod in probabili peccandi periculo essent: sed hæc opinio non admissa est, nisi in casu rarissimo, in quo tunc vexarentur tentatione ita molesta, ut superari non possit, nisi laborando. Nonnulli servi, aut famuli, aliquando coacti sunt a dominis ad frequenter laborandum in festo, et etiam ad Sacrum omittendum? hi tenentur discedere ab hujusmodi dominis, dummodo non se obligarint chirographo servire; aut dummodo justo timore non incutiantur, ne repugnando grave incommodum subituri sint. Et pariter hac sola ratione possunt excusari filii, et mulieres ad laborandum in festis coacti a paren-

(a) *Lib.* 3. *n.* 305.
(b) *Num.* 397.
(c) *Ibid.*

tibus, aut viris (*a*). Interroget etiam, si in vigiliis, Quadragesima, Feria sexta, et Sabbato comederint cibos vetitos?

34. Circa IV. *Præceptum*. Si confitentur Filii, interrogentur 1. Si oderint parentes? quia tunc duplex peccatum peccaverunt, contra caritatem nempe; et contra pietatem. 2. Si aliquid grave fecerint contra eorum præceptum expressum, et in re justa, sicuti esset ne a domo de nocte egrederentur, ne ludis damnosis luderent, ne cum malis sociis, aut cum personis diversi sexus, et similibus versarentur? Dixi *in re justa*: quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire; immo parentes graviter peccarent, si sine justa causa filios ad statum matrimonialem, aut ad statum Ecclesiasticum, aut Religiosum cogerent; aut modis injustis retraherent eos a statu Religioso, quem illi eligere velint (*b*). 3. Interroget, si reverentiam adversus parentes non adhibuerint factis, aut imprecationibus aut injuriis gravibus coram irrogatis: ut esset eos appellando ebrios, bestias, fatuos, latrones, veneficos, scelestos: aut gestus eorum contumeliose exprimendo, aut aliis verbis proferendo, quibus gravem molestiam eis exhibuissent. Vocare autem eos senes, ignaros, stupidos, etc. non debet absolute condemnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter offenderentur. Notetur quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab

---

(a) *Lib.* 3. *n.* 296.

(b) *Tom. II. lib.* 3. *n.* 335. *v. Præterea*, *et lib.* 4. *n.* 77.

eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem Confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deoscularentur, et absolutos dimittunt; sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare, ut ante absolutionem hanc veniam poscant, sed quin eis imponatur ut pedes, aut manum deoscularentur, quia illi filii, quibus hoc faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione, sed potius ut consilium insinuetur, dum certe præsumuntur saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant.

35. Si contra confitentur parentes, interrogetur ab eis 1. Si negligentes fuerint in filiis educandis, non curando, ut Doctrinam Christianam illi docerentur; ut Sacro interessent, Sacramenta frequentarent, pravos socios, et personas alterius sexus vitarent? Item eos interroget, si scandalo fuerunt illis, in eorum præsentia blasphemando etc.? Si de excessibus eos non corripuerint, et præcipue si aliquid furati sint? Si permiserint, ut sponsi suarum filiarum domum accederent? Et potissimum si filios secum in eodem lecto retinuerint; aut permiserint pueros, et puellas simul dormire? Item si omiserint alimenta necessaria filiis ministrare? Si modis injustis coegerint filios ad statum matrimonialem suscipiendum, vel ut Sacris initiarentur, aut aliquam Religionem inviti ingrederentur?

nam hoc agentes graviter peccant. Sed de hoc parentes plures nullum sibi scrupulum faciunt, et hinc filiis pernicies, et Ecclesiæ maximum detrimentum evenire solet. Interroget etiam dominos, si famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, aut præcepto Paschali non satisfaciebant, aut Sacro non intererant, aut inhoneste loquebantur, præcipue messis, et vindemiæ temporibus; Domini enim cum possunt tenentur impedire scandala, quæ tunc committuntur. Interroget etiam viros, si familiæ alimenta ministraverint? Uxores, si viros ad blasphemias provocaverint, et si eos debito matrimoniali defraudaverint? plerumque de hoc interrogentur uxores, quia multoties propter hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observent sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrænati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utetur, verb. gr. *Es obediens tuo viro etiam in rebus ad Matrimonium spectantibus?* aut *habes forsan aliquem scrupulum, qui te mordet circa Matrimonium?* sed hæc interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus, quæ vitam spiritualem profitentur.

36. Circa V. *Præceptum* interroget pœnitentem, si aliquod grave damnum proximo appetiverit, aut de illius damno se oblectaverit? et hic notetur, quod si aliquis suo inimico diversa mala exoptaverit, ex gr. mortem, infamiam, paupertatem, etc. tenetur omnia declarare, et sunt diversa peccata numero distincta, cum ea voluit efficaciter illi inferre: aut si speciatim et in particulari optavit, ut hæc illi acciderent.

Aliter autem, ut dicunt probabiliter multi DD.(a), si optaverit mala illa sub uno genere mali, nempe ut media ad ruinam oppetitam inimico. Et hic est confusio Confessariorum, in discernendo an imprecationes, quæ rudibus esse solent usuales, fuerint peccata mortalia, an venialia. In hoc oportet interrogare in primis pœnitentem, an in illo actu desideraverit deliberate, ut illi succederent; sed hoc non sufficit ad certum judicium faciendum; qua de re opus est, ut postea interroget, si imprecatus fuerit in extraneos, an in propinquos, quia in hos (præcipue in filios, conjuges, aut parentes) raro animus pravus adest. Postremo oportet interrogare de causa, cur eas imprecationes protulerit; dum si causa gravis, aut ferveus ira intercesserint, facile est tunc etiam pravum desiderium interfuisse. Ceterum non sufficit pœnitenti ad excusandas imprecationes, dicere quod tantum in illo actu, ut evenerint, cupiebat; quia hoc jam sufficit, ut in illo actu commissa sit culpa gravis; unde Confessarius tunc perquirat de numero, et judicet de eis saltem ut coram Deo sunt: et quem recidivum in eo vitio reperérit, non absolvat, nisi prius resipuerit, aut extraordinarium doloris signum dederit.

37. Interroget 2. Si in proximum intulerit injurias graves et an coram aliis: quia tunc tenetur coram ipsismet restituere illi honorem ablatum, veniam ab eo petendo, aut aliis reverentiæ signis; dummodo prudenter non præsumatur injuriis affectum totum remisisse (b); aut quod ab illa publica satisfactione recuset, ne apud se rubor, et apud alios memoria injuriæ

(a) *Tom. V. Lib.* 5. *n.* 59. *v. Quær.* 5.
(b) *Lib.* 3. *n.* 984.

acceptæ renovarentur: aut nisi timeretur, ne illo satisfactionis actu iterum odium excitaretur (a). Si autem injuria fuit secreta, etiam secrete tenetur veniam postulare, secundum veram sententiam (b). Attamen advertendum est, injurias, quibus ad invicem se onerant rudes, licet in se essent graves, nihilominus non esse semper graves inter hujus generis personas, ut cùm se appellant latrones, veneficas, meretrices; quia ipsæmet non multi hæc faciunt, nec qui eas audit, fidem præstat; excipe si nominarent res particulares, et complices. Interroget item, si discordias excitasset, zizania disseminando, et referendo uni quæ ab alio audivit.

38. Denique interroget, si odio aliquem habuerit, et ei signa communia amicitiæ negavit? et hic expedit illius dubii, quod inter Doctores movetur, meminisse, utrum offensus offensori teneatur remissionem facere, *Salmanticenses* dicunt (c) offensum teneri quidem ad remissionem injuriæ, non autem publicæ penæ, quia hæc in Reipublicæ bonum redundat. Speculative loquendo, sententia vera est: sed in praxi numquam mihi fuit animus absolvendi aliquem istorum, qui dicebant se parcere inimico, sed velle ut justitia suum locum haberet, ut scelesti digna factis suis reciperent; numquam enim mihi suadere potui, quod hujusmodi qui quandoque peccatis onerati accedunt, tam ament bonum commune, et justitiam (non jam in alios delinquentes, sed solum in suos offensores), ut animus eorum sit penitus ab omni vindictæ

(a) *Num.* 988
(b) *Num.* 985.
(c) *Tract.* 22. *c.* 6. *n.* 18.

affectu alienus. Unde in istis facillimum est, ut dicunt multi alii DD. (a), eorum affectum ad bonum commune esse speciosum prætextum simulandi desiderium propriæ vindictæ. Attamen puto posse absolvi injuriis affectum, primo, si vellet jam remissionem facere, sed prætenderet juste satisfieri in damnis, quæ passus est; dummodo offensor non esset pauper, ut omnino solvendo non esset; secundo, si remissionem faceret sub conditione, ut offensor longe abesset a Regione, quia filios, aut fratres ætate provectos, vividos habet; aut quia offensor esset ita insolens, et ad rixas proclivis, ut prudenter timeret, propter sui animi imbecillitatem, illius petulantiam non posse sufferre.

39. Circa VI. *Præceptum*, I. Interrogentur 1. de cogitationibus, num desideraverint, aut morose delectati fuerint de rebus inhonestis; et an plene ad eas adverterint et consenserint. 2. num concupierint puellas, aut viduas, aut nuptas; et quid mali cum illis se facturos intenderint. In quo advertendum, quod rustici, communiter loquendo, existimant majus peccatum stuprum, quam simplicem fornicationem: e contrario nesciunt malitiam adulterii; ideo cum iis, qui hujus vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cum prævideatur monitio parum profutura, sed tantum effectura, ut pœnitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. De his autem cogitationibus, quibus assentiti sunt pœnitentes, sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem exquirantur, quoties in die,

---

(a) *Lib.* 2. *num.* 29. *v. Licet.*

vel hebdomada, vel in mense cogitationibus consenserint. Sed si nec etiam id explicare possint, interrogentur, num concupierint singulas mulieres, quæ sibi occurrerunt, vel in mentem venerunt; aut num habitualiter turpiter de aliqua in particulari cogitarint, numquam pravis consensibus resistendo; et an semper illam concupierint, vel an tantum quando ipsam aspiciebant. 3. interrogentur etiam, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas; nam, ut diximus in libro (*a*), tunc illa media, etsi indifferentia, a malitia interna informantur, et ideo explicando ut peccata externa, sive opera incœpta.

40. II. Circa verba obscena; interrogentur 1. Coram quibus, et quoties ita locuti sunt, ratione scandali; an coram viris, aut feminis, uxoratis, aut non? pueris, vel adultis? facilius enim scandalizantur puellæ, et pueri, quam adulti, præsertim qui in hoc vitio sunt habituati. 2. Quæ dixerint verba? an v. gr. nominarint pudenda sexus a suo diversi? hoc enim difficulter excusatur a mortali. 3. Num verba protulerint ex ira, vel joco? nam ex ira difficilius aderit complacentia, et scandalum. Caveat Confessarius ab absolvendis hujusmodi recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant ea protulisse ex joco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. 4. Num jactaverint se de aliquo peccato? tunc enim tria peccata frequenter concurrunt, scilicet magnum scandalum audientium, jactantia de malo commisso, et complacentia de peccato narrato: ideoque interrogandi sunt, de quo peccato in

---

(a) *Tom. V. lib.* 5. *num.* 42.

specie se jactarint (*a*). Interrogentur etiam, an delectati sint audire alios inhoneste loquentes? et an tunc adverterint ad correctionis præceptum, putantes eam profuturam?

41. III. Circa opera; interrogentur, cum qua rem habuerint? num alias cum eadem peccarint? ubi peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas) quoties peccatum consummatum, et quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato? num peccato multum ante consenserint? Nam tunc actus interni interrumpuntur, juxta dicta (*b*); et tum expedit formare judicium, toties multiplicata fuisse peccata, quot morulæ somni, distractionis, etc. adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus si malum propositum fuerit conceptum per duos, vel tres dies ante consummationem peccati, et intra illud tempus non fuerit retractatum, quia tunc sumitur pro uno numero peccatum; vide dicta *ibid.*

Se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutionibus, et moneantur eos esse mortalia. Item interrogentur, an concupierint, vel an delectati fuerint de copula cogitata cum aliqua, vel pluribus mulieribus, aut pueris; tunc enim tot peccata distincta committunt. Item adverte, quod si quis coiret inter crura aut brachia mulieris, præter peccatum contra naturam, committeret fornicationem inchoatam, sive effectivam, ut dicunt communiter *Filliuc. Tamb. Holzm. Spor. etc.* (*c*);

(a) *num.* 26.
(b) *Num.* 36.
(c) *Lib.* 3. *n.* 466. *v. Primam*, *infra ad num. III.*

unde hic duo patraret peccata diversæ speciei, unum contra naturam in effectu, alterum fornicationis in affectu. Circa peccata conjugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur; nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, puta, an *fuerint obedientes viris in omnibus?* De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Quæ autem liceant, et quæ vetentur inter Conjuges circa idem debitum; vide quæ fuse dicta sunt in Libro (*a*).

42. Circa VII. *Præceptum*, Interroget, si aliquid ab alio surripuerit? et a quo, et an ab uno, aut pluribus? an soli, an cum aliis, et an semel, an pluries? quia si qualibet vice materiam gravem sumserit, qualibet vice peccavit mortaliter. Si vero materiam parvam sumserit singulis vicibus, tunc non peccavit graviter, nisi ad gravem materiam advenerint; dummodo a principio animum non habuerit perveniendi ad materiam gravem; sed cum materia jam facta est gravis, licet ille graviter non peccavit, tamen sub gravi tenetur ad restitutionem (*b*); saltem illius ultimæ quantitatis, quæ materiam gravem constituit (*c*). Notandum tamen plus materiæ ad constituendam gravitatem in furtis minutis, et majorem requiri, si a diversis sumantur; unde dicitur, quod in furtis minutis, quæ pluribus vicibus diversis facta sunt, duplum requiritur (*d*). Et si inter ea notabile intercessit

---

(a) *Lib.* 6. *ex n.* 900.
(b) *Tom. III. lib.* 3. *n.* 533.
(c) *Ibid. in fin.*
(d). *Lib.* 3. *num.* 530.

tempus, duorum nempe mensium, tunc furta probabiliter non coalescunt in materiam gravem (a). Probabiliter autem qui fructus ederent in aliorum vineis, dummodo non sunt rari, et magni pretii, possunt excusari saltem a peccato gravi, si foras non exportant in magna quantitate (b); in hoc enim rerum genere, quæ nimis sunt expositæ, major quantitas ad gravem materiam constituendam requiritur (c). Et hac ratione faciliter possunt excusari famuli et famulæ, quæ sibi a Dominis sumunt res comestibiles; modo non sint in magna quantitate, et extraordinariæ (d). Neque condemnari debent de peccato gravi, qui ligna incidunt, aut pecora ad pastum ducunt in agros communitatis, licet prohibitum sit, quia tales prohibitiones censentur esse pure pœnales (e). Gravitas autem materiæ commensuratur a qualitate personæ, cui illatum est damnum; sed hoc fusius discussum est in Opere (f). Cum autem furta fiunt a filiis, aut ab uxoribus, requiritur multo major quantitas, ut sint grave peccatum; et raro hi tenentur sub gravi obligatione ad restitutionem (g).

43. Certus factus de gravi pœnitentis obligatione Confessarius, inspiciat si pœnitens valeat restituere, licet cum aliquo incommodo: et eum non absolvat, nisi prius restituat, licet ille si-

---

(a) *Ibid.*
(b) *Lib.* 3. *n.* 529. *Qu.* 2.
(c) *Num.* 529.
(d) *Lib.* 3. *n.* 545.
(e) *Num.* 529. *et n.* 614. *v.* 2. *In loco.*
(f) *Lib.* 3. *n.* 529.
(g) *Num* 539. *et* 543.

gna extraordinaria emendationis exhibeat (*a*). Bona enim sunt quidam sanguis, qui a venis non eruitur nisi cum magna vi, et dolore. Unde si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea, ut experientia admodum docemur. Potest excipi tantum aliquis pœnitens, qui ita meticulosæ conscientiæ esset, ut de eo nullus dubitandi locus superesset. Dixi *cum aliquo incommodo*; quia si ille restituendo non esset, quin in gravem necessitatem se conjiceret, idest quin a statu suo, quem juste acquisivit, decidat, tunc ille potest differre restitutionem, dummodo creditor non sit in gravi necessitate. Immo, licet creditor sit in gravi necessitate, probabiliter nec etiam tenetur debitor ad restitutionem, cum ipse pariter in gravi necessitate reperitur, et per restitutionem constituendus esset in necessitate quasi extrema. Hoc tamen intelligitur modo res ablata non extet in specie; et modo creditor præcipue non redactus fuerit ob illud furtum in eam gravem necessitatem (*b*). Curetur saltem tunc, nempe cum potest differri restitutio, suadere pœnitenti, ut identidem paulatim restituat, aut aliquem laborem faciat, aut aliquod donum aliquando creditori offerat.

44. Possibile hic non est omnes doctrinas scitu circa hanc materiam restitutionis necessarias, quæ est ita late patens, et implicita, iterum repetere. Observetur propterea quod fusius in Opere actum est. Solum modo hic lubet pauca adnotare, quæ frequenter accidunt, et quæ magis ad praxim pertinent. Et 1. Cum aliquis in comitatu aliorum furatum ivit, ad judicium for-

(a) *Lib.* 3. *n.* 682.
(b) *Num.* 703.

mandum si ipse ad totum damnum teneatur, an non, distinguendum est; si ille mere a sociis inductus fuit, et sine ipso jam furtum accidisset, eodem modo quo accidit, non tenebitur ad aliud restituendum, quam quod ille surripuit. Si autem concorditer (alternis sibi animos incitantibus) ad furandum iverint; tunc quisque tenetur in solidum ad restitutionem (a). Ita in theorica; sed in praxi rudes, præsertim illi qui parum sunt meticulosæ conscientiæ, difficulter possunt teneri ad restituendum, quod ab aliis acceptum est: et contra, domini ipsi contenti sunt de portione illorum ob idipsum, quod si obligantur ad totum, faciliter restituere omittent, nedum quod alii acceperunt, sed etiam quod accepit ipse. Propterea Confessarius ei scire faciat se teneri ad restitutionem, quin explicet quantitatem, restituere faciens quantum sua illius conscentia dictat (b). 2. Advertendum, neminem teneri ad damnum illatum restituendum, si nihil sibi utilitatis evenit, si illud damnum saltem in confuso non prævidit (c); aut nisi per Judicis sententiam ad damnum reficiendum multatus fuerit (d). 3. Si furtum est incertum, nempe si incerta est persona cui illatum est damnum, obligandus est pœnitens ad restituendum, aut Missas celebrare faciendo, aut eleemosynas pauperibus, aut piis locis elargiendo (e); et si ipse pauper est, potest sibi

(a) *Num.* 579. *v. Quær.*

(b) *Ibid. in fin. et Auct. Instruct. pro Confessar. Pagorum*, c. 8.

(c) *Lib.* 3. *n.* 613. *in fin.*

(d) *Lib.* 1. *n.* 100. *in fin et lib.* 3. *n.* 554. *in fin.*

(e) *Lib.* 3. *n.* 589. *in. fin.*

aut suæ familiæ applicare (*a*). Sed si persona est certa, debet huic fieri restitutio; quare mirum quidem est tot reperiri Confessarios tam imperitos, qui, cum sciatur quis sit creditor, pœnitentibus imponunt, ut de re restituenda eleemosynas erogent, aut Missas celebrare faciant. In eo casu ego hanc defendi sententiam (*b*), pœnitentem iterum teneri ad restituendum, quia fur in omnibus casibus, etiam fortuitis, debet reddere dominum indemnem, nec acquiescere potui opinioni adversæ. Dixi dumtaxat (*c*) quod si furta essent minuta, licet simul unita ad magnam summam advenerint, et etiamsi domini essent certi, sed diversi, tunc excusarem a peccato gravi cum qui vellet restituere pauperibus, propter rationem ibi allatam; et etiam a veniali, si rationabilis causa adesset, prout si restitutio fieri non posset dominis sine notabili incommodo, aut si aliqui pauperes in ea essent necessitate, ut præsumerentur domini consentire, ut illis fieret restitutio (*d*). Si quis fraudem multis civibus, sed incertis fecerit per furta minuta, ex. gr. vendendo vinum, oleum etc. mensura detracta, aut pondere imminuto, ego defendi teneri ad restituendum ipsismet civibus (aut pretium minuendo, aut pondus vel mensuram augendo), et non jam pauperibus loci, ut alii permittunt; licet, jam supra dixi, si pauperibus daret, non peccaret graviter, et ne venialiter quidem, si justa causa accederet (*e*). 4. Notandum, quod si quis rem alienam sumserit,

(a) *Num.* 672.
(b) *Lib.* 1. *n.* 39. *v. Quid si.*
(c) *Lib.* 3. *n.* 534. *Qu. II.*
(d) *Num.* 595. *in fin.*
(e) *Dict. n.* 593.

aut retineret cum præsumtione, quod si a domino eam peteret, libenti animo eam ipsi donaret, is non debet obligari ad restitutionem (a). 5. Neque debet obligari ad restitutionem, qui immemor debiti, suo creditori donum mere gratuitum præbuit (b). 6. Advertendum quod ut pœnitens teneatur ad restitutionem sub culpa gravi, cum res ablata jam consumta est, et ille ditior non est factus, opus est primo, ut intercesserit culpa gravis interna contra justitiam commutativam (c). Præterea requiritur ex sua parte, ut actio externa, sive influxus sit damni causa efficax (d), et insuper, ut hic influxus sit completus, sive graviter injustus (e); et ut habeatur moralis certitudo quod ille talis fuerit (f). Hoc est id quod ad acceptionem pertinet. Circa autem ad retentionem rei, cum pœnitens pro se habet probabilem opinionem cum legitima possessione, non potest a Confessario obligari ad restitutionem (g); immo qui incœpit possidere in bona fide aliquam rem, post diligentiam factam ad veritatem inveniendam, non tenetur ad aliquid restituendum, nisi certus fiat de jure quod proximo competit, ut pluribus locis probavi. Quod si restitutionis obligatio esset certa, sed pœnitens maneret in bona fide, et Confessarius certe prævideret correptionem non profuturam, tunc debet eam omittere, ne per ipsum fiat, ut quod est peccatum mate-

(a) *Lib.* 3. *n.* 700. *v. Quær. hic I.*
(b) *Num.* 700. *v. Quær. III.*
(c) *Lib.* 3. *n.* 550.
(d) *Num.* 584.
(e) *Lib.* 3. *n.* 551.
(f) *Num.* 562. et 558.
(g) *Lib.* 1. *n.* 669.

riale, evadat formale cum pernicie illius Animæ ut dicunt DD. (a); vide dicta *Cap. I. n.* 8. *et* 9. Denique quoad obligationem restitutionis ratione contractus, oportet alios consulere, libris studere, et postea decidere. Reliquum est, ut hic advertatur, quod si reperiantur aliqui contractus usu per longum tempus recepti in aliqua regione, ubi præcipue missiones factæ sunt, Confessarius non debet eos condemnare, nisi prius omnibus inspectis circumstantiis, siquidem primo aspectu multi contractus apparent usurarii, aut injusti, sed postea melius rebus perpensis tales non sunt habendi. Circa autem bonorum præscriptionem observa librum (b).

45. Circa VIII. *Præceptum* 1. Interrogetur pœnitens, si aliquem infamaverit? et si id effecerit, falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? et cum delictum est verum, si illud erat occultum, aut publicum in aliquo loco, fama, aut Judicis sententia? item interroget, si infamaverit coram uno, an pluribus; et coram quot? item si divulgaverit factum, ut a se cognitum, an ab aliis auditum? Circa autem famæ restitutionem, si delictum quod est patefactum, erat falsum, qui infamiam intulit, tenetur se retractare. Si vero delictum est verum, debet infamiæ illatæ prospicere meliori modo, quo potest, sine mendacio: dicat ex. gr. *Alucinatus sum*, *me fefellit*, *erravi*. Alii etiam admittunt posse dici, *mentitus sum*, æquivocando, dum omne peccatum est mendacium, ut dicitur in Scripturis. Ego soleo dare consi-

---

(a) *Lib.* 6. *num.* 612. *v. Infer. II.*
(b) *Lib.* 3. *ex num.* 504.

lium, ut dicant: *e capite meo hoc erui*, vulgo (*me l' ho cacciato di capo*), etiam æquivocando, quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quod si unquam famæ restitutio probabiliter judicaretur majus damnum quam utilitatem infamato allatura, quia præsumitur res ab hominum memoria effluxisse (ut præsumitur cum famæ obtrectatio multo ab hinc tempore accidisset, et inde de hac nulla amplius facta est mentio), tunc satius est occasiones captare infamia notatum laudandi in aliqua ejus virtute, ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam in memoriam revocare res præteritas hac famæ restitutione. Confessarius procuret, ut hujusmodi famæ compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplentur: licet hæ minus difficultatis habeant, quam pecuniæ restitutio. Denique hic advertatur quod proximi delictum patefacere, tunc proprie detractio dicitur, et est peccatum, cum intenditur, ut ait S. Thomas (*a*), famam alterius denigrare, non autem cum intenditur aliquod damnum vitare, ut esset parentes, dominum, Prælatum certiores facere, ut reus emendetur, aut aliorum damno consulatur. Modo illius damnum esset magni momenti, aut longe minus damno infamia notati. Observetur id quod habetur in Opere (*b*).

46. Circa debitum restituendi alicui honorem ablatum, propter contumeliam ei irrogatam, jam actum est in præcepto V. *n.* 36. In hoc Præcepto VIII. DD. etiam agunt de judiciis temerariis. Multi rudes se accusant se male de aliquo sensisse. In hoc opus est advertere. 1. Quod

(a) *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2.
(b) *Lib.* 3. *n.* 669.

cum motiva sufficientia adsunt sic judicandi de aliquo facto, judicium non est temerarium, sed justum, et propterea culpa caret. 2. Quod plerumque hæc non sunt judicia, sed suspiciones, in quas domini, Patresfamilias aliquando tenentur induci, ut aliquod peccatum impediant, ex. gr. ne servi furentur, ne filiæ peccent, cum viris versando etc. Tantummodo eos de hoc moneat, ne hujusmodi suspiciones sine necessitate cum aliis conferant.

47. Reliquum esset sermonem facere de Præceptis Ecclesiæ, sed de iis, nempe de obligatione audiendi Missam, et de non laborando die festo, jam satis supra diximus *n.* 32. *et* 33. Circa jejunium autem, tria in confessarii memoriam revocamus. I. Non omnes labores excusare a jejunio, sed eos dumtaxat, qui multam corporis agitationem causant (*a*). II. Operarios iis solis diebus excusari a jejunio, in quibus actu laborant, aut cum sperant crastina die laboraturos, et non posse nisi die præcedenti comedant (*b*). III. Non sufficere ad jejunium satisfaciendum extra prandium et cœnam non comedere, aut vespere minus solito cœnare, ut falso multi credunt; jejunium enim importat unicam comestionem facere in die; et vesperi aliud non permittitur quam simplex collatiuncula octo unciarum juxta communem consuetudinem, aut ad plus decem unciæ possunt concedi illi, qui ob majorem exigentiam usus fuisset majori quantitate ordinariam excedente (*c*). Pauperes vero, quibus mane non fuisset cibus sufficiens, et non possunt substentari sola col-

---

(a) *Lib.* 3. *n.* 141.
(b) *Ibid. n.* 144.
(c) *Num.* 125.

latiuncula serotina, hi excusantur (*a*). Quod si vespere hi haberent sufficientem cibum, dicunt DD. hos teneri jejunium, antevertendo cœnulam ad meridiem; sed multi alii hoc negant, quia hujusmodi jeiunium incommodo extraordinario esset illis. Observentur quæ in Opere habentur (*b*).

Postquam tale examen a rudibus exegerit, quomodo postea confessarius se gerere debeat, ut disponat pœnitentem ad dolorem, et adjungat pœnitentiam, jam supra actum est (*n.* 10. *et* 11.). Sed ante omnia advertat tale examen non negligendum, ubi cognoscitur opus esse, dum invenitur confessariorum major pars in hoc puncto deesse.

(a) *Num.* 123. *v. Secundo.*
(b) *Lib.* 3. *n.* 1034. *circa finem.*

CAPUT III.

De interrogationibus adhibendis cum Personis diversi status, aut conditionis, quæ sunt conscientiæ parum meticulosæ.

48. Hic advertitur, quod circa obligationes proprii status, aut officii non semper sufficit confessario pœnitentem interrogare tantum, an suam obligationem impleverit, cum pœnitens videtur esse conscientiæ parum meticulosæ, aut confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quod ille suis obligationibus desit; tunc oportet ut ipsum interroget in particulari, saltem circa ejus obligationes principaliores.

49. Et primo, si est Sacerdos qui ad confitendum accedit, interrogetur 1. an satisfecerit horis canonicis, et oneribus Missarum, vel an has per multum tempus distulerit celebrare? 2. an negotiationem exercuerit? 3. an nimis festinanter Missam absolvat? Nam si infra quadrantem horæ illam terminat, ipse a culpa gravi nequit excusari, etiamsi Missa sit de *requiem*, ut non sine magno fundamento plures DD. docent (*a*): infra enim tam breve spatium non est possibile Missam absolvere sine magna verborum et cærimoniarum negligentia; saltem nequit Missa celebrari cum ea gravitate et decentia, quæ tanto Sacrificio convenit. Insuper ex Missa nimis festinanter celebrata, oritur etiam grave scandalum laicorum, quibus, ut ait Bellarminus (*b*), videtur hujusmodi Sacerdotes non cre-

(a) *Tom. VI. lib.* 6. *n.* 400.
(b) *Ibidem.*

dere quod in Missa realiter sit præsens Divina Christi Domini Majestas.

50. Præterea, non erit improprium Sacerdotes interrogare, an in ipsorum patria magna sit penuria confessariorum? Eo enim casu posset aliquis Sacerdos teneri ad se reddendum idoneum ad confessiones excipiendas, ut validis rationibus probavimus (*a*); quibus addatur doctrina D. Thomæ, qui (*Suppl. quæst.* 34. *art.* 1.) inquit, Deum ad hoc instituisse in Ecclesia Ordinem Presbyterorum, ut ipsi aliis Sacramenta ministrarent; *Et ideo* (verba S. Doctoris) *posuit Ordinem in ea, ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Idcirco Sacerdos appellatur lux mundi, sal terræ, et coadjutores Dei. Cum igitur finis Sacerdotis sit Sacramenta ministrare, quomodo ipse poterit a culpa excusari, si viderit suos conterraneos carere confessariis, et ideo plures eorum in peccato manere, cum magno damnationis periculo; et ipse Domini finem, ob quem ad Sacerdotium fuit evectus a Deo, frustraneum reddit, negligendo ex pigritia idoneum effici ad ministrandum pœnitentiæ Sacramentum, quod saluti Animarum, excepto Baptismo, præ aliis necessarium est? Nimis verenda sunt verba Domini adversus eos Sacerdotes, qui salutem proximorum parum curant. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei.... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus de manu tua requiram. Ezech.* 3. 18. Si autem Sacerdos ille se excuset adducendo suam insufficientiam, audiat S. Franciscum Salesium, qui falsam vocat humilitatem eorum Sacerdotum qui renuunt Animarum saluti incumbere, sub titulo suæ imbecillitatis. Ista (ait Sanctus) malitiosa est hu-

(a) *Num.* 625.

militas, et inventus amoris proprii, qui sub hoc specioso prætextu propriam quærit tegere socordiam. Subdit quod Deus, cum aliquod nobis talentum donaverit, juste petit a nobis, ut illud exerceamus: quapropter qui eo utitur et paret, ille magis humilem se ostendit. Superbi quidem causam habent, ut nullum suscipiant opus, quia tales in seipsis fidunt. Humiles contra magnanimi sunt, quia non proprias perpendunt vires, sed in Deo confidunt cui placet in nostra infirmitate suam omnipotentiam extollere; unde concludit quod humiles omnia aggredi possunt.

51. Secundo, si accedit ad confitendum aliquis confessarius, de cujus idoneitate prudenter dubitatur, interrogetur, an studio sufficientem operam dederit, et an studere pergat? nam, ut diximus *n.* 18. *in fine*, ad bene exercendum officium excipiendi confessiones, non satis est aliquando studuisse. Item, an absolverit eos qui manebant in occasione proxima peccati, aut erant recidivi, nec extraordinaria signa suæ dispositionis afferebant? Si unquam talis confessarius aliquam pœnitentem solicitasset ad turpia, interrogetur, an sciat eum non posse Sacrum facere, dum a SS. P. Benedicto XIV. solicitantibus imposita est inhabilitas perpetua, et Papæ reservata, quæ ut ostendimus in Opere (*a*), non ante omnem sententiam incurritur. An autem hæc incurratur etiam ab ignorantibus? Observa quæ dicuntur in eodem Opere loco citato, Venetiis edito (*b*).

52. Tertio, si accedit Parochus, interrogetur 1. an attendat ad debitas correctiones erga subditos? præcise erga eos qui aliquo tenentur odio,

(a) *Lib.* 6. *n.* 705.

(b) Hæc nostra editio est omnino conformis illi. *Editor.*

aut cum aliqua turpiter conversantur, aut domos sponsarum frequentant? Et de hac materia loquendo hujumodi Parochus valde advertatur ad non accipiendas promissiones mutuas matrimonii, nisi parum ante, quam Nuptiæ sint contrahendæ, ut prudentes Parochi agunt; alioquin omne tempus illud usque ad matrimonium, peccatorum tempus erit. 2. An invigilet, ut sui subditi absque exceptione personarum Paschale impleant præceptum? Quot personas in Missionibus invenimus, præsertim majoris existimationis, quæ per multos annos præceptum implere omiserunt, quin Parochus eos admonuerit, et opportuna adhibuerit media ad ipsorum resipiscentiam? 3. An Sacramenta ministraverit (præcipue pœnitentiæ) in periculo mortis, aut cum requisitus fuerit per seipsum (*a*)? Dico per *seipsum*, quia, cum ipse potest, non satisfacit illa per alios ministrando (*b*). 4. An moribundis debitam præstiterit assistentiam? 5. An in Dominicis conciones habuerit; etenim Parochus cum non est legitime impeditus, omittendo concionari per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos intra annum, a DD. non excusatur a gravi culpa (*c*). 6. An debitas largitus sit eleemosynas habens beneficium pingue, congruam excedens? 7. An attenderit ad instruendos in Doctrina Christiana pueros, et rusticos circa mysteria fidei, et media ad salutem? Præsertim an instruerit rudes circa dolorem peccatorum necessarium ad obtinendam absolutionem; necnon pueros circa communionem ætate qua jam ad eam sunt idonei, nimirum ordinarie loquendo ab anno decimo usque ad duodeci-

(a) *Num.* 623. *v.* 2. *Resp.* 2. *et Resp.* 3.
(b) *Lib.* 4. *n.* 27. *v. Hinc.*
(c) *Lib.* 3. *n.* 269. *v. hic obiter.*

mum, vel ad summum ad decimum quartum (a)? Sciendum enim, S. Carolum Borromæum suis Parochis præcepisse quod ad communionem idoneos redderent pueros, statim ac ad decimum annum pervenissent (b). At quidam Parochi renuunt etiam pueris, qui ad annum pervenerint duodecimum, Eucharistiam ministrare, et cur? ut incommodum effugiant illos instruendi. 8. Interroget sedulo, an facile, et ob humanos respectus attestationes in scriptis dederit initiandis necessarias, ut illi possint Ordines suscipere? in hoc enim oportet quod Parochi non sola notitia negativa sint contenti, cum debeant habere positivam de ipsorum probitate, et Sacramentorum frequentia; et ideo tenentur particulariter de his omnibus certiorari. Quandoque inveniuntur ordinandi mille culpis onerati, qui vix semel in anno communionem acceperint, immo qui etiam præceptum paschale omiserint, et deinde audacter attestationes Parochi præsentant de morum honestate, et Sacramentorum frequentia. Isti jam postea ordines suscipiunt, et scandalum fiunt populo; et de omnibus ipsorum flagitiis Parochus equidem rationem Deo reddere debet, nam Episcopi in hoc Parochis credunt: sed Episcopi seduliores fidem non præstant Parochis in hac materia tam gravi a qua salus pendet populorum.

53. Quarto, si accedit Episcopus negligentis conscientiæ, confessarius interroget 1. An debitam adhibeat diligentiam (præter scientiæ examen) in se certiorando de positiva probitate ordinandorum? prout Sacri Canones, Tridentinum, et Apostolus imponunt, minime acquie-

(a) *Lib.* 6. *n.* 3101. *v. Sed hic.*
(b) *Ibidem.*

scendo Parochorum attestationibus, quæ (ut diximus) ut plurimum aut falsæ sunt, aut suspectæ. 2. An approbet ad confessiones Sacerdotes sat in moribus et doctrina expertes? Aliter illi plus damni quam utilitatis afferent. 3. Quomodo redditus mensæ expendat, et applicet? Ut enim probavimus (*a*), Episcopi demta honesta sua sustentatione, reliqua tenentur pauperibus elargiri. 4. Quomodo residentiæ obligationi satisfacit? Etenim nec etiam per tres menses a Tridentino concessos, ipse a sua diœcesi potest abscedere, ut Pontifex Benedictus XIV. declaravit, si ex futili causa sive ob meram oblectationem abesset. 5. Quomodo invigilet ad inquirenda suarum ovium scandala, ut ipsa reparet meliori modo quo poterit, implorando etiam subsidium brachii sæcularis, si oportet? 6. Interroget quomodo se gerat in bono exemplo exhibendo? certe enim Prælatus speciali modo tenetur exemplarem se præbere: alioquin quomodo poterit suos Ecclesiasticos corripere; puta ne cum mulieribus versentur, neque ludos vetitos frequentent, si de his malum ipse tribueret exemplum.

54. Quinto, si confitetur Monialis, interrogetur. 1. An aliquem defectum commiserit circa vota, præsertim paupertatis, accipiendo vel largiendo sine licentia? 2. An satisfecerit horis canonicis! Opinio enim quod Moniales in privato non teneantur officium recitare, non est satis probabilis, ut ostendimus (*b*). 3. An erga aliquem mutuam nutrierit benevolentiam periculosam, puta si adfuerint saltem verba, aut litteræ amatoriæ? Et eo casu, si Monialis fa-

(a) *Lib.* 3. *n.* 492.
(b) *Lib.* 4. *n.* 141.

miliaritatem illam nollet relinquere, constans sit confessarius in neganda ei absolutione; in hujusmodi enim familiaritatibus, licet finis positive pravus absit, semper tamen periculum urget: saltem adest scandalum, et malum exemplum respectu aliarum (a). 4. An aliquo teneatur odio in suas sorores. 5. Si Monialis aliquod exercet officium, interroget de illo in particulari; puta *Rotariæ*, an afferat litteras aut nuncia de malo suspecta? *Portinariæ*, an oscitanter januam reseratam teneat, cum periculo scandali monialium, aut aliorum? *Abatissis*, an debitam adhibeant diligentiam, cum viri in monasterium ingrediuntur, aut morantur; aut an novis abusibus conniveant? Advertendo quod licet particulares Moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, superiores tamen, quæ non curant impedire cum possint observantiæ relaxationem, peccant in re gravi (b).

55. Sexto, si accedit quis judicis officio fungens, interrogetur 1. An fuerit personarum acceptor? 2. An causas expediverit. 3. An in judicando conveniens studium præmiserit, omiserit, vel ex aliqua animi affectione motus erga alteram ex partibus sententias dixerit.

56. Si autem accedit tabellio, interrogetur 1. Quomodo se gerat in capiendis informationibus? 2. An intermiserit interrogationes suggestivas? 3. An testium depositiones diminuerit, vel auxerit?

57. Septimo si accedit medicus interrogetur 1. An satis fuerit versatus in studio medicinæ, et in praxi medendi? necnon an studium adhibeat (ut tenetur) in casibus difficilioribus qui

(a) *Diana part.* 5. *tr.* 7. *R.* 21. *et* 22.
(b) *Lib.* 4. *n.* 13.

occurrunt? 2. An alicui impertierit licentiam edendi carnes ob merum humanum respectum, sine justa causa? 3. An aliquod periculosum remedium applicaverit infirmo, non adhuc de vita desperato (*a*)? 4. An fuerit causa ut remedia acciperentur ab aliquo pharmacopola suo amico, quem tamen noverit parum esse fidelem, vel peritum, aut ineptas vendere medicinas? 5. An attenderit ad curandos pauperes, si ad hoc stipendium exegerit; vel sine stipendio, si pauperes fuerint in gravi necessitate (*b*)? 6. An curaverit suos monere infirmos, ut tempore debito confiterentur, juxta præcepta pontificia? De hoc puncto in pluribus Operis locis sermonem fecimus (*c*), ubi dictum est quod Innocentius III. medicis præcepit, ne alicujus infirmi curam susciperent, nisi prius ille confessus fuerit; et S. Pius V. confirmans tale præceptum, insuper jussit, ut medicus post tertium diem relinquat infirmum, nisi sciat ipsum fuisse confessum; item mandavit quod omnes medici, antequam gradum doctoratus assumant, dent juramentum observandi hoc præceptum; idque mandatum est omnibus collegiis. Sed dubium fit, quomodo hujusmodi præceptum, et juramentum intelligantur. Plures DD. tenuerunt ea procedere, cum infirmitas est periculosa; vel saltem cum dubitatur an sit periculosa; et in hoc sensu dixerunt Bullam S. Pii receptam fuisse. Sed communior sententia vult quod præfatum præceptum quamvis non obliget in quocumque morbo levi, tamen non intelligendum tantum urgere in mor-

(a) *Tom. I. lib.* 1. *n.* 28. *v. Quær.* 2.

(b) *Trullench. t.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 11. *in fine.*

(c) *Lib.* 3. *n.* 182. *et melius lib.* 6. *n.* 664.

bis actualiter periculosis, sed etiam in illis qui prudenter judicantur posse in posterum fieri periculosi. Et ratio est, quia Innocentius præcipit, ut medicus imponat infirmo confessionem antequam ejus curationis onus medicus suscipiat ad hoc, ut infirmus (sic loquitur Pontifex) de confessione monitus, de salute desperans, facilius in mortis periculum incurrit: Igitur intendit effici, ut infirmus confiteatur antequam morbus fiat mortalis. Hæc sententia mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum, etiam timoratæ conscientiæ, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam S. Pii, innixi doctrinæ plurium auctorum (a) sentientium quod præfatum juramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine præceptum est. Ceterum non dubitandum, quin moraliter peccent saltem medici illi, qui omittunt monere infirmos de confessione, cum infirmitas est jam periculosa. Oh quam miserum est videre tot infirmos (et præsertim eos qui spectatæ sunt dignitatis) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitæ Deo mox reddituras parent, tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriæ conscientiæ, suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; immo eis blandiri pergunt usque dum omnino ipsi de vita desperantur. Cum igitur accedit medicus negligentis conscientiæ,

(a) *Ibid. v. Notant infra ad n. V.*

curet confessarius præcipue eum interrogare et monere, non obiter, sed cum calore de hac obligatione intimandi confessionem infirmis, saltem quando advertit morbum jam esse gravem, aut dubitat quod sit jam gravis, ut communiter dicunt DD. qui in hoc non discrepant. Dico *cum calore*; nam ex hoc puncto pendet salus spiritualis, non tantum medici pœnitentis, sed omnium etiam infirmorum qui sub ejus cura erunt.

58. Octavo, si accedit pharmacopola, interrogetur 1. an præstiterit remedia prægnantibus ad abortum procurandum. 2. An vendiderit unum pharmacum pro alio, et carius quam res valebat (*a*): Hic adde Gregorium XIII. in Const. 29. *officii nostri* omnem vetuisse societatem pharmacopulas inter, et medicos, aut chirurgos.

59. Nono, si accedit mercator, interrogetur 1. an deceperit in pondere et mensura; 2. An res vendiderit ultra pretium supremum; præsertim dando merces ad creditum, cum emtores essent securi, et nihil damni ipse esset passurus: An autem prætium augeri possit, vendendo ad creditum, eo quod tale est pretium currens in venditionibus ad creditum juxta communem æstimationem? Et an res, quæ venduntur minutatim, carius possint vendi? observa doctrinas in Libro adnotatas (*b*).

60. Decimo, si accedit Sartor, interrogetur 1. an in diebus festivis per notabile tempus laboraverit sine extraordinaria causa, ut vestes compleret, et dominis afferret (*c*)? 2. An jejunia impleverit ab Ecclesia præcepta? nam Sar-

(a) *Lib.* 3. *n.* 821.
(b) *Num.* 809.
(c) *Lib.* 3. *n.* 303. *v. Sartor.*

tores ob sarciendi laborem minime a jejuniis excusantur (*a*). 3. An si alii commiserint ei pannos emere, ipse pretium majus exegerit, sub colore quod Mercator ob peculiarem amicitiam pretio minori pannos ei dederit? Si revera pars illa pretii fuisset ipsi donata, tunc poterit eam exigere, modo moralem præmiserit diligentiam apud alios Mercatores, aut certo sciat quod alii communiter mercem illam minori non vendunt pretio (*b*), hoc tamen debet esse omnino certum, alioquin nihil amplius potest exigere quam solvit. 4. An sibi retinuerit frustula, sive resegmina vestium, quæ injuste retinet, nisi adsit consensus dominorum, aut nisi illi aliquid injuste detraherent ex pretio debito, adhuc infimo communiter æstimato? 5. An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgo ut dicitur, *in pigliar la misura*), aut esset ex aptandis vestibus feminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attrectatione, idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes, aut desideria prout non raro accidit improbæ conscientiæ viris?

61. Undecimo, si accedit aliqua Venditrix sive proxeneta (intellige de his quibus traduntur a dominis res vendendas licitantibus) interrogetur 1. an aliquid retinuerit pretii ab emtoribus exacti; tenuimus enim (*c*) quod Venditrix nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo designatum, quia talis determinatio fit, ut res non vendatur mi-

(a) *Num.* 1041. *v. Barbitonsores.*
(b) *Lib.* 3. *n.* 816. *v. Caute.*
(c) *Num.* 825. *v. Quær.*

noris, non autem, ut Proxeneta illud quod superest sibi retineat, idque procedit, etiamsi a domino fuerit locus designatus, ubi res venderetur, et proxeneta, adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distanti pluris deinde vendidisset: etenim tunc etiam dicimus, quod ipse nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem, nam res semper domino fructificat. Excipimus (*a*). 1. Si proxeneta rem meliorem reddidit, et ideo pluris vendidisset quam res prius valebat. 2. Si proxeneta cum domino convenerit, amplius ei non tradere, nisi pretium ab eo determinatum: et hoc sive expresse sive tacite, prout esset si dominus nullum pro ejus labore stipendium assignasset. 3. Si quod superest esset parvi momenti, ita ut præsumeretur dominus condonare. 4. Si proxeneta, facta ordinaria diligentia ipse sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, et postea eam pluris venderet. Idem dicendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emendam pretio designato, et tu minoris emisses; tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses ut impensæ parceres; aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo; hoc tamen intelligitur, si jam præmisisses moralem diligentiam, nec invenisses a quo rem minoris emere potuisses (*b*).

62. Duodecimo, si accedit Barbitonsor, interrogetur an alios tondeat in diebus festivis, et ubi hujusmodi consuetudo non adsit? Dum contra id ei non est vetitum, ubi consuetudo jam introducta est: aut si ibi nequeunt viri tonderi

(a) *Ibidem. v. Bene autem.*
(b) *Ibidem.*

nisi in festis, eo quod in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint. Præterea interrogetur, an comam mulieribus componat, juxta improbum usum hoc tempore a Satan inventum. Ordinarie loquendo, puto id esse viris proximam occasionem peccandi letaliter turpibus delectationibus, aut saltem desideriis, unde dico minime permittendum id alicui qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset, in hujusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali, sed hoc non obstante, non omittat confessarius eum removere quantum potest ab hujusmodi officio, quod certe in se periculum continet. Hinc nolo dubium aliud discutere, an feminæ possint vel ne tuta conscientia viros accersere, ut illi suas componat comas. Audio quod ipsæ pluribus in locis hoc faciunt: et confitentur, et communicant, videant ipsæ et ipsarum confessarii. Saltem confessarius eis imponat, ut non utantur viro aliquo juniori, ex cujus actionibus perceperint malitiose se gerere. Ceterum censeo quod mulieres purioris conscientiæ non quidem utentur viris, sed contentæ erunt feminis, a quibus coma componatur, meliori modo quo potest.

CAPUT IV.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis, qui sunt in proxima occasione peccandi.

63. MAxima Confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt, aut recidivi. Hic sunt duo magni scopuli, in quos major Confessariorum pars impetunt, et deficiunt. In Capitulo sequenti sermonem faciemus de habituatis, et recidivis; hic de occasionariis. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, major peccatorum pars evitaretur. Satan, remotis occasionibus, parum lucratur, sed cum homo ultro in occasionem proximam se immittit; ut plurimum et fere semper hostis victoriam canit. Occasio, præsertim in materiam turpium delectationum, est quasi rete, quod ad peccatum trahit, et simul mentem obcæcat: ita ut homo peccet, quin videat quod agat. Sed deveniamus ad praxim. Occasio primo dividitur in Voluntariam, et Necessariam. *Voluntaria* est illa quæ facile vitari potest. *Necessaria* quæ amoveri nequit sine gravi damno, aut scandalo. Secundo dividitur in Proximam, et Remotam. *Remota* est illa in qua homo raro peccat, vel illa quæ ubique reperitur. *Proxima*, per se loquendo, est illa in qua homines communiter ut plurimum deficiunt. Proxima autem *per accidens*, seu respectiva est ea, quæ licet respectu aliorum non sit proxima, tamen respectu alicujus proxima est, vel quia hic in tali occasione frequen-

ter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest quod labatur propter experientiam cognitam suæ fragilitatis. Quidam AA. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam in qua homo fere semper, vel ut plurimum reciderit; sed communior, et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam in qua frequenter quis peccavit (*a*). Verumtamen advertendum, quod sicut aliquando occasio quæ respectu ad alios communiter est proxima, respectu vero ad aliquem valde pium et cautum potest esse remota (*b*); Ita contra quædam occasiones quæ respectu ad alios communiter per se essent remotæ, forte erunt proximæ respectu ad aliquem qui propter experimentum relapsuum, et propter pravam inclinationem in quoddam vitium (præsertim si est turpe) factus est valde debilis et facilis ad labendum, et tunc iste tenebitur ad removendas non tantum occasiones proximas, sed etiam illas remotas, quæ respectu sui proximæ evadunt.

64. Certum est quidem in occasione proxima, 1. Ille qui retinet in propria domo aliquam feminam cum qua sæpe rem habuit. 2. Ille qui frequenter in ludo prorupit in blasphemias, aut fraudes. 3. Ille qui in aliqua caupona aut domo sæpe se inebriaverit, aut ceciderit in rixas, vel actus, verba, aut cogitationes obscenas. Porro omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint, aut saltem nisi auferre promittant, juxta distinctionem, quæ fiet in numero subsequenti. Et ita pariter non potest absolvi qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit; talis enim

(a) *Tom. VII. lib.* 6. *num.* 452.
(b) *Ibidem.*

aditus jam ipsi proxima est occasio. Nec etiam absolvi possunt qui tametsi in occasione positi non labuntur, afferunt tamen aliis grave scandalum (*a*). Addunt aliqui DD. (*b*) negandam quoque absolutionem illi qui occasionem externam non removet, si cum occasione conjungitur habitus vitiosus, aut magna tentatio, seu vehemens passio, quamvis usque tunc in ea occasione numquam peccaverit; nam facile deinde peccare poterit, si ab occasione se non amoverit. Hinc dicunt, quod si unquam aliqua famula tentaretur ab hero, et ipsa se noverit facilem ad labendum, ab ea domo abscedere tenetur, si commode potest, alioquin temere præsumeret se securam habere. Et hic caveant Confessarii a permittendo sponsis domos sponsarum adire, et puellis earumque parentibus sponsos in domum admittere, quia raro evenit quod tales sponsi non labantur, saltem in verba, aut cogitationes turpes in hujusmodi occasione, dum omnes aspectus, et colloquia sponsos inter sunt incentiva ad peccandum: estque moraliter impossibile ipsos invicem conversari, et non sentire stimulos ad eos turpes actus, qui tempore Matrimonii deinde succedere debent.

65. Generaliter autem loquendo de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, quippe non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam letaliter peccandi. Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu; tales

(a) *Lib.* 6. *num.* 452. *vers. Ex præmissis.*
(b) *Ibidem.*

enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandula, Episcopus Albanensis, in sua Diœcesi per Edictum suos admonuit Confessarios, ne tales adamantes absolverent, si postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (cum facili periculo osculorum, et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscena, aut cum scandalo (prout si in Ecclesia), aut cum Conjugatis, Claustralibus, aut Clericis in sacris. Et in hoc generaliter advertendum, quod ubi agitur de periculo peccati formalis, et præcise peccati turpis, Confessarius quanto magis rigorem cum pœnitenti adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit; et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova Confessarios in hoc condescendentes vocat eos, *impie pios*. Hæc caritas est contra caritatem. Solent in his casibus pœnitentes conari, ut Confessarii apprehendant, quod occasionem removendo magnum orietur scandalum. Fortis sit Confessarius ad hujusmodi timores despiciendos; majus semper erit scandalum, videre quod Pœnitens nec etiam post Confessionem occasionem aufert. Aut alii ejus peccatum ignorant, et tunc nihil mali suspicabunt: Aut sciunt, et tunc Pœnitens famam potius recuperabit, quam amittat, removendo occasionem.

66. Plures DD. censent prima, aut secunda

vice bene absolvi posse, qui est in occasione proxima, licet voluntaria, etiam antequam occasio auferatur; modo firmum habeat propositum, et promittat illam statim removere. Sed hic oportet distinguere cum S. Carolo Borromæo (in Instructione Confessariis ab eo tradita) occasiones quæ *sunt in esse*, et occasiones quæ *non sunt in esse*, Occasio quæ *est in esse*, ex. gr. cum aliquis concubinam domi detinet, vel cum aliqua famula consentit quoties tentatur a Domino, et similia. Occasio autem quæ *non est in esse*, est ex. gr. cum quis in ludo prorumpit in blasphemias, aut versando in cauponio prolabitur in rixas, et ebrietates, aut accedendo ad convivia incidit in verba, et cogitationes turpes. His positis, dicendum, quod in occasionibus quæ *non sunt in esse*, recte docet S. Carolus quod Pœnitenti firme promittenti ab eis abstinere; potest ei semel, bis, et etiam ter Absolutio dari; quod si deinde ille occasionem non aufert, et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat. In occasionibus autem quæ *sunt in esse*, cum eodem S. Carolo omnino neganda est Absolutio, nisi occasio prorsus auferatur. Hancque sententiam (ordinarie loquendo) omnino tenendam probavimus in libro (*a*). Ratio, quia talis Pœnitens est indispositus ad Absolutionem, si petat eam antequam occasionem removeat; etenim eam recipiendo, se immittit in proximum periculum frangendi propositum; et sic remanendi in eadem occasione. Clarius rationem hanc explicemus. Porro mortaliter peccat qui est in occasione proxima voluntaria, et eam non tollit; cum autem opus tollendi occasionem sit maxime

(a) *Lib.* 6. *num.* 454.

arduum, et non impleatur, nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert qui jam est absolutus, dum ablato timore sine Absolutione remanendi, de facili sibi suadebit quod tentationi resistet, quin occasionem auferat, et ita in ea manendo, certe quidem recidet; prout quotidie experimento probatur in pluribus Pœnitentibus, qui, carpta Absolutione ab aliquo Confessario parum cauto, minime postea attendunt ad occasionem removendam, et statim deterius relabuntur. Hinc diximus quod propter prædictum periculum frangendi propositum, mortaliter peccat Pœnitens qui ante remotionem occasionis Absolutionem petit, et gravius peccat Confessarius qui illum absolvit.

67. Diximus *ordinarie loquendo*, nam plures casus excipiuntur a DD. (a) in quibus Pœnitens absolvi potest, antequam occasionem removerit. Et excipitur 1. casus in quo Pœnitens talia afferret extraordinaria signa doloris, ut prudenter judicari possit ipse non esse amplius in proximo periculo frangendi propositum de tollenda occasione; tunc enim signa illa indicant Pœnitentem donatum fuisse uberiori gratia, qua merito speratur quod in removenda occasione constans erit. Verumtamen, semper ac Absolutio commode differri posset, tunc illam etiam ei differrem, usque dum cum effectu occasionem auferat. Excipitur 2. casus in quo Pœnitens non possit redire, vel nonnisi post multum tempus; tunc bene potest absolvi, si censetur bene dispositus per propositum statim removendi occasionem; quoniam eo casu periculum frangendi propositum, remotum reputatur, causa magni oneris quod Pœnitens deberet pati, abscedendo

(a) *Ibid. vers.* Dixi tamen.

sine Absolutione, aut repetendi Confessionem apud alium Sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Quapropter cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi Absolutionem, antequam occasionem tollat, habet jus ut statim absolvatur (a); dum enim hic non potest ante Absolutionem occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Sed hoc nec etiam admittendum, si Poenitens jam ab alio Confessario alias admonitus fuerit de occasione removenda, et non impleverit, quia tunc habetur ut recidivus, et ideo nequit absolvi, nisi afferret extraordinaria signa doloris, prout in sequenti Capitulo dicemus.

68. Hoc dicimus quoad occasionem proximam voluntariam; At si occasio est necessaria, aut *physice*, prout si quis detineretur in carcere, vel esset in periculo mortis, in quo non haberet tempus et modum ejiciendi Concubinam: vel *moraliter*, idest si occasio non posset auferri sine scandalo, aut gravi damno vitæ, famæ, aut bonorum, ut communiter docent DD. (b); eo casu Penitens bene absolvi potest, quin occasionem auferat, quia tunc non tenetur eam removere, modo promittat exequi media necessaria ad efficiendum, ut occasio ex proxima evadat remota, prout sunt, præcise in occasione peccati turpis fugere familiaritatem complicis, et etiam aspectum quantum fieri potest: frequentare Sacramenta: et sæpe commendare se Deo, renovando quotidie (præsertim mane) ante Imaginem Crucifixi propositum non amplius peccandi, et quantum est possibile vitandi occasionem. Ratio, quia occasio peccandi non est pro-

(a) *Ibid. vers. Excipiendus* 2.
(b) *Lib. C. num.* 455.

prie peccatum in seipsa, neque inducit peccandi necessitatem; unde bene consistere potest cum occasione verus dolor, et propositum non recidendi; et licet quisque teneatur auferre proximum periculum peccandi, id intelligitur cum ipse sponte vult tale periculum, sed cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit, et Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi qui vere deliberavit ipsum non offendere. Non dicit Scriptura quod peribit qui est in periculo, sed qui amat periculum; sed nequit dici amare periculum, qui illi invitus subjacet; unde inquit D. Basilius (a): *Qui urgenti aliqua causa, et necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus subire; et ideo magis providebit Deus, ne illo pereat.*

69. Hinc dicunt DD. bene capaces Absolutionis esse qui nolunt relinquere aliquod officium, negotium, aut domum, qua soliti fuerunt peccare, eo quod deserere eam nequeunt sine gravi detrimento, semper ac verum habeant propositum se emendandi, et media implendi ad emendationem, tales sunt ex. gr. Chirurgi qui in medendis Feminis, aut Parochi qui in excipiendis earum Confessionibus, prolapsi sunt, si his muneribus relictis, non possent juxta suum statum vivere (b). Sed omnes conveniunt expedire in his et similibus casibus Absolutionem differre, ut Pœnitens sit saltem diligentior in præscriptis remediis exequendis. Verumtamen ego censeo, Confessarium non tantum posse, sed etiam teneri ad differendam Absolutionem, sem-

(a) *In Constit. Mon. cap. 4.*
(b) *Lib. 6. num. 455. in fine.*

per ac commode differre potest, præsertim cum agitur de materia turpi; tenetur enim ipse tamquam Medicus Animarum oppurtuniora applicare remedia; et puto remedium magis idoneum non inveniri pro eo qui manet in occasione proxima, quam differre ei Absolutionem, dum experientia nimis patet quod plures post Absolutionem acceptam negligunt media præscripta exequi, et sic facile recidunt. E converso, cum alicui differtur Absolutio, ille vigilantior erit ad media implenda, et ad obsistendum tentationibus, ob metum quod iterum sine Absolutione dimittetur, cum ad Confessarium redibit. Forte in hoc quis me nimium rigidum reputabit; sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis qui in proxima occasione, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multo magis prodesse Pœnitentium saluti. Utinam et omnes Confessarii sic etiam se gererent, oh quot peccata vitarentur, et quot aliæ salvarentur Animæ! Repeto quod supra dixi: Ubi agitur de liberando Pœnitente a peccato formali, uti debet Confessarius opinionibus benignioribus, in quantum Christiana prudentia concedit; sed ubi opiniones benignæ periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire, et quandoque oportere, quod Confessarius sententiis rigidioribus utatur, tunc enim hæ valde magis prosunt Animarum saluti. Quod si autem quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relaberetur, etiam remediis adhibitis, et modica superesset spes emendationis tunc dico omnino huic negandam Absolutionem prius quam

occasionem tollat (*a*). Et hic reor instare Evangelii præceptum: *Si oculus scandalizat te, ejice eum* (*b*). Excepto casu quo Pœnitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, quod posset concipi prudens spes emendationis (*c*).

(a) *Ibid. num.* 457.
(b) *Marci* 9. 46.
(c) *Lib.* 6. *num.* 456. *in fine.*

CAPITULUM V.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Habituatis, et Recidivis?

70. Distinguendi sunt Habituati a Recidivis. *Habituati* sunt qui habitum contraxerunt in aliquo peccato, de quo non adhuc sunt confessi. Isti, ut dicunt DD. (*a*) bene absolvi possunt, prima vice qua confitentur de pravo habitu, vel si de eo confitentur postquam retractaverunt; dummodo dispositi sint per verum dolorem, et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem; verum si habitus esset valde radicatus, potest etiam Confessarius ei differre Absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans Pœnitens in praxim deducendo media præscripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. Advertatur hic quod quinque vices in mense jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum, et bestialitatum multo minor numerus habitum queit constituere; qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic Habituatus dici potest.

71. *Recidivi* antem sunt qui post Confessionem eodem, vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione; Isti, ut communiter docetur (*b*), nequeunt absolvi, si sola signa ordinaria afferant, nempe si tantum confiteantur,

(a) *Tom. VII. lib.* 6. *num.* 458.
(b) *Ibid. v. Recidivus.*

asserendo se pœnitere, et proponere, prout habetur ex Propos. 60. damnata ab Innocentio XI. Nam habitus contractus, et relapsus præteriti sine ulla emendatione magnam præstant suspicionem, quod dolor et propositum, quæ Pœnitens asserit habere, nequaquam sint vera. Unde istis differenda est Absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. Et in hoc puncto lugenda est Animarum ruina, cujus causa sunt tot mali Confessarii, indistincte absolvendo tot Recidivos, qui cum repererint Confessarios, qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in cœno vitiorum usque ad mortem. Quidam DD. (a) admittunt, Recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem; sed huic opinioni nunquam potui acquiescere, dum Habituatus qui post unam Confessionem recidit sine emendatione, jam est verus Recidivus, et fundatam præbet suspicionem suæ indispositionis. Et notetur hic quod hæc regula procedit, etiam respectu culparum venialium: quamvis enim communiter admittitur facilius absolvi posse eos qui prolabuntur in peccata levia, eo quod occasiones eorum frequentiores sint; attamen, cum sit communis sententia (b) grave esse peccatum, et sacrilegium Absolutionem recipere levibus confessis sine vero dolore et proposito, nec sufficere dolere de multitudine seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari, prout tenuimus (c) contra quorumdam opinionem, facile

(a) *Lib.* 6. *num.* 459. *v.* Dicunt.
(b) *Num.* 449. *Dub.* 1.
(c) *Ibid. Dub.* 2.

metuendum est hujusmodi Confessiones sacrilegas esse, aut saltem invalidas. Hinc diligenter satagat Confessarius ad non absolvendos indistincte tales Pœnitentes, tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, tamen non poterit a sacrilegio excusari, Absolutionem impertiendo eis qui ad Absolutionem non satis dispositi judicari possunt. Propterea curet, si Pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero) ut habeat materiam certam super qua inniti possit Absolutio, alioquin etiam huic Pœnitenti per aliquod tempus differri oportet Absolutio.

72. Dico *per aliquod tempus*, eo quod Recidivis tam levium, quam gravium culparum non est necessarium differre eis Absolutionem per annos, aut menses, ut nimis rigide vult Juveninus (*a*); sed regulariter satis erit, si peccatum procedit ex fragilitate intrinseca, dilatio octo vel decem dierum, prout ait doctus Auctor Libri Romæ editi, cui titulus. *Istruzione per li Novelli Confessori* (*b*); idemque dicit Auctor Libelli ubique in Italia accepti, cui titulus, *Istruzione per li Novelli Confessori di Terre, e Villaggi* (*c*), ubi pro hac doctrina citat Ludovicum Habert (*d*). Addunque esse excessivam et periculosam dilationem mensis, quia post tantum tempus difficilis redditur reditus hujus-

(a) *Vide lib.* 6. *num.* 463.
(b) *Part.* 1. *cap.* 9. *num.* 215.
(c) *Cap.* 1. §. 4.
(d) *In Praxi Pœnitent. tract.* 4. *pag.* 417.

modi Pœnitentium. Et huic judicio favet Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica*, (a) ubi loquens de Confessariis qui rite Pœnitentibus Absolutionem differunt, sic deinde eos monet: *illos quantocius ut revertantur invitent, ut ad Sacramentale forum regressi, Absolutionis beneficio donentur.* Nota verba *quantocius*, et *donentur.* Ad summum (dico) his differre potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. Sed excipere oportet illos qui tempore Præcepti Paschalis confitentur; pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum justa suspicio haberi possit, quod hi abstineant a relapsu potius ut censuram effugiant, quam ex vero proposito mutandi vitam. Oportet etiam excipere eos qui lapsi sunt in occasione proxima extrinseca; isti enim majori egent experientia, cum occasio (ut dictum est in Capitulo præcedenti) sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen Confessarius, ne dicat Pœnitenti; ut non redeat nisi post mensem; nam hic ob tantam dilationem, nimis terrebitur, potius imponat ei, ut redeat post octo, vel quindecim dies, et sic blando modo, ipsum transferet ad recipiendam Absolutionem in fine mensis.

73. Ad absolvendos igitur Recidivos non sufficiunt ordinaria signa doloris et propositi, sed requiruntur extraordinaria: quæ alias juxta communem sententiam (b) certe sufficiunt ad Absolutionem impertiendam; illud enim extraordinarium signum (modo solidum sit et fundatum) aufert indispositionis suspicionem, quæ urget

(a) *Bulla*, Apostolica, *in Bullar. tom.* 3. *pag.* 143. §. 22.
(b) *Lib.* 6. *num.* 459. *v. Recidivus.*

ratione relapsuum. Recte dixerunt Episcopi Belgii, in an. 1697. congregati, in quodam Decreto edito pro directione Confessariorum suarum Diœcesium, de hoc puncto loquentes: *Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis, quam doloris* (a). Hinc prohibuerunt, ne Confessarii stabili lege exigerent a Pœnitentibus adhuc recidivis experientiam notabilis temporis, antequam eos absolverent. Et jure merito, sola enim probatio temporis non est unicum signum mutatæ voluntatis, dum voluntas peccatoris mutatur virtute Divinæ Gratiæ, quæ tempus non requirit, sed aliquando illico operatur; quapropter mutatio voluntatis bene per alia signa cognosci valet, sine experientia temporis. Quinimo alia signa dispositionis actualis Pœnitentium, quandoque voluntatis mutationem manifestant multo melius, quam probatio temporis: nam talia signa directe dispositionem ostendunt, dum e converso experientia illam ostendit tantum indirecte; cum non raro accidat, quod aliquis diu abstinuerit a peccando, et adhuc sit etiam indispositus. Unde Auctor Libri citati (*Istruzione per li Novelli Confessori*) sic ait (b). *Se la caduta nasce dalla propria fragilità, senz' altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto.* Et alibi (c) dicit quod Recidivus propter vim mali habitus absolvi debet, semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, sic subdendo: *E giudichiamo, che 'l fare altrimenti sia troppo rigore, e che 'l Confessore facendo s' allonta-*

(a) *Apud Croix lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1824.
(b) *Part.* 1. *cap.* 15. *num.* 356.
(c) *Prat.* 1. *cap.* 9. *num.* 213.

nerebbe dallo Spirito della Chiesa, e d l Signore, e della Natura del Sacramento, il quale non solamente è giudicio, ma è medicina salutare.

74. Plura autem sunt hæc signa, prout docent DD. (*a*) I. Major dolor manifestatus per lacrimas (modo sunt veræ compunctionis), aut per verba ex corde procedentia, quæ aliquando certiora signa quam lacrimæ esse possunt. II. Minor numerus peccatorum (intellige cum Pœnitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi); aut si Pœnitens post ultimam Confessionem perseveravit in Gratia per notabile tempus, puta per 20. aut 25. dies, ipse qui prius pluries in hebdomada prolabi solebat; aut vero si relapsus fuerit post magnam resistentiam; aut etiam si antequam ad Confessionem accederet, diu se abstinuerit a culpis mortalibus. III. Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset si Pœnitens diligenter occasionem vitaverit, media præscripta a Confessario executioni mandaverit, aut si adhibuerit jejunia, preces, eleemosynas, etc. ad vitium extirpandum. IV. Si ipse petit a Confessario remedia, aut nova media ad emendationem; item si promittit implere media quæ tunc ei suggerit Confessarius; maxime si numquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus censeo omnino fidendum, si alia signa desint; cum Pœnitens, ut Absolutionem carpant, facile promittant, sed postea difficulter attendant. V. Spontanea Confessio, nempe si Pœnitens accedit non jam ad implendum Præceptum Paschale, neque ex quodam usu pro se confitendi in aliquibus temporibus, prout in die Nativi-

(a) *Lib.* 6. *num.* 460.

tatis Domini, in Festivitatibus Deiparæ, et similibus, neque accedit impulsus a Parentibus, a Domino, aut Magistro: sed venit omnino sponte, et vere inspiratus a Divino lumine, ad solum finem, ut Divinam Gratiam recipiat. Præsertim si ad se confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili, grave substinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit. VI. Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, obve metus alicujus imminentis flagelli, prout terræmotus, pestis etc. VII. Si Pœnitens confiteatur peccata anterius per verecundiam tacita. VIII. Si pœnitens, antequam accedat, restituerit rem, vel famam ablatam. IX. Si propter monitionem Confessarii ostendit apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati, periculique suæ damnationis. Alii alia signa addunt, prout si Pœnitens magnam libenter acceptat pœnitentiam; si asserit pœnituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur velle mori potius quam peccare. Sed hæc signa nescio an sola satis esse possunt; potius dicerem quod possent deservire ad alia signa, quæ sola non sufficerent.

75. Denique semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari Pœnitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest; quamvis enim Confessarius, ut Pœnitentem absolvere possit, moraliter certus esse debeat ejus dispositionis, attamen advertendum, quod in aliis Sacramentis, in quibus materia est physica, physica etiam debet esse certitudo; sed in hoc Sacramento Pœnitentiæ, cum materia sit moralis, prout sunt actus Pœnitentis, sufficit moralis

certitudo, sive respectiva, ut probatum est (*a*): nimirum satis est quod Confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione Pœuitentis, sine aliqua prudenti suspicione in oppositum, alioquin difficulter unquam posset ullus peccator absolvi, nam omnia signa Pœnitentium aliud non fundant quam probabilitatem quamdam de ipsorum dispositione. Auctor (*dell' Instruzione per li Nov. Confessori*) sic inquit : *Non ricercasi altro per amministrare la Penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del Penitente; onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non deve il Confessore inquietare se stesso, nè il Penitente, per averne l' evidenza che non è possibile* (*b*). Et sic notandum circa malum habitum, quod facilius absolvi possunt Recidivi in blasphemiis, quam in aliis peccatis odii, furti, aut libidinis, quibus habitus fortius inhæret, causa majoris concupiscentiæ, sive inclinationis, quæ in illis invenitur.

76. Dictum est, Confessarium posse absolutionem impertiri Consuetudinario, et Recidivo, quando ille per signum extraordinarium dispositus apparet: sed non dicitur teneri, quia potest etiam absolutionem ei differre, si hoc censeat expedire, ut communiter DD. docent (*c*); Etenim, licet Pœnitens post Confessionem suorum peccatorum jus habeat ad Absolutionem, tamen non habet jus ut statim absolvatur; nam Confessarius tamquam Medicus bene potest, imo quandoque tenetur Absolutionem differre, cum

(a) *Num.* 57. *et* 461.
(b) *Part.* 1. *cap.* 15. *num.* 360.
(c) *Lib.* 6. *num.* 462.

judicat tale remedium necessario prodesse saluti sui Pœnitentis. An autem expediat ordinarie uti hoc remedio, aut non sine consensu Pœnitentis? Certum est non expedire, quod dilatio afferre potest magis detrimentum, quam profectum; et idem dicunt DD. quando ob dilationem Pœnitens subire deberet aliquam infamiæ notam, aut periculum (*a*). Extra autem hos casus, quidam volunt melius esse, quod hujusmodi Recidivis differatur Absolutio. Alii tamen communius censent id raro expedire; et hoc etiam sentit celebris nostrorum temporum Missionarius, R. P. Leonardus de Portu Mauritio in suo docto Sermone Romæ edito, cui titulus, *Discorso Mistico, e Morale*. Melius nihilominus dicendum, quod in hoc puncto nequit certa statui regula, sed Confessarius juxta occurrentes circumstantias gerere se debet. Deo se commendet, et secundum se sentit inspiratum, sic faciat. Ego ita censeo: Si Pœnitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis iræ, odii, blasphemiarum, mollitiarum, aut delectationum morosarum, dico cum sententia communissima Doctorum (*b*) quod raro expedit differre Absolutionem Recidivo, cum ille est dispositus: nam sperari debet magis Gratiam Sacramenti, quam dilationem Absolutionis illi prodesse posse.

77. Dico *ex fragilitate intrinseca*; aliter enim agendum cum eo qui relapsus est ob occasionem extrinsecam, quamvis necessariam; nam occasio vivaciorem excitat concupiscentiam, et complicis præsentia vehementius sensus commovet, et intensiorem reddit affectum ad peccandum,

(a) *Num.* 463.
(b) *Ibid. v. ut autem.*

quam facit pravus habitus intrinsecus; et ideò pœnitens in occasione extrinseca magnam sibi vim inferre debet, non tantum ad superandam tentationem, sed etiam ad se removendum a familiaritate et præsentia complicis, ut periculum ex proximo reddatur remotum. Et tanto magis hoc procedit, si occasio est voluntaria, et omnino auferri debet, quia tunc recipiens Absolutionem, antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum factum de illa removenda prout ostendimus in Capitulo præcedenti *num.* 61. E converso in consuetudinario ob causam intriusecam remotius est periculum violandi propositum, dum ex una parte non adest objectum extrinsecum quod tam violenter eum impellat ad peccandum: et ex altera illi non est voluntaria retentio mali habitus, prout est voluntarium non amovere occasionem cum possit; unde in tali necessitate Deus male habituato magis succurrit, et ideo plus quam a dilatione Absolutionis, sperari potest emendatio a gratia Sacramenti, quæ illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media quæ ipse adhibebit ad habitum extirpandum. Cur enim, recte dicunt Salmanticenses (*a*), magis sperari debet quod peccatori Gratia carenti prosit dilatio Absolutionis, quam prosit amico Dei Absolutio qua gratiam recipit. Et Cardinalis Toletus (*b*), loquendo præcise de peccato pollutionis, censet ad tale vitium vitandum non esse remedium efficacius quam sæpe se munire Sacramento Pœnitentiæ; subditque hoc Sacramentum maximum esse frenum hujusmodi peccatum committentibus: et qui eo non utuntur, inquit quod

(a) *De Pœnit. cap.* 5. *num.* 67. *in fin.*
(b) *Lib.* 5. *cap.* 13.

non sibi promittant emendationem nisi per miraculum. Et in facto S. Philippus Nerius (ut legitur in ejus vita (*a*)) maxime hoc medio frequentis Confessionis utebatur pro Recidivis in tali vitio. Huic quoque confert id quod ait Rituale Romanum, agendo de Pœnitentia : *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur ; et si expediat, communicent.* Et dicendo *facile recidentibus*, certe intelligit loqui de eis qui nondum pravum habitum extirpavere. Aliqui Auctores qui per se solam rigoris viam videntur velle Animas, salvas facere, dicunt Recidivos pejores fieri, cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his Magistris meis, an omnes Recidivi, cum sine Absolutione dimittuntur, carentes gratia Sacramenti, omnes evadant fortiores, et omnes emendentur ? Quot ego miseros novi in exercitio Missionum, qui dimissi sine Absolutione, vitiis et desperationi se abjecerunt, et per plurimos annos omiserunt confiteri ? Ceterum repeto : quisque se dirigere debet, juxta lumen quod donatur a Deo. Hoc certum est, quod in hac materia tam errant ii qui plus justo sunt faciles, quam ii qui sunt difficiles ad absolvendum. Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt in causa ; quod tot Animæ perdantur (et negari non potest isti in majori siut numero, et majus damnum afferant, dum isti in majori numero accedunt peccatores habituati) ; sed alii ob nimium rigorem etiam magno sunt damno Animarum saluti. Et nescio, an Confessarius debeat tantum sibi scrupulum injicere, quando absolvit indispositos, et non etiam quando dispositos sine Absolutione dimittit. Con-

(a) *Cap.* 6. *num.* 2.

cludo hic, et dico: Non nego quod aliquando bene prodesse potest Recidivo disposito dilatio Absolutionis: Dico secundo: semper proderit quod Confessarius hujusmodi Recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere. Dico tertio: Ordinarie loquendo, Recidivis ex fragilitate intrinseca, et per signum extraordinarium jam dispositis, magis Absolutionis beneficium proderit, quam dilatio. Utinam et Confessarii Recidivos absolverent tum solum cum signa extraordinaria afferunt! Id quod lugendum est; quod major, ne dicam maxima, Confessariorum pars universaliter Recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione, et sine aliquo saltem remedio præstito ad emendationem; et hinc vere procedit, non jam ab absolvendis dispositis, tot Animarum universalis pernicies.

78. Hoc tamen quod dictum est, communiter loquendo de Habituatis, et Recidivis, non procedit jam circa Initiandos in Sacris Ordinibus habituatos in aliquo vitio (præsertim in peccato turpi); circa hoc enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, sed Ordinandus habituatus, si vult ipse ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit, quod sit dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed oportet quod etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis; alioquin ad neutrum dispositus erit; cum enim sit indignus ascendendi ad Altare qui vix egreditur e statu peccati, nec habet probitatem positivam, necessariam respectu ab sublimitatem status in quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu Gratiæ. Quapropter tunc Con-

fessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non potuerit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium probationem. Id plene probatum est in Dissertatione Operi inserta (a), cum communi sententia Doctorum (b) ibi relatorum, qui docent quod ad sacrum Ordinem suscipiendum non satis est bonitas communis, idest simplex immunitas a peccato mortali, sed requiritur bonitas specialis, virtute cujus Initiandus sit a pravis habitibus depuratus, ut docuit D. Thomas (c): *Ordines sacri præexigunt sanctitatem, unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis, idest ab humore vitiorum.* Et ratio est, quia si Ordinandus hanc non habet specialem sanctitatem, indignus est super plebem constitui, ad altissima Altaris Ministeria exercenda: *Sicut illi* (loquitur idem S. Doctor) *qui Ordinem super Plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sine merito sanctitatis* (d). Et alibi (e) expressius præfatam rationem confirmat, dicens: *Quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima Ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirit etiam Religionis status.*

79. Verumtamen excipitur casus quo a Deo donaretur quis tam extraordinaria compunctione, quæ ipsum liberaret ab antiqua fragilitate; nam,

---

(a) *Lib.* 6. *ex n.* 63.
(b) *Ibid. n.* 68.
(c) 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 1. *ad* 3.
(d) *Suppl quæst.* 35. *art.* 1. *ad* 3.
(e) 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 8.

ut ait idem Angelicus (a). *Quandoque tanta commotione convertit* (Deus) *cor hominis , ut subito perfecte consequatur Sanctitatem spiritualem.* Raræ quidem sunt hujusmodi conversiones , et præsertim in Ordinandis , licet aliquam petant Domum religiosam , ut spiritualia agant Exercitia ; isti enim ut plurimum non ultro , sed coacti accedunt ; sed quando vere quis tantum reciperet gratiam a Deo (cujus admirabiles sunt misericordiæ) quæ ipsum taliter mutatum redderet , quod licet adhuc aliquod pravum motum sentiret , magnum tamen concepisset horrorem adversus peccatum , et simul notabiliter diminutum in se cognosceret ardorem concupiscentiæ, ita ut a gratia munitus facile jam inciperet tentationibus obsistere , et insuper firme statuisset in posterum , non tantum vitare peccata, et occasiones, sed etiam media opportuniora suscipere ad vivendum ut Sacerdotem decet, et jam simul incœpisset ad suam conversionem confirmandam instanter preces effundere pro sua perseverantia, cum magna et tali in Deum fiducia, quæ eum redderet moraliter securum de quadam magna mutatione vitæ , eo casu bene posset Confessarius eum absolvere , etsi ipse vellet statim post confessionem Ordinem sacrum suscipere. Attamen adhuc in hujusmodi casu Pœnitens magnam habuerit compunctionem , confessarius quantum potest adhibere se debet , ut illum inducat ad differendam susceptionem Ordinis , ad hoc , ut melius a pravo habitu se purget, et melius concepta proposita exequatur. Imo ad hunc effectum, si ille nolit differre susceptionem , potest etiam Confessarius tanquam Medicus, ad majorem ejus profectum , differre ipsi Absolutionem , ut lui-

(a) 3. *p. quæst.* 86. *art.* 5. *ad* 1.

tiandus Ordinis susceptionem differat. Hoc tamen intelligendum, modo ex tali dilatione non subeat ille periculum alicujus infamiæ, aut notæ, tunc enim (prout notatum est *n.* 76.) Pœnitens habet jus, ut statim absolvatur. Ceterum confessarii debent esse difficiles, quantum fieri potest, in absolvendis hujusmodi Ordinandis, qui postmodum ordinarie pessimi evadunt, et sic populis et Ecclesiæ perniciem magnam afferunt (*a*).

(*a*) *Vide lib.* 6. *ex n.* 69.

CAPITULUM VI.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Pœnitentibus qui contraxerunt aliquam censuram, aut casum reservatum, vel obligationem denunciandi, vel impedimentum dirimens, aut impediens Matrimonii.

80. ET I. quod pertinet ad censuras, si quis accedat irretitus a censura, aut casu reservato, super quo Confessarius facultatem non habeat, jam supra diximus actum esse charitatis, ut Confessarius adeat Episcopum pro facultate obtinenda. Episcopus autem vi Cap. VI. *Liceat*, *sess.* 24. Tridentini (*a*) absolvere potest omnes casus Papales occultos. Et hanc facultatem potest delegare aliis Confessariis, etiam generaliter, dummodo eos specialiter deputet ad hujusmodi casus absolvendos (*b*), excepta hæresi, et aliis casibus Bullæ Cœnæ (*c*); Nisi Pœnitens esset impeditus adeundi Romam; tunc enim Episcopus absolvere potest ab omnibus Papalibus, etiam publicis (*d*), et adhuc ab hæresi, et aliis Bullæ Cœnæ (*e*). Insuper Episcopi absolvere possunt ab excommunicatione ob percussionem levem Clerici vel Monachi, et etiam ob gravem, si percutiens est mulier, ex *c. Ea noscitur*, et *c. Mulieres*, *de sent. Excomm.* Item ab excommunicatione propter abortum fœtus animati,

(a) *Vide lib.* 7. *n.* 75.
(b) *Ibid. n.* 93.
(c) *Ibid. n.* 82.
(d) *Lib.* 1. *n.* 84.
(e) *Lib.* 7. *n.* 84.

virtute Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit *Romana Sedes*; Item ab excommunicatione ob communicationem in eodem crimine cum excommunicatis ab eisdem Episcopis; Item ab excommunicatione quam incurrunt Fratres Minores admittentes in suis Ecclesiis ad Divina Officia Fratres Tertii Ordinis; Item ab excommunicatione qua ligantur ii qui absoluti in articulo mortis ab aliqua censura ab Episcopo reservata, non se præsentant eidem postquam convaluerint, et demum ab omnibus censuris quas Episcopi sibi reservant (*a*).

81. Regulares autem etiam absolvere possunt Laicos a Papalibus occultis (*b*). Exceptis sex casibus Clementis VIII. (a quibus tamen bene possunt absolvere Episcopi, quando sunt occulti) scilicet 1. Percussionis Clerici. 2. Duelli. 3. Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ. 4. Fracturæ Clausuræ Monialium. 5. Simoniæ Realis. 6. Simoniæ confidentialis. Facultas enim quoad casus præfatos respectu ad Regulares degentes extra Romam, et intra Italiam, a prædicto Pontifice est eis expresse ablata (*c*). Quamvis autem nequeant Regulares absolvere Laicos a casibus reservatis ab Episcopis (*d*), possunt tamen ex probabiliori sententia absolvere a Papalibus reservatis Episcopis (*e*), exceptis semper vero sex casibus Clementis, ut supra. Quoad subditos vero possunt eos absolvere ab omnibus casibus Papæ reservatis, etiam publicis, etiamque a casibus Bullæ Cœnæ, exceptis *Relapsu in hæresim*,

(a) *Num.* 213.
(b) *Lib.* 7. *n.* 96.
(c) *Num.* 99.
(d) *Lib.* 7. *n.* 98.
(e) *Num.* 99.

Falsificatione Litterarum Apostolicarum, *et Delatione prohibitorum ad Infideles*, ex concessione facta Prælatis Ordinis Prædicatorum, et per communicationem aliorum Ordinum in Bulla, *Pretiosus* 79. edita ann. 1727. ubi insuper concessum est Generali Ordinis, *ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi* (scilicet orta ex homicidio) *dispensare cum Fratribus sibi subditis*, *dummodo homicidium non fuerit appentatum*, *et intra claustra extiterit consummatum* (*a*).

82. Notandum hic quod si quis ignorat censuram Papalem, nec ipsam, nec casus reservationem incurrit, quia casus Papales principaliter ob censuram reservantur (*b*). Ad differentiam casuum Episcopalium, quorum nesciens censuram, etiam incurrit casum; quia Episcopi principaliter casum reservant (*c*): et hoc etiamsi ignoretur casus reservatio, ut probavimus (*d*). Ceterum nulla incurritur censura ab eo qui invincibiliter eam ignorat (*e*). Item notandum, quod cum quis sacrilege in Jubilæo confessus fuerit, tunc reservatio non aufertur, ut probatum est, præsertim ex Declaratione N. SS. Papæ Benedicti XIV. (*f*). Idemque tenuimus (*g*), si confessio fuerit invalida, loquendo de Jubilæo; Sed extra Jubilæum, si quis invalide confessus fuerit apud aliquem confessarium, qui facultate pollebat super peccatis reservatis communis et

(a) *Lib.* 7. *vide n.* 101. *et* 104.
(b) *Lib.* 6. *n.* 580.
(c) *Ibidem.*
(d) *Num.* 581.
(e) *Lib.* 7. *n.* 43.
(f) *Lib.* 6. *n.* 537. *Qu. II.*
(g) *Ibid. v. Si autem.*

probabilior est sententia, quod absolutus a reservatione maneat (a). Estque etiam communior et satis probabilis opinio, Pœnitentem solutum esse a reservatione, quamvis confessio fuerit sacrilega, modo ipse culpabiliter non tacuerit præsertim peccatum reservatum (b).

83. II. Quod pertinet ad obligationem denunciandi, advertat Confessarius, quod ipse tenetur sub culpa gravi imponere Pœnitenti obligationem denunciandi superioribus aliquem, qui serio protulerit propositionem, aut blasphemiam hæreticalem, cum errore intellectus, et pertinacia, non jam ob ignorantiam, incuriam, aut lapsum linguæ; nam eo casu sufficit quod Pœnitens eum de suo errore moneat (c). Præterea debet imponere Mulieribus, aut Pueris, ut denuncient Confessarios qui eos sollicitaverint ad turpia, vel cum eis inhonestos tractatus habuerint. Observa Librum ubi distincte est hæc materia discussa (d). Sed circa praxim advertat Confessarius 1. in hac sollicitationis materia non esse nimis festinum in imponendo Pœnitenti onus denunciationis, nam in dubio, an illa fuerit vel ne sollicitatio, tale onus injungi non debet (e); nisi cum verba, aut actus ex se sollicitationem importarent, et tantum dubium verteret de intentione sollicitantis; aut si adessent vehementia indicia, esto non evidentia, sollicitationis, sine indiciis in oppositum; tunc enim illi quodammodo moralem fundant certitudinem (f). Advertat 2. ne sit fa-

(a) *Lib.* 6. *n.* 598. *Qu. IV.*
(b) *Ibidem.*
(c) *Lib.* 4. *n.* 254. *v. Not. II.*
(d) *Lib.* 6. *ex n.* 675.
(e) *Num.* 702.
(f) *Ibid. v. Excipiendum.*

cilis ad suscipiendum in se onus denunciationis, nisi in aliquo casu raro, in quo charitas id sibi proponeret, ob magnam difficultatem quam forte Pœnitens haberet adeundi Superiores. Advertat 3. quod ipse nunquam omittere debet imponere Pœnitenti sollicitato hanc obligationem denunciationis, quamvis prævideret Pœnitentem illam non impleturum; nam directe Confessario injunctum est a Pontifice onus, ut talem obligationem intimet (*a*). Unde donec Pœnitens eam non adimpleat, expedit quod absolutionem ei differat. Atque si Confessarius dubitat, quod ille difficulter eam adimplebit, tunc omnino absolutionem illi differre debet. Bene tamen potest eum absolvere, si Pœnitens est pro tunc impeditus, et firmum habet propositum denunciandi, statim ac commode potest (*b*). Hujusmodi denunciationes fieri debent saltem intra mensem (*c*): Item notandum, quod a N. SS. PP. Benedicto XIV. (*d*) cuique impositum est onus denunciandi Confessarium, quem sciret obligasse Pœnitentem ad manifestandum complicem, nisi ex mera simplicitate aut imprudentia id egisset. Ultimo notandum circa sortilegia Laicorum, quod hodie in nostro Regno Neapolis, propter Insinuationem nostri Regis Caroli III. non adest obligatio illa denunciandi, nisi cum intervenit abusus SS. Eucharistiæ, aut Olei Sancti (*e*).

84. III. Demum quod pertinet ad impedimenta Matrimonii, cum Pœnitens aliquod impedimentum habet, et Matrimonium nondum est

---

(a) *Lib.* 6. *n.* 694.
(b) *Num.* 693.
(c) *Ibid. v. Hoc tamen.*
(d) *Lib.* 6. *n.* 491.
(e) *Lib.* 4. *n.* 253. *in fin.*

initum, plura distinguere oportet: Si impedimentum est consanguinitatis, aut cognationis spiritualis, aut affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum, aut publicæ honestatis, etsi esset occultum, Confessarius adstringere debet Pœnitentem vel ad denunciandum impedimentum, vel ad Dispensationem obtinendam a Dataria. Si autem impedimentum est affinitatis ex copula illicita cum consanguinea Sponsæ usque ad secundum gradum, modo adfuerit copula consummata cum seminatione perfecta (*a*), aut est impedimentum criminis, nimirum homicidii Conjugis utraque parte conspirante, aut homicidii cum adulterio, aut adulterii cum fide Matrimonii, aut Matrimonii attentati, prout fuse declaratum est in Libro (*b*); in his casibus, semper ac impedimentum est occultum, impetranda est dispensatio a S. Pœnitentiaria. Idemque currit, si Pœnitens impedimentum habeat voti castitatis, aut Religionis. Si vero aliqua urgentissima adesset causa in aliquo casu raro, nempe scandali, rixarum, aut infamiæ imminentis, et tempus aut modus deesset recurrendi ad Pœnitentiariam, posset etiam tunc Episcopus dispensare (*c*). Et si neque adesset modus adeundi Episcopum, observa quod dictum est in Libro (*d*) et supra *cap. I. §. 2. n.* 8.

85. Si autem Pœnitens jam contraxisset Matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, tunc si impedimentum provenit ex copula licita, etiam observandus est Liber (*e*);

(a) *Lib.* 6. *n.* 1036. *et* 1075.
(b) *Lib.* 6. *ex n.* 133.
(c) *Num.* 1122.
(d) *Lib.* 6. *n.* 612. *v. Sed hic.*
(e) *Num.* 1144.

si autem ex copulla illicita, aut ex crimine, et Pœniteus est in bona fide, et contra adesset periculum mortis, scandali, aut incontinentiæ, si ipsi manifestaretur impedimentum, eo casu Confessarius impedimentum ei occultare debet, et interim procurare a S. Pœnitentiaria dispensationem, qua obtenta, debet patefacere impedimentum, debetque tunc diligenter secum consulere modo quo reconvalidatio Matrimonii facienda est. Ad hanc autem reconvalidationem non quidem est necessaria assistentia Parochi et testium, ut probatum est (*a*); sed ut diximus (*b*), tenetur pars conscia impedimenti alteram certiorare de nullitate Matrimonii, juxta solitam Clausulam S. Pœnitentiariæ: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, etc.* Et ideo per se loquendo ad hanc clausulam exequendam, non sufficit id quod aliqui DD. admittunt, scilicet dicere: *Si me non duxisses, duceres nunc?* Aut: *Dic mihi, te volo.* Aut: *Pro mea consolatione renovemus consensum.* Semper enim talis consensus est dependens a priori, qui fuit nullus. Nec sufficit copula ut alii dicunt, etiam affectu maritali habita. Bene tamen satis erit dicere: *Nostrum conjugium invalidum fuit, ob quandam circumstantiam* (dum non est obligatio manifestandi qualitatem impedimenti, *renovemus consensum.* Aut: *Quando te duxi, non habui verum consensum* (nam consensus nullus, non est verus consensus). Aut: *Ego dubium habeo de valore nostri Matrimonii, unde iterum contrahamus.* Quia tunc consensus qui præstatur, jam a priori non dependet. Verum, quando

---

(a) *Num.* 1100.
(b) *Lib.* 6. *n.* 1115.

prudens timor esset quod præfatos modos adhibendo patefieret crimen, et pericula instarent rixarum, infamiæ, aut scandali; et vice versa Conjux impedimenti conscius non posset excusari a debito reddendo, tunc, executa jam dispensatione, sufficit, quod ipse utatur aliquo ex modis supra relatis; etiamque sufficit quod ipse solus consensum ponat, cum possit in tali necessitate sequi sententiam, quæ docet bene conjungi ad Matrimonium convalidandum consensum suum cum consensu ab initio præstito a parte ignoranie, qui per continuationem usus Matrimonii, aut cohabitationis virtualiter perseverat (*a*).

86. Si autem Pœnitens haberet impedimentum impediens, scilicet ad non petendum debitum, causa copulæ habitæ cum consanguinea in secundo gradu suæ uxoris, hic a tali impedimento solvi debet, vel a S. Pœnitentiaria, vel ab Episcopo, aut ab aliquo Confessario Regulari qui facultatem habeat a Prælato sui Monasterii (*b*). Sed si Pœnitens ignoraret legem Ecclesiasticam, quæ ultra Divinam hujusmodi incestum prohibet, tunc non incurrit impedimentum (*c*). Quinimo etiamsi legem sciret, sed talem ignoraret pœnam, etiam est probabile quod eam non incurrat (*d*). Saltem si periculum extet incontinentiæ, relinquendus est Pœnitens in sua bona fide.

87. Notemus hic Formulas ad obtinendum a S. Pœnitentiaria dispensationem in præfatis impedimentis, necnon votis, aut irregularitatibus.

(a) *Ibid.*
(b) *Num.* 1076. *v. Insuper.*
(c) *Lib.* 6. *n.* 1072.
(d) *Num.* 1074.

Circa impedimenta Matrimonii, intus sic scribatur: *Eminentissime et Reverentissime Domine.*

N. N. Rem habuit cum quadam muliere, et postea Sponsalia contraxit cum ejus sorore. Impedimentum est occultum, et si conjugium non fieret, plura evenirent scandala Supplicat ideo Eminent. V. ut dignetur ei dispensationem concedere. Favebit responsum mittere Neapolim (aut Aversam per viam Neapolis) ad N. N. (hic exprimatur nomen et cognomen) *Confessarium approbatum* etc.

Si autem Matrimonium est jam initum scribatur sic: *N. N. ignarus (aut conscius) impedimenti Matrimonium contraxit cum aliqua Femina, cujus matrem (aut sororem) prius carnaliter cognoverat. Ideo, cum impedimentum sit occultum, et non possit separatio sine scandalo fieri, supplicat Eminent. V. pro absolutione et Dispensatione, etc.*

Circa vota castitatis: *N. N. votum emisit castitatis; sed nunc est in gravi, et imminenti periculo incontinentiæ; ideo supplicat Eminent. V. ut dispensare dignetur in dicto voto, ut possit Orator Matrimonium inire, etc.* Eodem modo fere scribendum pro dispensatione in Voto Religionis. Et notandum quod ad dispensandum in Voto castitatis non sufficit quodvis commune periculum incontinentiæ, sed requiritur grave et imminens, prout innuimus.

Circa irregularitates: *N. N. Sacerdos contraxit irregularitatem causa homicidii (aut violationis censuræ, etc.); et cum adsit periculum infamiæ, si abstinet a celebrando, ideo supplicat, etc.*

Foris in Epistola ponitur: *Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Colendissimo.*

Domino Cardinali Pœnitentiario Majori.

Romam.

88. Confessarius, aut is cui Dispensationis executio commissa erit, in dispensando post Sacramentalem absolutionem impertitam, sequenti formula uti poterit: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita, a te habita cum sorore mulieris cum qua contraxisti (aut contrahere intendis), ut Matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies (vel suscepisti), legitimam declaro. In nomine Patris, etc.* Si Dispensatio autem est in voto Castitatis, dicet: *Insuper tibi votum Castitatis quod emisisti, ut valeas Matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine, etc.* Et si quis, non obstante voto Castitatis Matrimonium contraxisset, dicit: *Item non obstante Castitatis voto quod emisisti, ut in Matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, Auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine, etc.*

89. In quibus autem casibus S. Pœnitentiaria absolvere possit, aut dispensare a casibus Papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, etc. observa Librum (*a*). Et in quibus casibus dispensare possit in impedimentis Matrimonii vide (*b*).

(a) *Lib.* 7. *num.* 470.
(b) *Lib.* 6. *num.* 1144.

CAPITULUM VII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum personis diversi generis?

§. I.

Quomodo cum Pueris, Adolescentibus, et Puellis?

90. CUm pueris adhibere debet omnem charitatem, et modos suaviores quantum fieri potest. Primo eos interrogare debet, an sciant res fidei? et si nesciant oportet eos patienter instruere pro tunc, si tempus adest, vel eos mittere ad alium, ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem. Cum autem agat de Confessione, in principio curare debet, ut pueri ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt: et postea fieri illis poterunt sequentes interrogationes: 1. An tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam? 2. An blasphemaverint in Sanctos, aut dies sanctos, vel an juraverint cum mendacio? 3. An omiserint in Festis audire Missam, aut in audienda illa sermones habuerint? Et an in Festis laboraverint? 4. An parentibus fuerint inobedientes, aut irreverentiam irrogaverint eos subsannando, manus in eos extollendo vel convicia aut imprecationes coram ipsis proferendo. Et hic advertendum quod dictum est *num.* 34. de modo imponendi pueris petitionem veniæ a parentibus. 5. An aliquod turpe peccatum patraverint? Sed in hac materia Confessarius sit valde cautus in interrogando:

incipiat interrogare de longe, et verbis generalibus: et prius an dixerint mala verba? an jocati fuerint cum aliis pueris, aut puellis? Et si jocos illos clam exercuerint? Deinde interroget, an commiserint res turpes? Multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, verbi gratia: *Et nunc dic mihi, quoties hæc fecisti? Quinquies, decies?* Interroget, cum quo dormiant, et si in lecto manibus jocati fuerint? Puellas interroget, si aliquem invenem amore fuerint prosecutæ, et an si adfuerint pravæ cogitationes, verba, aut tactus? Et a responsis procedat ad ulteriores interrogationes, sed caveat ab exquirendo a puellis, vel a pueris, an adfuerit seminis effusio; cum his enim melius est deesse in integritate materiali Confessionis, quam esse causam ut apprehendant quæ nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. Interrogetur etiam a pueris, an attulerint nuntia vel dona virorum mulieribus? Et puellis, an acceperint dona a personis suspectis, nempe conjugatis, Ecclesiasticis, aut Religiosis? 6. Interroget, an commiserint furtum, vel an damnum attulerint prædiis alienis, bestiis, aut alio modo? 7. An alicui detraxerint? 8. Circa præcepta Ecclesiæ interroget, an impleverint Confessionem et Communionem Paschalem? Et an carnes aut lacticinia comederint diebus vetitis?

91. Quod autem pertinet ad absolutionem his pueris impertiendam, magna requiritur attentio. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis jam habeant, prout si distincte confitentur, vel adæquate interrogationibus respondent, et appareat quod ipsi jam comprehendant cum peccato offendisse Deum, et meruisse Infernum; tunc si satis videantur dispositi, absolvantur.

At si in peccatis lethalibus sunt recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti: unde si non præbeant extraordinaria signa doloris, absolutio eis differri debet. Si autem dubium sit, an puer perfectum usum rationis habeat, prout si ille in actu Confessionis non maneret compositus, sed oculos in gyrum ageret, manibus jocaretur, impertinentia interponeret; tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi Præceptum Paschale, absolvendus est sub conditione; et tanto magis si confessus fuerit aliquod dubium mortale (*a*); bene enim potest administrare Sacramentum sub conditione, quando justa adest causa, ut esset hæc liberandi hunc puerum a statu damnationis, si unquam in illum est lapsus (*b*). Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus; dum ideo differri debet absolutio iis qui perfectam discretionem habent, quia spes est, quod ex tali dilatione ipsi redeant dispositi; sed spes hæc difficulter haberi potest a pueris qui perfecto usu rationis carent. Et probabiliter plures DD. dicunt (*c*) quod pueri isti dubie dispositi absolvi possunt (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, licet sola venialia afferrent, ne careant diu gratia Sacramentali, et forte etiam sanctificante, si forte aliquam culpam haberent ipsis occultam. Oportet autem curare, ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium ad suscipiendam absolutionem, modo respectu ipsorum magis proprio, exempli gratia: *Amas ne Deum qui est Dominus tuus tam magnus, et tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc Deum tu of-*

(a) *Tom. VII. lib.* 6. *num.* 432. *v. IV.*
(b) *Lib.* 6. *num.* 28.
(c) *Num.* 432. *in fine.*

fendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera quod propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet se pœnitere. Quid dicis? pœnitet te nunc eum offendisse, etc. Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis quod Infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti? Deus meus, numquam amplius volo te offendere, etc. Pœnitentia autem his pueris injungenda levis sit quantum fieri potest; et curandum, quod illa ab ipsis quantocius impleatur, alioquin aut eam obliviscentur, aut omittent. Curet etiam Confessarius magnopere pueris insinuare devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie Rosarium, et ter *Ave* mane et sero, semper hanc precem adjungendo: *Mater mea, libera me a peccato mortali.*

92. Circa vero statum ab aliquo adolescente eligendum, non audeat Confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari. Præsertim, loquendo de iis qui Religionem ingredi volunt, ante omnia curet Confessarius bene ponderare, in qualem Religionem ingredi cupiant; nam si unquam Institutum illud relaxatum est, melius erit alicui (ordinarie loquendo) quod in seculo remaneat; nam illi se aggregando ipse se geret sicut se gerunt alii, et parum illud boni quod prius exequebatur, de facili in tali Religione negliget, ut misere pluribus accidit. Et præcipue magnum scrupulum sibi faciat Confessarius, si ad insinuationem propinquorum suadeat juveni illi, ut intret in aliquam hujusmodi inobservantium communitatum. Si tamen Religio observantia floret, Confessarius vocationem sui pœnitentis bene probet, inquirendo si ad illam habeat pœnitens impedimentum aliquod inhabi-

litatis, infirmæ valetudinis, inopiæ parentum? et maxime expendat finem, an si rectus, nempe magis se conjungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactæ vitæ, aut seculi pericula vitandi? quod si principalis finis esset mundanus, vitam agendi commodiorem, aut se liberandi a propinquis duræ conditionis, aut complacendi parentibus, qui ad hoc eum impellunt, caveat, ne permittat Religionem ingredi; nam eo casu illa non est vera vocatio, sine qua hujusmodi ingressus malum habebit eventum. Si autem finis est bonus, et abest impedimentum, nec debet, nec potest Confessarius, neque alius ut docet D. Thomas (*a*), sine culpa gravi, illi impedire, aut dissuadere vocationem; quamvis prudenter aget aliquando, si executionem illi differat ad melius experiendum, an resolutio sit firma et perseverans, præsertim si noverit adolescentem esse volubilem, aut si deliberatio illa facta fuerit tempore Missionis, vel Exercitiorum Spiritualium: dum in hujusmodi occasionibus quædam concipiuntur proposita, quæ postmodum, primo fervore transacto deficiunt.

93. Si aliquis adolescens vellet suscipere statum Presbyteri secularis, non sit facilis Confessarius ad annuendum, sine longa et probata experientia recti finis, et scientiæ, vel sufficientis capacitatis. Sacerdotes quidem seculares habent eandem, imo majorem obligationem quam Religiosi; et contra remanent in eisdem seculi periculis; unde ut quis bonus evadat Sacerdos in seculo (in quo raro, ne dicam rarissime boni inveniuntur) oportet, quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, et deditam Orationi et

(a) *S. Th. Quodlib.* 3. *art.* 14.

Sacramentorum frequentiæ (sed quis est hic, et laudabimus eum?) alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis; præsertim si hoc faciat, ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere. Jam autem dictum est supra *n.* 35. quam gravissimum sit peccatum, quod patrant parentes illi qui filios cogunt, ut statum Ecclesiasticum aut Religiosum inviti suscipiant. Quoad puellas vero quæ virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitæ spiritualis regulis, et præcipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius.

94. Demum quoad adolescentes illos qui volunt aut debeant ducere uxorem (dico debent, prout probatum est in Libro (*a*), loquendo de iis qui essent incontinentes, et nollent adhibere alia media opportuna ad se continendos) advertendum, quod sicut peccarent parentes qui sine justa causa eis honestum Matrimonium impedirent (*b*), ita contra peccarent filii (et ideo Confessarius tenetur illis hoc prohibere), qui vellent cum dedecore familiæ Matrimonium inire, aut quamvis conjugium non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, et cum eorum scandalo, quin ipsi filii justam causam habeant, ob quam excusentur. Observa quomodo in Libro id elucidatum est (*c*).

(a) *Lib.* 6. *num.* 75.
(b) *Num.* 850. *v. Conveniunt.*
(c) *Num.* 49.

§. II.

Quomodo se gerere debeat cum Scrupulosis?

95. Doctores plures assignant regulas pro scrupulosis; sed certum est pro his post orationem, remedium maximum (ne dicam unicum, ut recte ait *P. Segneri*) ad eos curandus est obedientia suo directori. Hinc ante omnia incumbat Confessarius, et suadeat pœnitenti hujusmodi duas principales regulas: Primam, quod ipse tuta coram Deo incedit via Patri spirituali obediendo, ubi evidenter peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo qui dixit: *Qui vos audit, me audit.* Sic docent omnes Doctores, et spirituales Magistri cum S. Bernardo, S. Antonino, S. Francisco Salesio, S. Philippo Nerio, S. Teresia, S. Joanne a Cruce, S. Ignatio de Loyola, B. Dionysio Cartusiano, B. Umberto, Ven. P. M. Avila, Magno Gersone, etc. Alteram regulam, quod nullo alio scrupulo debeat angi quam si non obediat, propter magnum periculum cui se exponit amittendi, non tantum pacem, devotionem, et in virtutibus progressum, sed etiam mentem, sanitatem, et insuper Animam; nam possent scrupuli eo progredi, ut eum ad desperationem reducerent, mortem sibi inferendo (prout pluribus accidit), vel habenas ad vitia relaxando. Præterea Confessarius hujusmodi pœnitenti scrupuloso insinuet, prout recte dicit doctus Auctor Instructionis pro novis Confessariis (*a*), cum Deo non ineundas esse rationes

(a) *Part.* 1. *num.* 76.

ut dici solet) dati et expensi. Dominus propter nostrum bonum voluit, ut nos incerti de salute vivamus: quapropter, cum moralem adhibemus diligentiam ne ipsum offendamus, in ejus misericordiam totam nostram curam projicere debemus; et confitentes nos salvari non posse sine ejus gratia, hanc ab eo semper petere debemus cum perseverantia, fiducia, et animi quiete: *Hoc melius est*, dicebat S. Franciscus Salesius (a) *clausis oculis incedere sub divina Providentia inter tenebras et perplexitates in hac vita. Expedit, ut contenti simus, si a Patre spirituali sciamus nos bene incedere, quin causam investigemus. Nunquam periit vir obediens.* S. Philippus Nerius affirmabat, quod qui paret Confessario, securus sit de non reddenda actionum suarum Deo ratione (b). Et contra S. Joannes a Cruce ajebat, non inniti dictis Confessarii, superbia est, et fidei inobservantia (c).

96. Denique Confessarius curet 1. sæpe sæpius colloqui cum hujusmodi pœnitente de nimia confidentia, quam habere debemus in Jesum Christum, qui propter nostram salutem mortuus est: et in ejus SS. Matrem, quæ tam potens est, et pia cum iis, qui ei se commendant: unde eum hortetur ad vivendum securum de sua salute semper ac ad Jesum Christum, et Mariam confugit: certe enim ipsi exaudiunt. 2. Ei prohibeat, quominus legat libros qui scrupulos excitant, et quominus versetur cum scrupulosis; et si quis erit nimis angustiis affectus, ei vetet, ne concionibus terrore plenis interveniat, et ne conscientiam examinet de iis re-

(a) *In vita circa fin. Massima* 27. *etc.*
(b) *In vita lib.* 1. *cap.* 20.
(c) *Tratt. delle Spine coll.* 4. §. 2. *num.* 8.

bus, de quibus scrupulum, sed irrationabiliter habet. 3. Si scrupulus consistit in timore malis cogitationibus assentiendi (v. gr. contra fidem, puritatem, aut charitatem), Confessarius sit liber et intrepidus in parvipendendo eum, et in afferendo pœnitenti, has cogitationes esse sibi pœnas, non autem consensus, nec peccata. Et in hoc præcipue ut Confessarius utatur illa regula quam assignant DD. (a), quod cum persona est timoratæ conscientiæ, si non est plus quam certa de peccato mortali, debet judicare illud non admisisse: siquidem, ut ait P. Alvarez, tantum monstrum possibile non est in Animam aditum habere quæ ab illo horret, quin patenter illud videat. Unde prodest, scrupulosis interdum imponere, ne penitus de talibus cogitationibus se accusent, nisi certi sint, et cum juramento testari possunt se consensum præstasse. Et hic notandum, quod scrupulosi non sunt regendi regulis particularibus, sed generalibus: etenim particularibus regulis scrupulosi nunquam deveniunt, ut se expediant, dubitando semper an illa regula valeat vel non pro præsenti casu, qui semper sibi videbitur alius ab illo qui a Confessario supponitur.

97. Si 4. scrupulus est circa præteritas Confessiones, nempe quod in eis non satis explicaverint omnia peccata, aut circumstantias, vel quod defecerint in dolore, Confessarius, cum advertat pœnitentem fecisse Confessionem generalem, aut per aliquod notabile tempus pluries repetiisse res anteactas; huic imponere debet, ne illas amplius deliberate recogitet, et ne verbum faciat de culpis vitæ præteritæ, nisi cum jurare possit eas fuisse certe mortales, et præ-

(a) *Lib.* 6. *num.* 476.

terea certe numquam in Confessione eas dixisse; dum docent DD. (*a*) scrupulosos, etiamsi ex inadvertentia omisissent aliquod grave peccatum, non teneri (saltem cum de hoc non sint certi) cum tanto incommodo et periculo ad servandam Confessionis integritatem, a qua minus quidem incommodum quam hoc jam excusare valet (*b*). Curet in hoc Confessarius, ut pœnitens exacte obediat, et si non obedit eum increpet, privet Communione, et rigorose coërceat. Scrupulosi ordinarie cum dulcedine tractandi sunt, sed circa obedientiam magnus rigor cum ipsis est adhibendus; si enim hanc obedientiæ anchoram amittunt, certum incurrunt naufragium, nam aut amentes evadent, aut habenas in vitia relaxabunt.

98. Si 5. qui scrupulosus pavet peccare in omni re quam agit, huic præcipiat Confessarius, ut libere operetur, et scrupulum superet; eique dicat, imo ipsum teneri ad scrupulum vincendum, semper ac evidenter non advertit actionem illam esse certum peccatum; ita cum *P. Segneri* DD. docent (*c*). Nec obest quod agat cum actuali timore, quin scrupulum deponat (quod est quasi impossibile a scrupulosis exigere); etenim hujusmodi pavor non est verum conscientiæ dictamen, sive formata conscientia, ut *Gerson* bene distinguit (*d*), nec verum dubium practicum; nec aufert judicium ante formatum (quod virtualiter perseverat, licet tunc ob impetum timoris non advertatur), nimirum quod ipse non peccat, quicquid agendo quod certum

(a) *Lib.* 1. *num.* 87. *v.* 2. *Quod nihil.*
(b) *Lib.* 6. *ex num.* 488.
(c) *Lib.* 2. *num.* 86. *et P. Segneri cap. ult.*
(d) *Dicto num.* 86.

peccatum non agnoscit, tunc enim non contra conscientiam, sed contra vanum illum timorem operatur (a). Firmiter igitur Confessarius hujusmodi pœnitenti præceptet, ut scrupulum vincat et despiciat, libere agendo id quod scrupulus ei vetat; et insuper injungat, quod postmodum de illo nunquam nec omnino confiteatur.

§. III.

Quomodo se gerere debeat cum personis devotis.

99. Personis devotioni deditis, quæ frequenter accedunt ad Communionem, ordinarie loquendo, insinuandum, ut saltem in qualibet hebdomada Sacramentalem absolutionem suscipiant. Hujusmodi pœnitentes, si tantum de imperfectionibus confitentur quæ non pertingunt ad culpas certe veniales; dicit *Bonacina* (b) hos absolvi posse sub conditione; sed hoc non admittendum censeo, nisi perraro, et cum ipsi non possent materiam certam præteritæ vitæ assignare, vel non sine magna molestia. Ceterum dico, quod si pœnitens certam non exhibet materiam, non debet Confessarius angi in eam perquirendo, ut illum absolvat; et casu quo perquisisset, nec invenisset, non tenetur ei conditionatam absolutionem impertire. Hoc procedit, cum pœnitens confitetur (ut dixi) de defectibus, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia; at si de certis venialibus confitetur,

---

(a) *Num.* 86. *v. Hinc duo.*
(b) *Lib. IV. num.* 432. *vers. IV. Si dubitetur.*

sed usualibus, sive quotidianis, puta de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in officio, in oratione, et similibus, ut absolutio illi præberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi quantum potuit vim intulerit, ut passionem superaverit, quia tunc judicari poterit ejus culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. E converso, si ille frequenter et sine resistentia in hujusmodi culpa relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo, juxta dicta ex *num.* 71.

100. Plura insuper hic notanda; et 1. caveat Confessarius, ne his suis pœnitentibus spiritualibus, præsertim feminis prohibeat accedere ad alium Confessarium; et cum advertit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; imo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur; præterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat, ne si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter Confessarius, ne sollicitum se ostendat, se velle alicujus Animæ directionem suscipere. 2. Nunquam absque necessitate de aliorum Confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quærat eos ab aliquo errore commisso excusare. 3. Directionem non suscipiat alicujus qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docent S. Philippus Nerius, S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromæus, et alii; ex hoc enim sæpe dissipationes, perturbationes, et quandoque etiam scandala oriuntur. Advertatque, ad mutandum Confessarium non satis esse, quod pœnitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere; ut enim ait S. Theresia, sæpe hæc est dæ-

monis tentatio. Unde S. Franciscus Salesius sic docet: *Confessarius non est variandus sine gravi ratione.. Sed contra neque expedit in hoc esse invariabile, si legitimæ causæ mutationis superveniant.* Ceterum dicit S. Theresia justam esse posse causam mutandi Confessarium, defectum bonitatis, ita inquiens: *Si Confessarius proclivis alicui vanitati appareat, mutetur; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet.* Propterea poterit esse justa causa mutandi defectus doctrinæ; de hoc tamen certam oportet haberi præsumtionem. De cetero, ait S. Theresia, quod de dubiis bene potest pœnitens alios doctos directores consulere, imo aliquando hoc omnino expedit. 4. Exitet Confessarius partialem se ostendere cum aliquo pœnitente. Quidam ad aliquam animi benevolentiam nimis adjiciunt; cum illa omnem curam, tempus, et laborem insumunt. Non negandum quod aliqua Anima quandoque majori indigebit assistentia, quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhæsio, quæ efficit, ut parcior cura de aliis pœnitentibus habeatur. Ideo expediet, quod Confessarius personæ illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant.

101. Notandum 5. quod in excipiendis Confessionibus harum personarum spiritualium Confessarius cavere debet, ne nimis attollat vocem, quamvis de peccatis non loquatur: quia ex hoc accidere potest, quod alii expavescant suas culpas confiteri, ob hunc timorem quod Confessarius alta voce loquatur. 6. Non sit facilis permittere devotis puellis, ut capillos præcidant, et aliquem induant habitum religiosum; sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in vita spirituali et in virtutibus fixius radices immiserint. Propter istam nimiam facilitatem Confes-

sariorum, quot puellæ postea habitum dimittunt, et nuptias ineunt cum scandalo loci, et malo exemplo aliarum! 7. Neque his puellis indulgeat Confessarius, ut a viris doceantur legere, et tanto minus scribere. Quot puellæ simplices, quia didicerunt legere, Animæ jacturam luxere! Hæc si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa. Si cupiunt talia addiscere, curent doceri ab aliqua alia muliere, aut ab aliquo fratre parvulo (et adhuc cum cautela), alioquin eas non absolvat; nec etiam absolvat matres quæ hoc permittunt. 8. Neque concedat feminis juvenibus ut vagent, Ecclesias visitando, utque in Ecclesia morentur plus, quam est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eas moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo. Quomodo autem, et quantum Confessarius cavere debeat a familiaritate suarum pœnitentium, de hoc sermo fiat *num.* 119. De directione autem Animarum spiritualium in toto IX. Capitulo loquemur.

§. IV.

Quomodo debeat se gerere Confessarius cum mutis, et surdis?

102. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad ejus Confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum et doloris, meliori modo quo potest. Sed prius, quam eum audiat, curet Confessarius instrui ab ejus familiaribus de ipsius vitiis, et de modo tenendo, ut eum percipiat,

et ab eo percipiatur ; et cum aliquod jam perceperit ejus particulare peccatum , cum signo doloris , illum debet absolvere. Sed ego semper eum sub conditione absolverem , nisi quandam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

103. Mutus si sciret scribere , juxta nostram sententiam (*a*), ipse tenetur ad confitendum per scripturam ; qui enim tenetur ad finem , tenetur etiam ad media ordinaria. Dico *ordinaria* , quia scriptum non esset muto ordinarium medium , si alioquin magnum ille deberet laborem subire ad suam Confessionem explendam , aut si manifestationis periculum esse posset.

104. Si unquam accederet ad Confessarium aliqua mulier surda , aut surdastra , et Confessarius in progressu Confessionis , interrogans de circumstantiis peccati confessi , adverteret eam, esse surdam, dubium fit, an Confessarius possit illi alta voce dicere , ut redeat alio opportuno tempore et loco ; Casus hic sæpe in Missionibus accidit , et valde quandoque Missionarios angit. Ego sic agendum puto: si illius surditatem sub initio Confessionis noverit, tunc libere potest ei imponere ut redeat. At si in progressu Confessionis id adverteret , eo quod pœnitens minime adæquate interrogationibus respondet , tunc nequit Confessarius ei injungere alta voce ut redeat , ita ut circumstantes hoc audiant ; quia suspicionem quidem illis ingereret , quod pœnitens confessa sit de aliqua gravi culpa , aut saltem dubie gravi ; quapropter eo casu , etiamsi ipsa de aliquo mortali fuerit confessa , eam absolute absolvat , si dispositam agnoscat ; alioquin absolvat sub conditione ;

(a) *Tom. VII. lib.* 6. *num.* 479. *v. Quær.*

etenim, ne sigillum frangat, tunc nequit certiorari de illius dispositione, neque (ut dixi) potest ei injungere, ut redeat; et tunc levem ei imponat pœnitentiam, cum satisfactio illa ob surditatem etiam ab aliis audienda esset (*a*).

§. V.

Quomodo se gerere debeat cum moribundis.

105. Confessarius in excipiendis moribundorum Confessionibus, non debet tam exacte procedere circa numerum, et circumctantias; præsertim si jam accessisset Sacerdos cum Viatico, aut si Medicus instaret, ut cito Viaticum suscipiatur; tunc enim melius est ad dispositionem pœnitentis, quam ad Confessionis integritatem attendere. Sufficit tunc imponere infirmo, ut, cum convaluerit, Confessionem repetat. Et satisfactio sit levissima, imponendo proportionatam pro tempore quo ille convalescet; vel satis erit ei iujungere, ut redeat tempore sanitatis. Vulnerati, et puerperæ, quæ ordinarie nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, et in particulari de aliqua culpa levi, cum proposito iutegre confitendi si convalescant. Advertat Confessarius, quod si moribundus teneretur ad aliquam restitutionem, quam valeat tunc implere, ei imponere debet, ut statim faciat; et non sufficit, quod de illa onus hæredibus relinquat; alias eum non absolvat (*b*).

(a) *Num.* 643. *v. Petes.*

(b) *Observa Auctorem Instructionis di Terre, Villaggi, cap.* 14.

106. Si autem infirmus notabilissimam subiturus esset perturbationem animi, in audiendo quod debeat Viaticum accipere, probabile est (*a*) posse Parochum Eucharistiam ei præbere, reticendo solita verba: *Accipe frater Viaticum*, etc. sed proferendo ordinaria verba Communionis: *Corpus D. N. Jesu Christi custodiat etc.*

107. Si deinde Confessarius adverteret moribundum jam esse in statu, quo teneretur suscipere extremam unctionem, et ille respueret; patefaciat ei magnos effectus hujus Sacramenti, quod grandem præstat Animæ fortitudinem ad obsistendum in ultimo agone dæmonum tentationibus; eam solvit a culpis venialibus, et etiam mortalibus, si occultæ sint, et insuper sanitatem adhuc corporis confert, cum Animæ saluti expedit; sed hanc sanitatem non præbet, si moribundus eo devenit, ut nequeat amplius nisi per miraculum convalescere; quia Sacramentum per viam ordinariam tantum operatur, causas naturales coadjuvando. Si vero hoc non obstante infirmus non acquiesceret, et pergeret nolle ungi, valde probabiliter plures DD. docent (*b*), eum lethaliter peccare, saltem adversus charitatem erga seipsum, cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate.

(a) *Lib.* 6. *num* 285. *Dub.* 4.
(b) *Num.* 733.

§. VI.

Quomodo se gerere debeat cum capite damnatis?

108. CUm his maxima charitas, et patientia adhibenda est. Prima vice qua Confessarius reum visitat, incipiat ei significare, mortem illam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat, quod nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, et de brevi, ut ad æternitatem perveniamus, quæ non habet finem. Hinc ipsi loquatur de felici Beatorum vita, et de misera damnatorum. Deinde hortetur eum, ut gratias agat Deo, qui usque ad illud tempus ipsum expectavit: nec permisit, ut moreretur tempore quo erat in peccato. Demum inducat, ut mortem hilari animo acceptet, eam conjungendo cum morte quam Christus Dominus pro suo amore perpessus est. Eumque confortet dicendo, quod ipse mortem propter sua peccata acceptando, certe salvus est, et cum magno merito salvus, unde in Cælo grandi remunerabitur præmio. Insinuet ei postea, ut confiteatur; et omnia peccata sua libere manifestet. Præcipue interroget, an odio adversus aliquem teneatur? et an servet secum Particulas consecratas, aut Oleum Sanctum, aut superstitiosas scripturas? interroget etiam, an aliquod inierit cum dæmone pactum? postquam autem absolverit, curet, ut ille pluries communicet; monendo etiam, ut frequenter Deiparæ se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat. Dum e carceribus reus ad patibulum pergit, dicat ei, *Eja fili mi; sequere Jesum Christum, qui ante te profectus est ad*

Calvarium, ad subeundam pro te mortem tua longe amariorem. Cum ad locum supplicii perventum sit, iterum reconciliet, et absolvat; moneatque, ut aliquam Indulgentiam lucretur, et deinde sic dicat: *Eja N. hilari esto animo, jam nunc manes in gratia Dei; jam patet tibi Paradisi janua, ibi te expectant Jesus, et Maria. Conjunge mortem tuam cum morte Jesu, qui pro tuo amore exanguis inter ludibria, et cruciatus mortuus est. Amas ne illum? dic mecum, Domine, super omnia te diligo; mori volo, ut tuam faciam voluntatem. Mortem pro meis peccatis accepto. Spero jam mihi te pepercisse; iterum te offendisse me pœnitet. Cupio cito venire ad Cœlum, ad tuos pedes osculandos, ac ad te amandum in æternum.* Dum vita super oculos reo imponitur, et ipse scalam ascendit, ei dicat: *Fili mi, invoca Dei Matrem, ut tibi assistat, Offer mortem tuam pro culpis tuis. Protestare nolle consentire ullæ dæmonis tentationi.* Postquam scalam ascenderit (dum sententia executioni demandanda est), dicat; *Ecce Jesus Christus qui expansis brachiis te expectat ut amplectatur: Domine te offendi, mihi displicet: nunc te amo toto corde. Deus Animæ meæ, tu me vocas, ecce jam venio. Maria Virgo adjuva me. Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Jesus, et Maria, Jesus, Maria, Joseph.*

109. Si autem reus obstinate nollet confiteri, quid agendum? 1. Confessarius quærat cum orationibus adjuvare, et curet, ut etiam ab aliis ille Deo commendetur, ac præcipue a Communitatibus Religiosis, ut Missis et precibus ipsum auxilientur. 2. Intimet damnato, quod sive ipse convertatur sive non, sententia exequenda erit. 3. Interroget, an forte de sua salute desperet, eo quod Animam dæmoni tradiderit? eo enim

casu illi suadere studeat, quod hujusmodi pactum vim non habet, quia solus Deus est Animæ Dominus et statim ac ipse pravam revocat voluntatem, Deus ipsi omnia peccata remittit. 4. Interroget, an aliquem odio insequatur, ex quo proveniat sua obstinatio? insuper advertat, primis vicibus quibus talem obstinatum alloquitur, ne importune cogat ut statim confiteatur, quoniam obstinatior fiet. Melius erit sermonem secum facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de pœnis Inferni, et de Paradisi gaudiis. Enarret ei exemplum alicujus peccatoris, qui mortuus est impœnitens; aut nonnullius capite damnati, qui sanctam sortitus est mortem, prout illius qui, cum innocens damnatus fuisset, cumque interrogaretur, qua de re suam non defendisset innocentiam? sic respondit: *Et cur? Ego tot annos Deum rogavi, ut mihi concederet mori morte opprobriosa, sicut Salvator meus obiit pro me: ego jam obtinui quod petebam, et nunc hac optata sorte me privare volebam?* Et ita hilariter ad patibulum perrexit. Dictis his, Confessarius relinquet reum, ut secum ista animo revolvat; et postea iterum sciscitetur, an forte mutatus sit, eique dicat: *Fili mi, jam tua mors appropinquat, quid decernis? In tua potestate est Infernum, aut Cœlum eligere. Animadverte quod si obstinate decedis, per totam æternitatem te pœnitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium suppetet.* Cum adhuc ipsum videat durum, curet ut circumstantes orent pro eo; et præsertim Litanias B. Virginis recitent, et deinde ante eum genuflectat, rogetque ne velit perire. Si ne proficiat quidem eum alloquendo, se vertat ad alloquendum Crucifixum. Denique, si reus jam advenerit ad supplicii locum, expostulet a populo,

ut omnes genuflectentes pro illo obstinato preces effundant. Prodesse quoque poterit eum terrere dicendo : *Discede maledicte in infernum, quandoquidem vis te perdere. Sed scito, quod tua pœna acrior in inferno erit memoria hujus temporis quod Deus tibi largitur, et tu abuteris.* At post modum dulcem resumat sermonem. Si unquam damnatus jam scalam ascenderit, et petat confiteri, flagitet Justitiæ ministros, ut permittant ei descendere, protestando quod tunc ipsi tenentur tempus illi concedere ut confiteatur. Hoc tamen currit pro eo qui nondum confessus est; nam si reus jam alias confessus fuerit, tunc Confessarius moneat eum, ut actum contritionis eliciat, et inde sic interroget; *Eja fili mi, nunc nonne intendis confiteri mihi omnia peccata tua, et præsertim illa quæ mihi dixisti?* et cum reus annuerit, levissimam ei satisfactionem imponat (v. gr. ut invocet Jesum, et Mariam), et absolvat.

§. VIII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum infestatis a dæmone.

110. ALiqui obsessi a malis spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura; insinuetur eis oratio, patientia, et super omnia divinæ voluntati uniformitas. Confessarius non sit ita incredulus, quod judicet omnes has invasiones, aut infestationes dæmonum esse phantasias, aut corporales infirmitates; quia non negandum, veros obsessos etiam inter Christianos existere. Ecclesia enim adversus invasiones istas tot insti-

tuit excorcismos, quorum exercitium testatur nobis Concilium Tridendinum (*a*) semper in usu fuisse apud Ecclesiam. Præterquamquod, si obsessi non existerent, inutiliter Ordo Exorcistatus institutus fuisset, quo super energumenos et catechumenos potestas confertur (quod certe non potest supponi); et quidem hic Ordo est unus ex septem, qui semper in Ecclesia Dei fuerunt, ut idem Concilium declaravit. Ceterum consilium est semper de talibus invasionibus suspicionem habere; non enim negandum, majorem earum partem esse aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, præsertim in mulieribus.

111. Qui tamen magis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus, ac etiam tactibus vexantur a dæmone, qui non solum fomitem sensualem excitant, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *Succubus*, vel *Incubus* appellatur. Quidam hos dæmones incubos, vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant Auctores; ut *Martinus Delrio in opere Disquis. Magic. P. Hieronym. Menghi lib.* 1. *cap.* 15. *Cardinalis Petrucci Epist. part.* 2. *lib.* 2. *opusc.* 5. *c.* 15. *num.* 5. *et Sixtus Senensis lib.* 5. *Bibl. Sacr. Annot.* 77. *ex S. Cypr. S. Just. Tertull. etc.* Et maxime hoc confirmat *S. Aug. l.* 15. *de Civ. Dei c.* 23. ubi sic scribit. *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus; ut non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima scriptura testatur, et multos (quos vulgo Incubos vocant) improbos sæpe extitisse mulieribus, et earum ap-*

(a) *Trid. sess.* 23. *cap.* 3.

petiisse, *ac peregisse concubitum. Quosdam dæmones hanc assidue immunditiam*, *et tentare*, *et efficere*, *plures talesque viri asseverant*, *ut hoc negare imprudentia videatur.* Equidem possunt dæmones ad hunc improbum usum defunctorum corpora assumere, vel de novo sibi assumere ex aere, et aliis elementis ad carnis similitudinem, ac palpabilium; et calidorum corporum humanorum species effingere, et sic ea corpora ad coitum aptare. Imo tenet præfatus *Delrio*, citans *D. Thomam*, *D. Bonavent. Scotum*, *Abulens.* aliosque plures, quod dæmon potest etiam verum semen afferre aliunde acceptum, naturalemque ejus emissionem imitari, et quod ex hujusmodi concubitu vera proles possit nasci, cum valeat dæmon semen illud accipere, puta a viro in somno pollutionem patiente, et prolificum calorem conservando, illico in matricem infundere; quo casu proles illa non erit quidem filia dæmonis, sed illius cujus est semen, ut ait D. Thomas apud citatum Auctorem. An autem, inspectis legibus a divina Providentia constitutis pro propagatione generis humani, hæc aliquando evenisse, aut evenire posse credendum sit, Sapientiorum judicio remittimus. Hic autem fit dubium, an possit dæmon, permittente Deo, absque hominis culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum? Affirmat Pater Gravina Dominicanus, et quidem probabiliter; si enim valet dæmon totum corpus alicujus movere, ut narratur de Simone Mago, ope dæmonis in aerem sublato, cur non poterit et manum? Præterea si dæmon potest alicujus commovere linguam, ut invitus proferat obscœna verba, aut blasphemias contra Deum, quidni manus ut turpia patrentur? idem sentit *Cardin. Petrucci loc. cit. num.* 8. ubi

sic inquit : *Non semel compertum fuisse , quod dæmon aliquam partem in humano corpore cœperit quodammodo possidere , puta oculos , linguam , vel etiam verenda. Hinc fit linguam obscœnissima verba proferre , licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus , et Affectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc fœdiora , quæ me conscribere pudet.* Idque satis confirmatur a S. Thom. *de malo quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 9. ubi sic docet : *Dæmones facere possunt , homines non discernant species a rebus , in quantum Deo permittente perturbant interiores vires sensitivas ; quibus perturbatis , ligatur usus rationis humanæ , quæ indiget prædictis viribus ad actum , sicut patet in Arreptitiis. Ligato autem usu rationis ; nihil imputatur homini ad peccatum , sicut nec bestiæ. Unde secundum hoc diabolus non erit causa peccati , etiamsi sit causa actus , qui alias esset peccatum.* Potest igitur juxta S. Thomam dæmon esse causam actus turpis , et simul ita ligare usum rationis , ut actus minime imputetur homini ad culpam.

Huic autem opponi possunt duæ Propositiones Michaëlis Molinos proscriptæ ab Innoc. XI. Prima *n.* 44. dicebat : *Job blasphemavit , et tamen non peccavit labiis suis , quia fuit ex dæmonis violentia.* Altera *n.* 49. quæ magis ad casum pertinet , dicebat : *Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore , quo mundas habebat ad Deum preces.* Sed respondetur 1. hasce propositiones esse patenter falsas ; nam prima innititur textui illi : *Pereat dies in qua natus sum , et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Job* 33. Hunc textum varie explicant Interpretes : *Estius* dicit , quod Job optabat illic nullam fieri in futuram suæ nativitatis mentionem propter suam

infelicitatem: *Pereat dies*, *idest*, (verba Estii) *sum infelicissimus*, *itaque pereat dies; nec anniversaria recolatur*. Alii autem cum *Tirino* ajunt, quod Job inculpabiliter naturales maledicebat ærumnas tanquam suorum cruciatuum causas. Quid igitur ad hæc pertinent plasphemia, et violentia dæmonis? Ceterum non repugnat, ait *Cardin. Petruccius loco supra cit.* quod dæmon possit linguam hominis movere ad turpia verba proferenda. Refertque *P. Joannes Baptista Scaramelli* (in Vit. Ven. Sororis Mariæ Crucifixæ Satellico) quod damones ipsam ad blasphemandum cogebant hoc modo: *Dopo averla commossa ad empj affetti, le moveano velocemente la lingua alle maledizioni delle cose più sante; ed alle volte si servivano delle sue mani per gittare a terra medaglie, e libri sagri.* Deinde refert verba ejusdem Sanctimonialis, quæ suam enarrans pœnam sic suo Directori scribebat: *Con questa lingua consagrata ogni mattina dal contatto di Gesù Cristo io abbia poi a maledirlo? mi sento morire, benchè fossi senza peccato... Le maledizioni variano secondo le solennità, proferendo bestemmie ereticali, negando i misteri sacrosanti ec.* Idem dicendum de altera Propositione 49. Michaëlis Molinos; nempe quod sit falsa, et insuper scandalosa, dum Job non loquitur de pollutione, sed tantum dicit: *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Job* 16. 18. Explicat Malvenda: *Quasi dicat, hæc venerunt mihi præter culpam meam.* Et Menochius: *Cum manus supplices ad Deum elevarem, quas neque rapina, neque alio scelere contaminaveram.* Repeto, quid ad hæc pertinet pollutio, et violentia dæmonis? en quam falsæ erant duæ Propositiones relatæ!

Sed quoad Propositiones istas responsio magis propria, et convincens hæc est. Propositiones proscriptas, nemo ignorat, intelligendas esse juxta sensum Auctoris qui eas protulit. Quædam Quesnelli Propositiones videntur primo intuitu æquæ et sanctæ, attamen juxta illius sensum sunt perversæ. Ex. gr. Propos. 30. sic dicit: *Omnes quos Deus vult salvare per Christum salvantur infallibiliter.* Hæc propositio in sensu recto et catholico tenetur ab omnibus, qui propugnant pro gratia efficaci ab intrinseco; sed damnata est in sensu Quesnelli, nempe quod Deus velit tantum salutem prædestinatorum. Et sic dicendum damnatas etiam esse propositiones relatas 44. et 49. Michaëlis Molinos. Hujus impii sistema hoc erat, quod cum persona libertatem suam Deo donaret, non debet amplius resistere malis commotionibus, nec ullum exercere conatum ad actus malos impediendos; quoniam illi imputandi sunt, non jam propriæ voluntati, sed violentiæ dæmonis, aut sensualis passionis. En propositio sua fundamentalis (quæ est *n.* 17.) quomodo loquitur: *Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura Animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria. Et si natura commoveatur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.* Adest alia sua Propositio (*num.* 47.) quæ magis individualiter ad casum nostrum pertinet, et dicit: *Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Sathanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque conatum, etiamsi sequantur pollutiones etc.* Notentur verba, *sinere oportet; nullum adhibendum conatum, etc.* Sed quomodo potest esse sine cul-

pa omittere resistentiam in hujusmodi commotionibus, et sinere ut dæmon operetur, etiamsi pollutiones sequantur? Nonne patenter hic apparet concursus propriæ voluntatis? Hoc quidem erat quod ajebat Molinos, et ita intelligendæ sunt omnes aliæ ipsius damnatæ propositiones.

Ceterum cur, permittente Deo, non potest dæmon cogere hominem sine ullo ipsius voluntatis sensu ad faciendum aliquem actum malum? Nequimus autem nos, ait S. Augustinus, per rationes philosophicas, et humanum ratiocinium scire, ad quid extendatur vel ne potentia naturalis Angelorum; quapropter in hac materia plusquam philosophicæ rationes, movere nos debent ad judicandum auctoritates Theologorum, qui juxta lumina ex sacris Scripturis accepta loquuntur. Habemus in Evangelio Matthæi, quod dæmon usum linguæ bene potest impedire: *Obtulerunt ei* (sic ibi dicitur) *hominem mutum dæmonium habentem, et ejecto dæmone locutus est mutus. Matth.* 9. 32. *et* 33. Inquit Chrysostomus apud Cornelium a Lapide: *Hinc videtur, quod dæmon fecerit eum mutum, impediendo usum linguæ.* Sicut igitur dæmon humanorum usum membrorum impedire potest, sic illa commovere sine hominis voluntate. Item in eodem Matthæi Evangelio habetur, quod dæmon transtulit ipsum Christum super templi pinnaculum: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Matthæi* 4. *v.* 5. *et* 6. Si igitur potuit dæmon movere, et totam transvehere ipsius Domini personam, tanto magis linguam aut manus alicujus hominis poterit movere. Præterea habemus apud Danielem, quod

Habacuc fuit ab Angelo translatus in lacum leonum : *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus , et portavit eum capillo capitis sui ; posuitque eum in Babylonem super lacum impetu spiritus sui. Dan.* 14. 35. Animadvertantur verba, *in impetu spiritus sui*, quæ clare denotant naturalem Angeli potentiam.

Hinc merito dicunt Theologi sat posse dæmonem sua naturali vi, Deo permittente, membra hominis agitare. Præter S. Thomæ, et S. Bonaventuræ auctoritates supra relatas, idem scribunt plures Auctores neoterici. Id scribit *Card. Gotti : Diabolus quidem potest cogere ad actum , qui ex genere suo est peccatum , ut in energumenis , quos cogit ad enuncianda verba blasphema , vel etiam ad alios actus ex objecto malos. Sed tunc , ratione ligata , id non imputatur homini ad peccatum , quia deest libertas arbitrii. Theol. tom.* 2. *tr.* 4. *de Vitiis quæst.* 6. §. *n.* 13. Idem scribit *Wigandt Tract.* 4. *eod. tit. Exam.* 2. *n.* 69. *in fin.* Idem scribit *Culmet* (Auctor , quem omnes sciunt , quam sit ponderatus in suis effatis) ; ipse in Dissertatione quam apponit in Evangelio S. Lucæ de energumenorum veritate *art.* 2. *pag. mihi* 387. postquam suam exponit sententiam de præfata potentia dæmonis , hanc sibi objicit oppositionem : *Si dæmon de se operaretur in homine , adessent eodem tempore duo principia activa , nempe duo spiritus ; sed hoc repugnat , quia unus posset agere in contrarium ad id quod alter vult.* Sed respondet , quod cum dæmon , permittente Deo , operatur in humano corpore tunc eodem tempore (prout docet etiam S. Thomas) impedit, et ligat in homine usum rationis. Nec dubitat , quin Sathan sua vi naturali possit libertatem hominis ligare , eumque coge-

re contra ipsius voluntatem etiam ad blasphemias proferendas. Deinde *Calmet* ait signum esse, quod sit opera dæmonis, si *homo alio veluti spiritu animatur, angitur invitus, plura admittit ab insita sibi indole longe aliena, sed ita admittit, ut singularia omnia videantur et violenta.*

Idem scribit laudatus *P. Joannes Scaramelli in suo Directorio Myst. tract.* 5. *cap.* 11. *n.* 124. sic dicens « (ciò ben può succedere senza » peccato formale della persona, se il demonio » nel mentre che opera esternamente, internamente impedisce in tutto l'uso della ragione, » e toglie ogni libertà a resistere (secondo parla S. Tommaso) movendo con tal veemenza » l'appetito sensitivo, e perturbando di tal fatta » la mente, che cessi ogni lume di ragione. » Che per ciò il Confessore dee esaminare il » penitente, se in quelle cose che patisce, avverte alquanto la malizia del peccato, e se » ha qualche sentimento, che lo ritrae da quell'azione. Se egli dice, che allora talmente » se gli offusca la mente, che niente conosce, » e non ne sente alcun rimorso, allora potrà » giudicarsi esente dal peccato. Altrimenti poi, » se allora ha qualche lume di ragione, e la » ragione non è totalmente legata, sicchè ben » possa resistere) ». Insuper prædictus Auctor monet Confessarios ad curandum, ut illi, qui patiuntur turpes commotiones, patefaciant in confessione hujusmodi actus; isti enim difficulter erunt ab omni culpa saltem levi immunes, ratione alicujus advertentiæ imperfectæ, vel defectu resistentiæ, quæ erat adhibenda.

112. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste hujusmodi genere tentationis (dictæ *Spiritus fornicationis*, a quo S. Ecclesia nobis præ-

cipue injungit petere a Domino, ut ab eo nos liberet), debet Confessarius multum satagere ad præmuniendum pœnitentem in tam horrendo conflictu; nam ait doctus Cardinalis Petruccius, has Animas in magno periculo versari, si remedia non adhibeant multum efficacia, et aliquando si oportet etiam extraordinaria: cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, et magna violentia ex parte patientis, difficulter ab hujusmodi pugnis victor egredietur, qui perseveranter non adjicit magnam mortificationem, et super omnia validam orationem, centies et millies se commendando, gemendo, et misericordiam petendo ad Crucifixi, et Deiparæ pedes. Alioquin si Anima tepescit, et deficit in orando, aut se mortificando, dicit Petruccius, quod ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirecte in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam. Itaque, ut deveniamus ad remedia, si Confessarius judicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte pœnitentis, ipsum ante omnia moneat hæc adhibere: jugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. Nomina Jesu, et Mariæ; se diligenter avertat a sensuum voluptatibus: communionem frequentet: protestetur sæpe nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi, quam opera dæmonis sentiret: sæpe utatur signo Crucis (illam ferendo quoque secum), et aqua benedicta, cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo: afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, et Evangeliorum librum: secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo *Spiritus nequam, in nomine Jesu Christi præcipio tibi, ut a me discedas, et ne me amplius vexes*: hortetur præterea, quod vexatus ille sæpe hu-

militer, et in hujusmodi humilitatis actibus sæpe se exercitet; cum Deus aliquando, ad aliquam internam superbiam ab Anima removendam, hujusmodi tentationes permittit.

113. Si quis autem in his tentationibus misere cadit, aut earum occasiones magis quærit quam effugit, hujus curatio est valde difficilis; nam hujusmodi peccatores qui cum dæmone commercium habent; difficillime ex corde convertuntur. Ex una parte enim erga hos dæmon dominium quoddam acquirit super eorum voluntates, et ex altera ipsi remanent nimis debiles ad resistendum; indigerent extraordinaria gratia Dei; sed difficillime solet hanc Deus hujusmodi impiis concedere. Verumtamen Confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere charitatem, confortetque dicendo, quod ubi non est voluntas, non est peccatum; hinc si ipse voluntate resistit, minime peccat. In his casibus ante omnia Confessarius adversus dæmonem præmittat exorcismum, saltem privatum, qui certe licitus est (a) hoc modo, *Ego ut Dei minister præcipio tibi, aut vobis, Spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde pœnitentem interroget, an unquam hostem invocaverit, et cum eo aliquod inierit pactum? an aliquando fidem negaverit, aut contra ipsam actum aliquem exercuerit? interroget, qua forma ipsi dæmon appareat, an hominis, mulieris, aut belluæ. Tunc enim, si cum illo coit, præter peccatum contra castitatem, et religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomiæ, aut incestus (intellige affectivi), adulterii, aut sa-

(a) *Tom. II. Lib.* 3. *n.* 103. *de adjuratione ibid. ad n. IV.*

crilegii. Item interroget, quo loco et tempore hoc commercium habuerit? ostendat ei postea hujusmodi criminis immanitatem, quæratque eum inducere ad veram conversionem, et confessionem integram faciendam; isti enim perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata committunt. Eadem demum remedia supra annotata illi præscribat, nempe quod sæpe ad Deum, et B. Virginem recurrat: frequenter nomina Jesu, et Mariæ invocet: aquam lustralem, et crucis signum adhibeat: aliquam reliquiam, et Evangelium secum ferat: sæpe etiam privatum proferat exorcismum, prout dictum est supra. Differat deinde eum absolvere, sed hortetur ut sæpe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, et in remediis adhibendis; nec eum absolvat, nisi post longum experimentum, tales enim conversiones, ut diximus, raro sunt veræ, et rarissimæ perseverantes.

CAPITULUM VIII.

De Prudentia Confessarii, I. in seligendis opinionibus. II. in corrigendis erroribus a se commissis. III. in custodiendo sigillo Sacramentali. IV. in excipiendis confessionibus mulierum, illisque tractandis.

114. I. Confessarius summam adhibere debet prudentiam in seligendis opinionibus. Hic non loquar de quæstione tam hodie controversa, utrum sequi liceat opinionem minus probabilem, et minus tutam in concursu probabilioris? satis de hac passim loquuntur Auctores, et præcipue tot docti Scriptores, qui nuper de ea scripserunt, in quibus profecto desiderassem, ut potius rationibus, quam mordacibus insectationibus veritatem nos docuissent. Tantummodo hic repetam quod superius dixi *n.* 65. *et* 69. cum egimus de occasione proxima, quod scilicet quando agitur de vitando peccato formali, regulariter Confessarius sequi debet (quantum licet) sententias benigniores; cum solum peccatum formale sit Dei offensa, ut quando opiniones benignæ exponunt pœnitentem periculo peccati formalis, tunc Confessarius sequi debet opiniones rigidiores, quoniam istæ in hoc casu sunt magis pœnitentibus salutares. Verumtamen quando pœnitens uti vellet aliqua opinione probabili, et aliunde jam foret dispositus, tunc tenetur Confessarius eum absolvere, quoniam ratione Confessionis jam factæ, habet pœnitens jus certum et strictum ad absolutionem, ne cogatur eam recipere ab alio Sacerdote cum gravissimo onere repetendi confessionem. Hæc opinio est

communis, illamque admittunt etiam multi Auctores rigidioris sententiæ, ut sunt *Pontassus*, *Cabassutius*, *Victoria*, et præcipue *S. Antoninus*. Videatur liber, in quo hoc probatum est pluribus in locis (*a*).

115. Tanto magis hoc currit in casu quo Confessarius vellet obligare pœnitentem ad aliquam restitutionem, ad quam iste probabiliter non tenetur (*b*). Immo hoc currit, etiamsi Confessarius non haberet tanquam solide probabilem opinionem pœnitentis, et pœnitens non esset rudis, eamque cum aliis gravibus Doctoribus tanquam probabilem teneret, ita ut pœnitens rectam jam sibi formet conscientiam bene operandi. Hoc tamen intelligendum est, quando opinio pœnitentis haberet aliquam (ut dixi) probabilitatem saltem apparentem; nam si Confessarius haberet eam ut omnino falsam, ex eo quod haberet contra eam principium aliquod certum seu rationem convincentem, contra quam existimaret, nullum esse responsum quod posset inducere ad dubitandum de certitudine propriæ sententiæ: tunc enim non debet, neque potest absolvere pœnitentem, qui illi non vult acquiescere (*). Attamen si prævideret Confessarius suam monitionem non esse pœnitenti profuturam sed potius reddere formale peccatum illud quod in pœnitente est tantum materiale, tunc debet dissimulare, exceptis aliquibus casibus; videatur quod dictum est supra *n.* 8. *et* 9.

116. II. Si aliquando Confessarius commiserit aliquem errorem circa valorem Sacramenti sine sua culpa, non tenetur ex justitia monere pœ-

(a) *Lib.* 1. *n.* 25. *et lib.* 6. *n.* 604.
(b) *Lib.* 3. *n.* 669.
(*) *Lib.* 1. *n.* 25. *v. Quod.*

nitentem, sed solum ex charitate, quæ non obligat cum gravi incommodo (a); dummodo Confessarius non sit ejus Parochus, qui teneretur reparare grave damnum subditi: et dummodo pœnitens non sit in mortis periculo, aut in periculo amplius non confitendi quia tunc charitas obligat etiam cum gravi incommodo. Quod si Confessarius in hoc gravem culpam commiserit, tunc semper tenetur etiam cum gravi incommodo resarcire errorem (et præcipue si reliquit pœnitentem in aliqua occasione proxima); nisi pœnitens aliis confessus non fuerit, aut saltem Sacram Eucharistiam susceperit At sine licentia pœnitentis nunquam debet, neque potest fieri præfata monitio extra confessionem; quotiescumque posset illi aliquod afferre gravamen. Si vero error fuerit solum circa integritatem confessionis, puta quia pœnitentem non interrogaverit de speciebus, aut numero peccatorum, etiam cum sua culpa; non tenetur Confessarius errorem illum emendare extra confessionem, quia in hoc adest semper erubescentia pœnitentis; dum audit rursus ibi sua peccata rememorari. Si vero ex sua malitia, vel ignorantia culpabili exemerit pœnitentem a restitutione, aut ad illam injuste obligaverit; tunc tenetur eum monere, obtenta prius licentia; alias tenetur ipse ad restitutionem. Si autem in hoc gravem culpam non commiserit, non tenetur monere cum gravi suo incommodo; verum, si absque suo gravi incommodo posset reparare errorem, et non faceret, tunc etiam tenetur ad restitutionem. Denique si confessarius omiserit admonere pœnitentem de restitutione, non tenetur ipse restituere, quamvis esset Parochus,

(a) *Num.* 619. *lib.* 6. *n.* 620.

et etiamsi gravem culpam in hoc commisisset. Vide librum (*a*) in quo discussa sunt hæc omnia cum suis rationibus, et auctoritatibus DD.

117. III. Debet quoque Confessarius esse summe prudens in custodiendo sigillo Sacramentali. Jam notum, et certum est, quod Confessarius nunquam potest loqui de iis quæ in Confessione audivit, quoties adest periculum revelationis sigilli (directe vel indirecte), aut gravaminis pœnitentis; et hoc currit etiamsi tantummodo dubitet, utrum ea in Confessione audierit, vel non, aut in ordine ad Confessionem (*b*). Verumtamen non prohibetur Confessarius sermocinari (generaliter loquendo) de aliquo peccato in Confessione audito, quoties alii non possent venire in cognitionem pœnitentis, aut quoties haberet expressam licentiam a pœnitente. Nihilominus etiam in hoc cautissime est procedendum: et 1. Nunquam loquendo de peccatis in Confessione auditis, coram simplicibus personis, quæ possent suspicari de revelatione Confessionis. 2. Nunquam dicendo e suggestu in Concionibus, reguare in ea urbe aliquod vitium, quod ipse excipiendo Confessiones, intellexerit ibi magis frequentari. (Hoc tamen intelligitur (*c*), quando id aliunde non scivit, et quando locus est parvus); et præsertim si concionetur in aliquo Monasterio, in quo non debet vehementius invehere contra aliquem defectum, quem in Confessione audivit ibi esse communiorem. 3. Non sit Confessarius nimis importunus in obtinenda licentia a pœnitente, quoniam ea licentia, quæ non est omnino spontanea, et

(a) *Num.* 261.
(b) *Lib.* 6. *num.* 636.
(c) *Num.* 653.

plene libera, ipse nequaquam uti poterit. Unde sit parcissimus, quantum fieri poterit, in exquirendis hujusmodi licentiis sine speciali necessitate: et tunc tutius erit insinuare pœnitenti, ut de eo, quod est necesse, loquatur extra Confessionem. Nemo autem ignorat, quod extra Confessionem non potest Confessarius nec etiam cum ipso pœnitente de rebus in illa auditis, sine ejusdem expressa licentia: in ipsa vero Confessione bene potest de illis loqui, quoties existimat hoc ipsi pœnitenti expedire (*a*). 4. Nequit exquirere nomen complicis, et si negaverit absolutionem ei qui dicere recusaverit, incurrit suspensionem *ferendæ sententiæ*: et qui docuerit hoc fieri posse, incurrit excommunicationem Papalem *ipso facto* (*b*).

118. Casu vero quo pœnitens teneatur sub gravi manifestare nomen complicis, ad reparandum puta aliquod damnum commune (*c*), contra aliorum opinionem, nec etiam tunc posse a Confessario obligari pœnitentem ad manifestandum sibi nomen complicis, sed tantum posse et debere imponere pœnitenti, ut manifestet complicem iis qui possunt scandalum impedire. Quod si pœnitens ex se vellet Complicem Confessario manifestare, tunc bene potest illum audire, et quemadmodum oportet, damnum reparare. Insuper advertendum est, ex hoc prohiberi Confessariis exquirere a pœnitente circumstantias quas scire oportet, ut intelligat, an adsit species peccati diversa, vel ut consulat saluti pœnitentis: hinc bene potest interrogare, an complex sit conjunctus? an ligatus voto castitatis? an coha-

(a) *Num.* 652.
(b) *Lib.* 6. *num.* 191.
(c) *Ibid. num.* 192.

bitet in sua eadem domo? an sit ancilla? et his similia: etiamsi per istas interrogationes indirecte manifestari debeat persona complicis; numquam tamen exquiratur illius nomen (*a*).

119. IV. Summe cautus debet esse Confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Et primo notandum quod in Decr. S. C. Episcoporum 21. Jan. 1610. dicitur: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram.* Loquendo autem de prudentia Confessarii, ipse regulariter in Confessionario cum junioribus sit potius rigidus quam suavis; nec permittat illas ante Confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus, ut manus deosculentur. In actu Confessionis non ostendat eas agnoscere; aliquæ enim, quæ religiosæ haberi volunt; aliquando advertentes se nosci a Confessario, non faciunt integram Confessionem. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum e Confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in Ecclesia, omnemque familiaritatem devitet Abstineat etiam a recipiendis munusculis; et præcipue ad illarum domos nunquam accedat; uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc non nisi vocatus accedat; et tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum Confessionibus, unde januam apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis numquam defigat. Et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæsionis. Dicebat Ven. P. Sertorius Caputus,

(a) *Ibidem.*

diabolum ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio uti prætextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam: unde ait S. Augustinus apud S. Thom. (a): *Sermo brevis, et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendæ; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt.* Et idem Angelicus Doctor addit: *Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, ipsis tamen magis perniciosa, quando conversantur cum persona quæ spiritualis videtur; nam quamvis principium videatur purum; tamen frequens familiaritas domesticum est periculum; quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, infirmatur principale motivum, et puritas maculatur.* Et subjungit, quod tales personæ hoc non statim advertunt; quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo, quæ aliquantulum feriunt, et augent affectum. Sed brevi hujusmodi personæ eo deveniunt, ut non amplius agant secum tanquam angeli, quemadmodum cœperant, sed tanquam carne vestiti; vicissim se intuentur mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quæ adhuc a prima devotione videntur procedere: huic alter alterius præsentiam incipit appetere; *sicque* (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem.* Et quidem oh quot Sacerdotes, qui antea erant innocentes, ob similes adhæsiones quæ spiritu cœperant, Deum simul et spiritum perdiderunt! Advertatur hic quod ex Decr. S. C. Episcopor. sub 21. Jan. 1620. *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram.*

(a) *S. Thom. Opusc. 64. de Famil. Dom. etc.*

120. Deinde Confessarius non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot Confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *Bizoche*; et cum postea vident ad se accedere homines aut feminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis, et qui ægre domos, et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos, dicendo, *Habeo aliud quod agam*, *ite ad alios*, unde fit, ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis, et sine Deo. Hoc non est audire Confessiones, ut Deo placeamus, sed potius, ut genio serviamus; quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri Confessarii illi, qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, immo et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere Animas ad viam perfectionis; ideoque de hoc fusius loquar capite ultimo; sed assero probos Confessarios, qui tantum, ut Deo placeant, confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt S. Philippus Nerius, S. Joannes a Cruce, S. Petrus Alcantara, aliique) quando cernunt aliquam Animam indigentem, præferunt eam Animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando Confessarius vult, tempus non deerit.

CAPITULUM IX.

Quomodo se gerere debeat Confessarius in dirigendis Animabus Spiritualibus ?

121. QUod olim dixit Dominus Jeremiæ : *Ecce constitui te super gentes , ut evellas , et dissipes , ædifices et plantes* ; idem nunc repetit singulis Confessariis, qui non solum debent evellere vitia ex suis pœnitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est addere hic in fine Caput hoc, quod poterit inservire Confessariis tyronibus ad dirigendas Animas spirituales ad perfectionem. Non sunt quidem expellendi peccatores , ut superius diximus , sed e contra opus est etiam multum Deo acceptum sponsas illi adornare, Animas scilicet Spirituales excolere , ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est ejus oculis Anima sola perfecta , quam mille imperfectæ. Unde cum videt Confessarius pœnitentem vivere immunem a culpis mortalibus , omnem curam adhibere debet , ut eum in viam perfectionis, et Divini amoris introducat , illi repræsentando meritum , quod habet Deus , ut ametur , et gratitudinem quam debemus Jesu Christo , qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes Animæ, quæ vocatæ a Deo ad vitam perfectiorem , illi resistunt. In tribus igitur præcipue posita est directio Confessarii quoad Animas spirituales , scilicet in Meditatione , in Contemplatione , in Mortificatione , et in Frequentia Sacramentorum , et de omnibus his singillatim dicemus.

§. I.

De Oratione Meditationis.

122. PRudens ergo Confessarius cum cernit Animam aliquam abhorrentem peccata mortalia, et desiderantem progredi in amore Divino, ante omnia debet illam disponere ad faciendam orationem mentalem, scilicet ad meditationem veritatum æternarum, et bonitatis Divinæ. Et quamvis necessaria non sit ad æternam salutem consequendam, sicut est necessaria petitio; nihilominus videtur valde necessaria Animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere; sed non possunt cohabitare Oratio, et peccatum. Anima aut relinquet orationem, aut peccatum. Dicebat S. Theresia: *Animam, quæ in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat Diabolus, tandem pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum conducet.* Et ideo Diabolus nullum aliud exercitium tam quærit impedire, quam illud orationis, quoniam, inquit eadem Sancta: *Novit Dæmon quod certe amittet Animam quæ perseveranter incumbit Orationi.* Præterea solus amor est qui Animam Deo jungit, et stringit; sed fornax in qua accenditur flamma divini amoris est Oratio, seu Meditatio: *in meditatione mea exardescet ignis.* Ps. 38. 4.

123. Incipiat ergo Confessarius introducere Animam in orationem. Ab initio non plusquam mediæ horæ spatium assignet: quod deinde crescente spiritu, plus minusve augebit. Neque desistat ex eo quod pœnitens difficulter adduc

quod desit sibi tempus; locus ad se colligendum: immo imponat ei, ut saltem mane, vel vespere quando in domo major est quies, vel etiam in ipsis occupationibus (quando aliud non posset efficere) elevet identidem mentem ad Deum, et meditetur veritates fidei, ut sunt novissima, quorum cogitatio, et præcipue mortis, est utilior pro incipientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quæ meditatio est omnibus fructuosa. Si vero Pœnitens non sit litterarum rudis, expediens est, ut utatur aliquo libro spirituali, quo magis habeat ingressum in orationem, quemadmodum facere solebat S. Theresia. Moneat quoque, ut seligat materiam illam, in qua Anima majorem experitur devotionem, et in iis locis in quibus Anima se vehementius afficiet sentit, et commoverit, moretur aliquantum, et recta meditatione totam se exerceat in actibus voluntatis, vel incumbat petitioni, aut faciendis propositis. Dico 1. se exerceat in *faciendis actibus*, scilicet humilitatis, actionis gratiarum, fidei, spei, et præsertim in repetendis actibus contritionis, et charitatis erga Deum offerendo se illi totam; totamque suæ sanctissimæ voluntati resignando, et repetendo plusquam alios, actum illum cui Anima se magis sentit inclinatam. Dico 2. exerceat se *in petendo;* nam a petitione omne nostrum bonum dependet, et S. Augustinus inquit Deum ordinarie nullam gratiam hominibus concedere, et præsertim gratiam perseverantiæ, nisi per canalem petitionis. Dominus dixit: *Petite, et accipietis;* Ergo concludit S. Theresia, qui non petit non accipit. Quapropter si volumus Animam nostram salvare, necesse est semper orare, et ante omnia petere perseverantiam, et amorem erga Deum. Et quidem nullum tempus opportunius est ad peten-

dum, quam tempus orationis mentalis. Qui non orat, difficiliter petit, quia difficiliter se actuat ad considerandas gratias, quibus eget, et necessitatem ipsam petendi; et ideo qui non facit orationem, difficulter in Dei gratia perseverat. Dico 3. in *Statuendo*, ut oratio non remaneat infructuosa, et Anima mandet executioni ea lumina, quæ in oratione recepit: unde, quemadmodum inquit S. Franciscus Salesius; nemo debet imponere finem orationi, nisi prius fecerit particularem aliquam determinationem, puta vitandi defectus quosdam magis usuales; aut exercendi virtutem aliquam, in qua se noscit debiliorem. Videatur circa hoc quod dicetur in Appendice versus finem, cum loquemur de instructione pro oratione mentali §. III.

124. Exigat igitur Confessarius ab Animabus istis rationem orationis; exquirendo ab illis quomodo aut in ea se gesserint, aut saltem si fecerint; et imponat illis, ut in Confessione ante omnia alia se accusent de oratione omissa, quando eam intermiserint; quoniam relicta oratione Anima salvari non poterit. *Anima quæ omittit orationem* (dicebat S. Teresia) *tamquam a semetipsa se collocat in inferno sine opera Dæmonum*. Oh Deus et quantam Confessarii afferrent Animabus utilitatem adhibendo hanc minimam diligentiam! Et oh qualem Deo rationem sunt reddituri, nisi ita se gerant, quoniam ipsi tenentur procurare quantum in se est spiritualem progressum suorum pœnitentium! Oh quot Animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque a recidivis in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis; et interrogandi postea saltem sub initiis vitæ spiritualis utrum eam fecerint, vel non? Quando Anima aliqua se in ora-

tione solidavit, difficillime plus Deum amittit; et ideo oratio mentalis insinuanda est non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui sæpe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum.

125. Super omnia Confessarii adhibere debent diligentiam hanc, cum pœnitentes patiuntur desolationem spiritus. Initio quo Anima se tradit vitæ spirituali, solet Deus illam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrymis et sensibilibus aliis consolationibus; sed elapso aliquo tempore, solet claudere hanc venam, ut probet earum fidelitatem, et ut eas ad majorem perfectionem extollat, subtrahens eis sensibilem omnem dulcedinem, cui facile Anima adhæret non sine impuritate quadam, et culpa ex amore sui ipsius. Consolationes sensibiles (quin et attractiones supernaturales) sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus; unde ipse, ut Animas sibi dilectas avellat etiam a donis suis, ut Donatorem puriori amore diligere cogantur, efficit, ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum, et solitam consolationem; sed tædia, ariditates, tormenta, et quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere Confessarius ad confortandas Animas istas, ne orationem omittant, et præscriptas Communiones; revocet illis in memoriam verba illa S. Francisci Salesii, scilicet: *Plus valere coram Deo unciam unam Orationis in medio desolationum, quam libras centum in medio consolationum.* Quoniam ille qui Deum diligit ob consolationes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligit; sed qui Deum amat, eique adhæret sine consolationibus illis, hic verum ostendit amorem. Hæc de meditatione sufficiunt, sed opportunum duco aliquam hic novis Confessariis præbere notitiam

contemplationis infusæ, ac suorum graduum, nec non aliorum donorum supernaturalium una cum regulis præscriptis a spiritualis vitæ Magistris ad directionem Animarum, quibus Deus hujusmodi gratias voluerit impertiri.

§. II.

De Oratione Contemplationis, et diversis finis gradibus.

126. QUando Anima aliqua a Deo comtemplationis gratia donatur, oportet, ut Confessarius optime sciat modum quo eam dirigere debeat, et ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum illi afferet damnum, et quemadmodum ait S. Jo. a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. Contemplatio multum differt a meditatione. In meditatione quæritur Deus labore discursus, in Contemplatione sine hujusmodi labore contemplatur Deus jam inventus. Insuper in meditatione Anima operatur actibus suarum potentiarum; in contemplatatione operatur Deus et Anima tantum patitur, et recipit in se dona, quæ a divina gratia sibi infunduntur absque eo quod aliquid operetur, quoniam ipsa lux, et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

127. Advertere etiam oportet, quod Deus antequam concedat Animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dictam *di Raccoglimento*, vel *di Contemplativi* (sic illud vocant Mystici), quæ non est adhuc contemplatio infusa, quoniam Anima adhuc est in statu activo. Hæc re-

collectio (loquor hic de naturali , quoniam de supernaturali et iufusa inferius loquemur *n.* 133.) est quando intellectui opus non est cum labore quasi extra Animam exire ad considerandum mysterium aliquod , aut æternam veritatem , sed avulsus a rebus externis, et collectus quasi intra Animam ipsam absque labore, immo cum magná suavitate attendit illi veritati , aut mysterio quodcumque sit. *Otium Contemplativum* est fere idem, nisi quod in collectione Anima attendit alicui devotæ cogitationi particulari ; in otio vero cum generali quadam Dei notitia sentit in se seipsa collectam , et suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo , dicunt quidem Mystici , quod etsi hæc oratio sit naturalis , nihilominus Anima cessare debet non solum a meditatione , sed etiam ab actibus voluntatis , scilicet amoris , oblationis , resignationis etc. et tantum manere debet in quadam amoris vigilantia , et attentione ad Deum , absque eo quod actum aliquem faciat. Verumtamen hujusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium , quod quando Anima collectam se sentit, non debet se applicare meditationi , quia jam invenit sine ullo labore quicquid ipsa postulabat ; præterquamquod ipsa ordinaria meditatio , ut ait P. Segneri in suo aureo opusculo de *concordia inter laborem , et quietem* (*a*) , producit post aliquod tempus contemplationem quæ dicitur *acquisita* , nempe illam quæ unico intuitu cognoscit veritates , quas ante nonnisi longo discursu, et labore cognoverat. Sed his non obstantibus , nescio cur Anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis : et quodnam tempus opportunius his

(*a*) *Part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1.

faciendis actibus esse poterit, quam tempus quo Anima se collectam sentit? Verum quidem est, quod S. Franciscus Salesius consilium dedit B. Joannæ de Chantal, ut in sua oratione, cum se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus, sed quare? quia scilicet Beata jam pervenerat ad contemplationem passivam. Unde quando Anima adhuc est in statu activo, non est ratio cur actus boni impedire debeant gratiæ operationem. Idem S. Franciscus Salesius præfigebat Animabus devotis a se directis determinatum quemdam numerum adspirationum amoris, faciendum intra certum temporis spatium. Quando Anima pervenit ad statum passivum contemplationis, tunc Anima etsi non mereatur, quia eo tempore non operatur, sed tantum *patitur*, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum majori perfectione: sed quando Anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo; atque hæc sunt opera, quibus Anima meretur gratiam divinam. Unde recte concludit idem P. Segneri, quod quando Deus loquitur et operatur; et oportet, ut Anima taceat, et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex latere suo circa principium, quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes: sed quando Deus non loquitur, necess est, ut Anima se adjuvet eo modo quo potest ad conjungendum se Deo, scil. meditationibus (quando hæ sunt necessariæ), affectibus, precibus, et determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti: unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se Anima sentit suaviter inclinatam.

128. Insuper advertendum est, quod Deus, antequam introducat Animam in orationem con-

templationis, solet eam purgare, ponendo in ariditate supernaturali, quæ appellatur *purgatio spiritualis*, ut eam purificet a suis imperfectionibus, quæ illi impediunt contemplationem. Atque hic distinguendum est inter ariditatem *sensibilem*, quæ pertinet ad sensum, et ariditatem *substantialem*, quæ pertinet ad spiritum. Ariditas *sensibilis* (de *substantiali* loquemur num. sequenti) quando est naturalis fert secum quoddam tædium rerum spiritualium, et obscuritatem quamdam leviorem, et minus durabilem; sed quando est supernaturalis, de qua hic agimus, ponit Animam in quadam obscuritate profundiori, quæ diutius durat, et quotidie majus accipit incrementum. Nihilominus Anima in tali statu constituta, licet sentiat se magis a creaturis alienatam, et habeat cogitationem semper in Deum defixam, una cum ingenti desiderio, et determinatione eum perfecte amandi, tamen sentit se redditam tamquam impotentem ad hoc exequendum ob suas imperfectiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis: sed interea, hoc non obstante, non cessat se recte gerere in virtutibus. Hæc molesta ariditas est quidam tractus gratiæ, est lux quædam supernaturalis, sed lux quæ affert pœnam, et obscuritatem, quoniam volens se nudo spiritui communicare, et inveniens sensus, atque potentias Animæ sui non adhuc capaces, ex eo quia nondum prorsus a consolationibus sensibilibus sint disjunctæ, et consequenter materialibus, quæ plenæ sunt formis, imaginibus, et figuris; producit in Anima hujusmodi tenebras tam molestas, sed valde utiles, quoniam per ipsas Anima pervenit ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis, quam spiritualibus; et in-

super acquirit magnam suarum miseriarum cognitionem, atque impotentiæ ad quodvis opus bonum perficiendum, et simul magnam erga Deum venerationem, qui illi repræsentatur venerabilis, et terribilis. In hoc statu Director debet Animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se exercere in meditatione, sed humiliet se, faciat actus oblationis, totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus suæ voluntatis, quæ tota tendit ad bonum nostrum.

129. Post hanc purgationem sensus solet Dominus concedere donum contemplationis, quæ dicitur gaudii; scilicet recollectionis supernaturalis, quietis, et unionis, de qua deinceps loquemur; sed ante unionem, et post recollectionem, et quietem, solet Deus purgare Animam ariditate spiritus, quæ dicitur ariditas *substantialis*, qua Dominus vult, ut Anima se totam in seipsa annihilet. Ariditas sensus est subtractio devotionis sensibilis, sed ariditas spiritus est quædam lux divina, qua Deus facit, ut Anima suum nihil agnoscat. Atque hic est ubi Anima se cernit in quadam terribiliori agonia; nam etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, et magis attenta ad Deo placendum, nihilominus quo magis agnoscit suas imperfectiones, eo sibi videtur a Deo expulsa, atque derelicta tanquam ingrata beneficiis acceptis: immo et ipsa spiritualia exercitia, quæ peragit, ut sunt orationes, Communiones, mortificationes, eam magis contristant; nam cum ea omnia non sine magno tædio, et pœna perficiat, credit omnia digna suppliciis, et se Deo odibiliorem. Quin multoties Animæ illæ videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam

Deus eas jam reprobaverit tanquam sibi inimicas; et adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum pœnas, et divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut hujusmodi desolationes comitentur mille aliæ tentationes, et motus impuritatis, iracundiæ, blasphemiæ, incredulitatis, et præsertim desperationis: ita ut miseræ in magna illa obscuritate, et confusione non valentes discernere resistentiam voluntatis, (quæ revera tunc adest, sed ipsis est occulta, aut saltem dubia ratione præsertim tenebrarum) timeant jam consensisse, et ideo tanto magis existimant se derelictas a Deo.

130. Hic ergo Confessarius quando ei aliqua ex Animabus istis occurrit, quæ jam per perfectionem progreditur, et opinatur se derelictam; in primis non terreatur videndo confusionem hanc, et audiendo tot expressiones timoris; et desperationis; nec se ostendat timidum aut ullo modo hæsitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timendum: et eo tempore plusquam alias animet ad confidendum in Deo, recitans illi ea verba, quæ Dominus dicit S. Theresiæ, quod scilicet *nemo Deum amittit absque eo quod cognoscat amittere.* Dicat ei omnes illas suggestiones blasphemiarum, incredulitatis, impuritatis, et desperationis non esse consensus, sed pœnas, quæ si cum resignatione tolerentur, Animam magis, magisque Deo conjungunt. Dicat, a Deo nunquam odio haberi Animam, a qua amatur, et quæ bonæ est voluntatis. Addat, Deum ita se gerere cum Animabus a se magis dilectis. *Ariditatibus, et tentationibus* (dicebat S. Theresia) *probat Deus suos amatores.* Quamvis ariditas tota vita perduret, Anima non omittat orationem, veniet tempus quo omnia ei *persolventur.* O quam pulchram pro Anima desolata

sententiam ! Hortetur ergo, ut forti animo sit, et viriliter expectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis; moneat etiam, ut primo humiliet se utpote dignam ita a Deo tractari ob anteactæ vitæ defectus; secundo, ut divinæ voluntati se totam resignet, paratissimam se præbendo ad ea omnia perferenda, immo et majora pro omni tempore quod Deo placuerit: tertio projiciat se tanquam mortuam in brachia divinæ misericordiæ, et committat protectioni Mariæ SS. quæ mater misericordiæ, et afflictorum consolatrix jure appellatur.

131. Ariditas sensus perdurat quousque, purificatis sensibus, Anima apta ad contemplationem reddatur. Ariditas vero spiritus durat quousque reddatur capax divinæ unionis: quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus, ut Anima iterum redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa, ne Anima seipsam negligat, et ut identidem suum nihil agnoscat.

132. Completa ergo purgatione sensus, et ad finem perducta ariditate sensibili, ponit Deus Animam in statu contemplationis. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. *Affirmativa* est quando Anima beneficio lucis divinæ, sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem aut creatam, ut esset infelicitas Inferni, felicitas Paradisi etc. aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. *Negativa* est quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere cum confusa quadam notitia, sed quæ ingerit conceptum longe majorem magnitudinis divinæ; et ita etiam in confuso agnoscit aliquam veritatem creatam, ut horribilitatem inferni etc. Sed transeamus ad

primos contemplationis gradus: hi sunt, recollectio interior spiritus, et quies: de unione loquemur post.

133. Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali jam diximus supra *num*. 127. quæ tunc habetur, quando Animæ potentiæ colliguntur ad considerandum Deum intra se; et dicitur *naturalis*, non quia Anima ex se valeat illam operari; omnis enim actio virtutis, ut possit æternum præmium promereri, indiget auxilio gratiæ; unde generatim loquendo est etiam supernaturalis: sed *naturalis* dicitur, quia Anima tunc est in statu activo, et beneficio gratiæ ordinariæ operatur. Recollectio vero *supernaturalis* est illa, quam operatur Deus ministerio cujusdam gratiæ extraordinariæ, et per quam Deus collocat Animam in statu passivo; ita ut recollectio supernaturalis, seu infusa tunc proprie habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius Animæ, sed beneficio lucis, quam Deus infundit, et per quam excitatur in Anima magnus, et sensibilis amor divinus. In hoc statu non est cogenda Anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio: sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit.

134. Secundus gradus est *quietis*. In recollectione vis amoris communicatur immediate sensibus externis, quos Deus ipse intra Animam facit colligere. Sed in quiete amor communicatur immediate spiritui in ipso Animæ centro; et

amor ipse est ardentior, qui deinde etiam ad sensus externos diffunditur: hoc vero non semper: unde multoties accidit; quod Anima habeat orationem quietis, sed sine ulla dulcedine sensibili. Dicit S. Theresia (*a*) quod in hac oratione non suspenduntur omnes potentiæ: suspenditur quidem voluntas, et remanet tanquam ligata, quia tunc nullum aliud objectum præter Deum valet amare, qui eam sibi trahit; sed intellectus, et memoria, aut phantasia quandoque remanent liberæ, et huc illucque excurrunt. Unde dicit Sancta (*b*) Animam de hoc non debere tristari. *Rideat* (inquit) *de sua cogitatione, illamque deserat veluti stultam, et maneat in sua quiete: et cum voluntas sit domina, ipsa cogitationem ad se reducet, absque ullo vestro labore.* Quod si Anima velit se applicare ad colligendam cogitationem, nihil omnino aget, et suam quietem amittet. In hoc statu multo minus quam in recollectione Anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex se ipsa emendicatos: eos tantummodo faciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli.

135. Dicamus nunc aliqua de oratione puræ contemplationis, scilicet de contemplatione negativa superius enunciata, quæ est longe perfectior quam affirmativa. Hæc contemplatio *negativa* dicitur *Clara Caligo*, quia ob nimiam lucis abundantiam intellectus obscuratur: quemadmodum qui intuetur solem, radiorum fulgore obcœcatus nihil cernit, sed tantum intelligit solem esse magnum quoddam lumen: sic Deus in ista caligine infundit Animæ lucem ma-

(a) *In Vita cap.* 14.
(b) *Camm. di perfez. p.* 209.

gnam, quæ facit, ut illa intelligat non jam veritatem aliquam particularem, sed acquirat generalem quandam, et confusam notitiam suæ incomprehensibilis bonitatis, unde Anima incipit efformare altissimam de Deo ideam, licet confusam. Quando Anima aliquantulum noscit aliquam ex divinis perfectionibus, altum quidem conceptum suæ bonitatis concipit; sed longe melior est conceptus, quem format quando cognoscit divinam perfectionem non posse comprehendi. Scribit Cardinalis Petruccius in doctissimis suis Epistolis, hanc orationem propterea vocari orationem caliginis, quia in hac vita Anima non est capax clare intelligendi Divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo; sed intelligit longe melius omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia cum Deus non sit res quæ formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare, et ideo nihil aliud intelligit, quam quod illum non valet intelligere; quapropter hujusmodi intelligentia vocatur ab Areopagita: *Sublimis cognitio Dei per ignorantiam.* In hac oratione caliginis suspenduntur omnes interiores potentiæ Animæ, et quandoque etiam sensus exteriores: ita ut Anima aliquando ingrediatur in *Ebrietatem Spiritualem*, quæ facit eam prorumpere in quædam amoris deliria, ut cantus, clamores, fletus immodicos, saltus, et his similia quemadmodum eveniebat S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

136. Post gradus istos facit Dominus Animam ad unionem transire. Unicus Animæ scopus hic esse debet, unio scilicet cum Deo; sed ut Anima perfectionem attingat, non est necessaria unio *passiva*; satis est illi pervenire ad unionem *activam*. Paucissimæ, inquit S. Theresia, sunt Animæ illæ, quæ diriguntur a Deo per

vias supernaturales: et nos in cælo permultas aspiciemus, quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quæ gratias istas receperunt. Unio *activa* est perfecta uniformitas divinæ voluntati, in qua certe consistit tota perfectio divini amoris; *Perfectio*, inquit S. Theresia (a), *non consistit in extasi, sed vera unio Animæ cum Deo est unio voluntatis cum divina voluntate*. Hæc unio est necessaria, non vero unio *passiva*; et Animæ illæ quæ solam habent activam, inquit eadem Sancta (b), *fieri poterit quod habeant meritum longe majus quia majorem patiuntur laborem, et Dominus dirigit eas ut fortes, et consolationes, quas in hac vita non habent, servat ut postea det eis in alia*. Cardinalis Petruccius inquit, quod absque contemplatione infusa recte quidem potest Anima beneficio gratiæ ordinariæ pervenire ad annihilationem propriæ voluntatis, et ad eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo, quam voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus, tamen hi non impediunt illi præfatam transformationem; unde subdit, quod cum in hoc posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare, et petere a Deo, quam ut dirigatur ab ipso, et in ipso suam efficiat voluntatem. S. Theresia tractando de unione passiva, inquit (c), quod Anima posita in ea, *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere*; quoniam ex abundantia lucis, et amoris efformatur illa beata caligo, in qua suspenduntur omnes potentiæ Animæ; memoria enim non recordatur, nisi Dei: vo-

(a) *Conc. dell'Amor di Dio. Conc. III.*
(b) *Avvisi per l'oraz. 22.*
(c) *Mans. V. cap. 1.*

luntas conjungitur Deo tali amore, ut nequeat amare aliud objectum; et intellectus tanta luce repletur, ut nullam rem aliam valeat cogitare, nec etiam gratiam quam actu tunc recipit; unde intelligit multum, sed nequit percipere quid intelligat. In summa Anima in hoc statu constituta habet claram, et experimentalem cognitionem Dei præsentis, qui in Animæ centro eam sibi conjungit. Hæc unio, inquit S. Theresia (a), non multum perdurat; sed ad summum dimidiam horam non excedit. In aliis contemplationibus, de quibus antea locuti sumus, Deus præbet se videndum tamquam proximum Animæ, hic vero tamquam præsentem; et Anima experitur eum sibi conjunctum per suavem quemdam contactum. Unde, inquit Sancta (b), in aliis contemplationibus posse Animam dubitare, utrum fuerit Deus, in hac vero non. Hoc tamen non obstante, debet eam Confessarius monere non ideo evasisse impeccabilem, et propterea, quo magis se videt a Deo hujusmodi gratiis donatam, eo magis esse debet humilior, et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore, quod suæ infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob majorem qua committentur ingratitudinem. Inquit S. Theresia (c) sibi cognitas plures Animas, quæ, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccata mortalia præcipites ceciderunt.

137. Tres dantur species Unionis, et sunt; unio *simplex*, unio *desponsationis*, et unio *con-*

(a) *Vita cap.* 18.
(b) *Mans. V. cap.* 1.
(c) *Mans. V. et VI.*

summata, quæ vocatur unio *Matrimonii spiritualis*. Unio simplex est illa, de qua usque adhuc locuti sumus. Dicendum nunc est de unione *desponsationis*. Hanc unionem solet ordinarie præcedere ariditas substantialis, quæ est purgatio spiritus, de qua jam supra locuti sumus *n.* 129. In hac vero unione desponsationis tres sunt alii gradus diversi, scilicet *Extasis*, *Raptus*, et *Elevationis spiritus*. In simplici unione suspenduntur potentiæ, sed non sensus corporei, quamvis hi remaneant valde infirmi ad operandum. In unione autem extasis amittitur quoque usus sensuum, ita ut persona non videat, non audiat, et non percipiat neque incisiones, neque adustiones. Raptus vero nihil aliud est, quam impressio quædam gratiæ validior, qua Dominus non solum elevat Animam ad unionem, sed etiam rapit illam motu quodam subitaneo, et violento; ita ut aliquando elevetur etiam corpus, et reddatur leve ad instar plumæ. *Elevatio spiritus* est, quando Anima sentit se rapi quasi extra se, et extolli supra seipsam cum magna quadam violentia, unde Anima ab initio magnum experitur timorem. In elevatione spiritus continetur tam extasis, quia interveuit amissio sensuum, quam raptus, idest motus violentus. Retulit mihi persona quædam similibus gratiis a Deo donata, quod in talibus elevationibus spiritus videbatur sibi tanquam si Anima e corpore fuisset avulsa, et elevata cum tanta velocitate ac si conficeret decies centena millia milliaria in quovis temporis momento non sine magno terrore, quoniam ignorabat quo esset ascensura; sed cum postea subsedisset, tunc illustrabatur ad cognoscendum aliquod divinum arcanum. Sed hic oritur dubium; Si in hac unione suspenduntur potentiæ, et intellectus, obscuratus a

lucis abysso, nequit attendere rebus quas intelligit, qua unquam ratione potest ibi Anima intelligere, et verba facere de illo divino arcano? Respondent mystici, quod quando Deus vult, ut Anima intelligat aliquod secretum, aut immittere illi aliquam visionem intellectualem, vel imaginariam, minuit nonnihil lumen, ita ut Anima remaneat habilis ad cognoscendum, et perpendendum quodcunque Deus voluerit.

138. Tandem perfectior unio, quæ dicitur *consummata*, et major quam in hac vita possit Deus concedere Animæ viatrici, est illa quæ dicitur *Matrimonii spiritualis*, per quam Anima transformatur in Deum, et fit unum quid cum Deo: eodem modo quo vas aquæ infusum mari evadit unum cum aqua maris. Et advertendum hic est, quod in reliquis unionibus, ut loquuntur mystici, potentiæ remanent suspensæ, in hac vero minime suspenduntur; quoniam potentiæ purificatæ a sua sensibilitate, et materialitate jam effectæ sunt capaces divinæ unionis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat, et attendat huic intimæ divinæ unioni, quæ jam facta est in Animæ centro, quod accidit eodem modo ac si quis intueretur solem, et sine ulla offensione oculorum solis splendorem cognosceret. Insuper est advertendum, quod hæc unio non est transitoria, ut duæ priores, sed permanens: ita ut Anima fruatur habitualiter divina præsentia jam sibi conjuncta, et fruatur in pace stabili: nam passiones nihil amplius eam perturbant: illas quidem Anima cernit dum faciem suam ostendunt, sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar ejus qui forte habitans super nubes, cerneret tempestates inferius evenientes, et ipse non tangeretur ab illis.

139. Hic abs re non erit aliqua dicere de visionibus, locutionibus, et revelationibus, ad discernendas falsas a veris. Visiones vel sunt *externæ*, vel *imaginariæ*, vel *intellectuales*. *Externæ* sunt quæ oculis cernuntur. *Imaginariæ* quæ spectantur in phantasia, seu imaginativa. *Intellectuales*, quæ neque oculis, neque in phantasia videntur, sed a solo intellectu divina luce adjuto, quæ species intelligibiles ingerit; atque hæc visionum species, teste S. Theresia, tota est spiritualis; nullam enim in ea partem habent sensus neque externi, neque interni, qui sunt imaginativa, et phantasia. Notandum quod neque oculis, neque phantasia potest Anima cernere sibi repræsentatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiæ spirituales; e contra beneficio intellectus res cernuntur tantum spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel ut melius dicam, noscuntur, non videntur, sed noscuntur longe melius quam si oculis cernerentur.

140. Advertendum tamen hic est, quod visiones istas tam Deus, quam diabolus potest operari; quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere S. Joannes a Cruce (a), contra id quod sentit Cardinalis Petroccius, quamvis multo facilius corporales, quæ ut plurimum, et præcipue in feminis, ab ipsa phantasia efformantur. Signa ad distinguendas veras a falsis sunt. 1. Si veniant ex improviso sine ulla præcedenti Animæ cogitatione. 2. Si ab initio afferant confusionem, et terrorem, sed postea relinquant Animam in pace. 3. Si sint raræ, quia frequentes sunt valde suspectæ. 4. Si

(a) *Salita lib. 2. cap. 24.*

parum durent, quoniam, inquit S. Theresia, (a) quando Anima intuetur per longum tempus rem sibi repræsentatam, signum est quod sit potius actus phantasiæ. Visio divina ut plurimum transit ad instar fulguris, sed remanet inde immobiliter menti infixa. 5. Vera visio relinquit Animam in summa pace, et vivida cognitione miseriæ suæ, non sine ingenti desiderio perfectionis; ad differentiam visionum diabolicarum, quæ parum remanent impressæ, et relinquunt Animam in quadam siccitate, perturbatione, motibus propriæ æstimationis, et cum fame sensibili harum gratiarum. Verum cum omnibus signis superius memoratis, inquit S. Theresia (b), nullam certam haberi posse securitatem, quoniam multoties dæmon fecit simulare quietem, cogitationes humilitatis, desideria perfectionis; quæ omnia incertum est a quo procedant; quoniam sæpe ipse dæmon, ut ei fides præstetur, solet hæc insinuare, ut tandem illum percipiat fructum, et deceptiones, quas intendit. Unde director, regulariter loquendo, non prohibeat Animæ enarrare sibi hujusmodi visiones, immo imponat illi, ut manifestet quæcunque videt sive vera ea sint, sive falsa, ut docet S. Theresia (c); sed e contrario nullam ostendat curiositatem sciendi hujusmodi visiones, neque de his minute Animam interroget: nec præveniat dicendo: *Non fuit sic? Vidistine hoc, vel illud?* quia tunc facile Anima respondet affirmative aut ex sua malitia, aut simplicitate. Si aperte noverit hujusmodi visiones esse opus phantasiæ, aut diabolicum, quia forte arcent Animam ab

(a) *Mans. VI. cap.* 9.
(b) *Mans. VI. cap.* 9.
(c) *Mans. V. cap.* 9.

obedientia, humilitate, aut ab alia virtute, tunc patenter ei hoc dicat. Si vero id Confessarius non discernat, non omnino expedit indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasias, quemadmodum solent quidam nimis increduli (ad differentiam aliorum qui nimis creduli omnes habent ut veras); sed dicat pœnitenti, ut oret Deum quo non amplius ducatur per vias adeo periculosas, se protestando quod quamdiu vivet in terris, velit Deum cognoscere solum per viam fidei. Ceterum insinuet, ut ex visionibus habitis, vel falsis, vel veris, illum percipiat fructum, qui magis est necessarius, et præcipue se recte cum Deo gerendi; ita enim agendo, quamquam visiones fuerint a dæmone, dæmon remanebit elusus.

141. Quod vero ad *Locutionem* attinet, *locutio esse potest successiva*, *formalis*, *et substantialis*. Successiva est quando Anima meditando aliquam veritatem fidei, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea. Hæc quando bonos parit effectus ut essent amoris, aut humilitatis extraordinariæ, esse potest speciale Dei lumen: sed quando non videt augeri consuetum amorem, indicium est, eam esse intelligentiam proprii intellectus. *Formalis* est quando Anima audit aliqua verba formata, sed extra se; et potest hæc percipere vel auribus, vel imaginativa, vel intellectu. Hæc, ut discernatur utrum sit divina, vel diabolica, videndæ sunt res quas exprimit, aut faciendas imponit; et effectus quos relinquit. Præcipue, si est divina, imponitque opera patientiæ, propriæ abjectionis, aut quodvis aliud opus spirituale, relinquet facilitatem quamdam ad omnia toleranda, ad operandum, et se humiliandum. *Substantialis* est eadem ac formalis, et solum

differt in effectu; quoniam formalis aut instruit, aut imponit; substantialis vero cito operatur id quod exprimit; ut e. c. si diceret: *Consolare, noli timere: dilige me*: Anima tunc in eodem temporis puncto remanet consolatione repleta, intrepida, aut amoris igne succensa. Hæc locutio ceteris omnibus est securior; prima enim est valde incerta: secunda, idest formalis, est multum suspecta, præsertim quando jubet res exequendas; unde Director si observat ea quæ jubentur esse Christianæ prudentiæ opposita, debet ea omnino prohibere; si vero non sint prudentiæ contraria, expedit, ut earum suspendat executionem quousque deveniat in majorem securitatem, et multo magis si res sint extraordinariæ.

142. Denique quod attinet ad *revelationes* rerum occultarum, aut futurarum, ut scilicet mysterium fidei, status conscientiarum, prædestinationis Animarum, mortis, promotionis ad aliquam dignitatem, et his similia; hæ possunt tripliciter haberi, nempe per visiones, per locutiones, et per intelligentias nudarum veritatum. In hujusmodi revelationibus debet director magnam adhibere prudentiam, nec sit nimis facilis ad credendum, et præcipue ad exequendum, quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in Revelatione acceptam. Ante omnia jubeat Animæ, ne revelationem aliis indicet, et ipse cautissime semper procedat, immo utatur sapientiorum consilio, quoniam ut plurimum tales revelationes dubiæ sunt, et suspectæ. Minus vero suspectæ sunt intelligentiæ simplicium veritatum circa mysteria, attributa divina, malitiam peccati, damnatorum infelicitatem, et his similia: hæc quando sunt fidei conformia, in-

quit S. Joannes a Cruce (*a*), quod Anima non debet illas expetere, sed si ipsi concedantur, humiliter sunt ab ea accipiendæ, et non refutandæ.

143. Oritur hic dubium: Utrum omnes istæ species gratiarum, et communicationum supernaturalium debeant rejici, aut acceptari. Et distinguendum est, ut ait doctus quidam Auctor (*b*) cum S. Joanne a Cruce, et aliis: gratiæ illæ quæ elongant a fide, ex eo quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, has oportet omni conatu rejicere; sed illæ, ex opposito, quæ sunt uniformes fidei, ut sunt notitiæ confusæ, et generales, et tactus divini, qui uniunt Animam Deo, non sunt rejiciendæ, immo possunt humiliter expeti, et desiderari, ut magis magisque Deo uniatur, et in suo sancto amore solidetur. Hoc nihilominus intelligitur pro illis Animabus, quæ jam donantur similibus favoribus, quoniam pro aliis tutior via est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, quæ, ut diximus, est unio voluntatis nostræ cum divina voluntate. Director igitur quando ei occurrerit Anima cum his communicationibus contemplationis, aut caliginis, aut unionis, non debet ei imponere, ut eas rejiciat, sed ut humiliter, et cum gratiarum actione recipiat. Semper vero utatur verbis, quæ Animam non omnino securam efficiant, sed relinquant quemdam timorem, qui eam etsi non conturbet, detineat vero in humilitate, et ab omnibus alienatione. Gratias autem quorundam notitiarum distincta-

(a) *Salita lib.* 11. *cap.* 33.

(b) *F. Bernard. da Castelvetere Dirett. Miss. lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 1.

rum quæ habentur per viam visionum, et his similium, ut superius diximus, jubeat Confessarius constantissime recusari, semper tamen in spiritu humilitatis (et sine ullo contemptu, ut expuendi in faciem, irridendi etc. quod non licet, ut plures asserunt); et protestando se coram Deo : Se velle ei pura fide servire. Ceterum, inquit S. Theresia (*a*), quod quotiescumque Anima sentit se suaviter accendi ad amorem erga Deum, habere debet communicationem tanquam divinam, non ideo ut credat se aliis meliorem, sed ut animum faciat ad perfectius coram Deo ambulandum ; ita enim agendo Deus efficiet ut dæmon, etiamsi iste aliquam partem haberet, victus remaneat, et suis ipsis armis sibi damnificet.

144. Sed concludamus. Director ergo 1. imponat Animæ, ut superius diximus, ut fideliter enarret omnes communicationes quas habet in oratione, nullam tamen eas sciendi gulam dæmonstret : nec unquam alii manifestet gratias supernaturales suæ pœnitenti concessas; fiet enim ut illi ejus precibus se commendent, eamque maximo superbiendi periculo exponant : vel si post hanc notitiam, levissimum intueantur defectum, multum scandalizabuntur, et in derisione habebunt. 2. Non ostendant huic Animæ talibus favoribus distinctæ, particulare aliquod signum æstimationi, et multo minus mittat alias pœnitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem, potius ostendat minoris eam facere, quam alias Animas quæ ambulant per viam fidei, quoniam Animæ his favoribus ornatæ, regulariter loquendo, semper, et multum sunt humiliandæ. 3.

(a) *Vita cap.* 15. *et Mans. IV. cap.* 9.

Si advertat Animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adjuvare, immo et securam facere, quoties expedire cognoverit. Inquit S. Theresia, quod Anima numquam movebitur ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit magna accepisse a Deo. Et quidem eadem Sancta, quando a Ss. Francisco Borgia, et Petro de Alcantara fuit facta securior, dona quæ ipsa acceperat, esse vere divina; ex eo tempore ad perfectionem non amplius cucurrit, sed evolavit. Neque ex eo quod cernit director Animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, aut commissi cum adhærentia, et contemptu) reputare debet omnes hujusmodi communicationes pro mendaciis, et illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantum Animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ea scilicet ratione, ut liberet a suis imperfectionibus, et ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur quod per hujusmodi communicationes Anima magis magisque se liberat a passionibus, et proficit in amore divino, atque in desiderio perfectionis, signum est quod illæ sint bonæ. De reliquo quando agitur de gratiis externis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, regulariter loquendo, ut diximus, tutius est, ut director ostendat parvi eas facere, dicendo id quod ait S. Theresia a cælo post obitum suum cuidam personæ Religiosæ: *Ne fidant Animæ visionibus, et revelationibus particularibus, nec collocent perfectionem in eis habendis: licet enim aliquæ ex eis sint veræ, plures nihilominus sunt falsæ, et mendaces: et difficile est invenire unam veritatem inter plura mendacia* (quare plures sunt visiones falsæ quam veræ); *et quo avidius ex-*

petentur, et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide, et humilitate, quæ est via tutior, quam posuerit Deus. Quare det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem a rebus terrenis, et a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem nunquam valebit pervenire. Quod si unquam director advertat Animam non esse bene fundatam in suæ miseriæ cognitione, et vellet pro certo tenere quod suæ communicationes sint divinæ; et turbaretur audiendo, quod Director nollet eas credere uti tales, pessimum signum est: signum est quod illæ sint dæmonis ex effectibus qui observantur, scilicet adhæsionis, superbiæ; aut indicium est quod Anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare deberet, quoties dubitat Confessarius, et ideo in hoc casu omnibus modis est humilianda, et in timore detinenda quantum fieri potest; et tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communione, et severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur a dæmone. Denique director etsi indicarat reddere Animam certiorem, quod suæ communicationes sint a Deo, tamen ei insinuet, ut in Oratione semper præ oculis habeat (vel saltem in principio) punctum aliquod vitæ, vel passionis Jesu Christi. Dicebat S. Theresia, Animam quæ amittit directionem boni Jesu, numquam perventuram ad perfectam cum Deo unionem. Animæ incipientes meditantur Domini passionem per modum discursus; contemplativæ vero non utuntur discursu, sed proposito sibi mysterio aliquo admirantur bonitatem, misericordiam, amorem divinum, et hic Deus facit eas transire, quando ei placuerit, ad contemplationem suæ divinitatis.

§. III.

De Mortificatione.

145. Quoad mortificationem oportet advertere, quod quando Animæ vitam spiritualem incipiunt, ex eo quod solet tunc Dominus, ut diximus, eas allicere consolationibus sensibilibus, in primis illis fervoribus vellent se interficere disciplinis, ciliciis, jejuniis, et similibus exercitiis afflictivis. Interea oportet, ut director sit parcissimus in hujusmodi mortificationibus concedendis: nam alias superveniente inde tempore ariditatis, ut ordinarie solet accidere, facile Anima destituta suo pristino fervore sensibili, omittet omnes suas mortificationes; et incipiens inde diffidere, relinquet etiam orationem, et vitam ipsam spiritualem, utpote res minus sibi accommodatas, et consequenter amittet omnia. Aliquando etiam accidit, ut hæ Animæ incipientes ratione primi illius fervoris dent in res immoderatas, et incidant in morbos corporales, et tunc ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiritualia non sine ingenti periculo amplius ea non resumendi. Ideo director curare debet, ut prius ipsæ in vita spirituali solidentur, et postea consideratis circumstantiis sanitatis, occupationum, atque fervoris, concedat illis eas mortificationes externas, quas ipsis magis judicaverit convenire secundum christianam prudentiam. Dico *secundum christianam prudentiam*; quoniam dantur aliqui directores adeo imprudentes, qui omnes Animæ progressum collocare videntur in onerando eam jejuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus, et his similibus. Alii vero omnes omnino mortificationes externas vi-

dentur reprobare tamquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando. Sed hi etiam errant ut primi, quoniam mortificationes corporales adjuvant internas, et sunt quodammodo necessariæ (quando possunt exerceri) ad frænandos sensus, et ideo legimus ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas. Verum quidem est, quod mortificatio interior passionum est a pœnitentibus potissimum exigenda; ut ex. gr. esset, non respondere injuriis, non quærere, neque manifestare aliis quæ tendunt ad propriam æstimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati condescendere (sed sine damno spirituali); unde expedit aliquando alicui Animæ prohibere omnes mortificationes externas, quousque se sentiat liberam ab aliqua passione magis dominante, ut vanitatis, rancoris, cupiditatis rerum hujus mundi, æstimationis propriæ, aut propriæ voluntatis. Sed absolute asserere, mortificationes externas nihil, aut parum prodesse, maximus error est. Dicebat S. Joannes a Cruce ei qui reprobat pœnitentias nullam præstandam fidem, etiamsi miracula perpetraret.

146. Ab initio ergo director ante omnia injungat pœnitenti, ut nihil unquam faciat contra aut sine ejus obedientia. Qui contra obedientiam pœnitentias agunt, inquit S. Joannes a Cruce: *Hi magis progrediuntur in vitiis, quam in virtutibus*. Sit quoque, ut dixi, valde retinens in concedendis hujusmodi mortificationibus, quamvis id importunius efflagitent pœnitentes; satis erit ab initio eis concedere aliquam tenuem, sed raram mortificationem, ut disciplinam, catenulam ferream, abstinentiam, potius ad ingerendum in eorum animis mortificationis desiderium, quam ad eos ut convenit mortificandos;

et postea processu temporis poterit liberalius agere juxta progressum quem Anima faciet in virtutibus; quando enim illa erit in spiritu solidata, non poterit ei sine scrupulo opportunas mortificationes denegare. Ceterum, ordinarie loquendo, generalem hanc regulam sibi proponat, nunquam scilicet concedendi mortificationes externas, nisi prius requisitus, quia hæ non multum prosunt, si absque magna appetentia recipiantur: et quoties concedit, semper minùs quam postulatur concedat, et potius, ut inquit Cassianus, excedat in denegando, quam in concedendo. Præcipue curet suadere mortificationem externam circa gulam, cujus quædam Animæ spirituales non admodum sunt amantes: hæc revera est omnium durissima, sed utilissima spiritui, et sæpe etiam corpori: dicebat S. Philippus Nerius: *Qui non coërcet gulam, nunquam perveniet ad perfectionem.* E contrario sit parcus in concedendis mortificationibus somni, quoniam hæ facile tum corporis, tum spiritus saluti sunt nocivæ; sublato enim somno sufficienti, patitur caput, et languente capite remanet persona inhabilis ad meditandum, et ad cetera alia exercitia devotionis. Quamcunque vero mortificationem concesserit pœnitenti, ut omnem illi auferat superbiendi occasionem, persuadeat illi hoc nihil prorsus esse respectu ejus quod Sancti fecerunt, et respectu pœnarum quas pro nobis perpessus est Jesus Christus. Dicebat S. Theresia: *Totum est immunditia quicquid agere possimus in comparatione unius sanguinis guttæ quam Dominus effudit pro nobis.* Meliores mortificationes, utiliores, et periculis minus obnoxiæ sunt negativæ, ad quas faciendas, regulariter loquendo, non est necessaria obedientia directoris, ut esset privare se visione, aut audi-

tione rerum curiosarum, loqui parce: contentus esse cibis gustui minus acceptis, seu male conditis: non accedere ad ignem tempore hyemis: eligere pro se res viliores: exultare et lætari deficientibus quibusdam rebus etiam necessariis; quoniam in hoc consistit virtus paupertatis, ut ait S. Bernardus: *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor paupertatis.* Insuper non queri de incommodis temporum; de contemptu sui ipsius; de persecutionibus, molestiisque infirmitatum corporis. Scalpro cruciatuum, et dolorum perficiuntur lapides Hierusalem cælestis. Dicebat S. Theresia: *Credere quod Deus admittat in suam amicitiam gentem commoditatis amicam, dementia est. Animæ, quæ vere diligunt Deum, nesciunt quietem expetere.*

147. Hic oritur dubium: Evangelium in quodam loco ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth.* 5. 16. alio loco dicit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Matth.* 6. 3. Quæritur ergo, utrum actus virtutis sint manifestandi aliis, vel occultandi? Et respondetur distinguendo: opera communia ad virtutem christianam necessaria, exerceri debent palam; ut esset frequentia Sacramentorum, oratio mentalis, visitatio Venerabilis; audire Missam genibus flexis, et cum interiori spiritus recollectione; deferre oculos modestos: silentium in Ecclesia servare; dicere: *Volo sanctus evadere;* fugere garrulitatem, conversationes periculosas, curiositates, et his similia. Opera vero, quæ dicuntur supererogationis extraordinariæ, et quæ sapiunt singularitatem, ut supra enarratæ pœnitentiæ externæ ciliciorum, flagellorum, orationis cum brachiis in crucem

expansis, comestionis herbarum amariorum, suspiriorum, fletus tempore orationis etc. occultari debent, quantum possibile est. Reliqua vero opera virtutis ut ministrare infirmis, erogare eleemosynam pauperibus, humiliare se facienti injurias, et similia; hæc melius erit occultare quantum fieri potest: sed si forte exerceri nequeant nisi publice, non debent prætermitti, dummodo fiant tantum intuitu placendi Deo.

§. IV.

De frequentia Sacramentorum.

148. TAndem dicenda sunt aliqua de modo quo Confessarius dirigere debet Animas spirituales circa frequentiam Sacramentorum, scilicet Confessionis, et Communionis. Quod spectat ad confessionem expedit ipsis insinuare, ut generaliter de suis peccatis confiteantur, si adhuc non fecerint; qui si forte jam fecerint, vel si Anima esset scrupulis agitata, oportet omnino confessionem hanc prohibere; quoad vero confessionem ordinariam, quædam Animæ delicatioris conscientiæ consueverunt quotidie confiteri; sed, generaliter loquendo, sufficit personis spiritualibus præsertim scrupulosis confiteri semel, aut ad summum bis in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis gravaretur aliqua culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi, dicit P. Barisonius in suo tractatu de Communione, innixus auctoritati S. Ambrosii, et complurium aliorum Auctorum (quod etiam suadet S. Franciscus Salesius in quadam sua Epistola), quod non ideo omittere debet Communionem: ad remissionem enim venialium docet sacrum Concilium Tridentinum esse quoque alia media, ut

essent actus contritionis, et amoris; unde melius tunc est ad purificandam Animam a culpa illa, ut istis mediis, quam privari Communione propter absentiam Confessarii. Et sapiens quidam director dicebat, quod aliquando longe fructuosius est pro quibusdam Animabus timoratis disponere se ad Communionem actibus suis, quam cum ipsa confessione. Et multoties accidit, quod tunc Anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiæ, et humilitatis.

149. Quoad vero Communionem non loquimur hic de obligatione Pastorum Animarum non negandi Communionem cuicunque subdito qui non sit publice peccator, et quoties rationabiliter petat. Satis de hoc egimus in Libro (*a*), in quo vidimus, Innocentium XI. in quodam suo Decreto ordinasse usum Communionis frequentis totum remitti prudentiæ Confessariorum; unde sine evidenti causa, nescio quomodo Parochi possunt tuta conscientia denegare petentibus Communionem. Et notandum est, quod in præfato Decreto prohibetur Episcopis præscribere in genere suis subditis dies ad faciendam Communionem; sed loquimur hic dumtaxat de modo quo Confessarii debent se gerere in concedenda Communione suis petentibus. In hoc quidam errant ob nimiam indulgentiam, alii ob nimium rigorem. Non est dubium quin error sit, ut advertit SS. P. Benedictus XIV. in aureo suo libro de Synodo, concedere Communionem frequentem iis qui sæpe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda pœnitentia, ac de sua emendatione; aut iis qui accedunt ad Communionem cum affectu ad pec-

(a) *Lib.* 6. *num.* 254.

cata venialia deliberata sine ullo desiderio se ab eis liberandi (*a*). Expedit quidem aliquando concedere Communionem aliquibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum: sed respectu earum personarum, quæ non existunt in tali periculo, et e contra committunt ordinarie peccata venialia deliberata, et nulla in eis emendatio, neque desiderium emendationis effulget, optimum erit non permittere eis Communionem plusquam semel in hebdomada, immo poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam Communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum hoc reverentiam (*b*). Tanto magis, quod sententia communior tenet, recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali, aut cum affectu ad ipsum, novam esse culpam ratione irreverentiæ, quæ irrogatur Sacramento. Quidam afferunt Decretum S. Anacleti (*c*), in quo habetur: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim et Apostoli statuerunt, et S. Romana tenet Ecclesia.* Sed in primis negatur a P. Suarez, et aliis quod unquam fuerit tale Apostolorum præceptum. Secundo Decretum istud, ut Glossa ibidem testatur, et Catechismus Romanus (*d*), non obligabat omnes fideles, sed tantum ministros assistentes altari. Et

---

(a) *Lib.* 6. *num.* 270.

(b) *C. Peracta*, 2. *Distinct.* 2. *de Consecration.*

(c) *Catechism. Roman. de Sacram. Eucharist. part.* 2. *c.* 4. *num.* 61.

(d) *Catech. ibid. num.* 61.

tandem posito quod Decretum obligaret omnes, certum est, hodie in desuetudinem abiisse.

150. E contrario errant certe quidam alii Directores, et multum se elongant a spiritu Ecclesiæ, dum sine ullo respectu ad exigentiam aut progressum Animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem, non alia ratione ducti, quam quia frequens est. Ipse Catechismus Romanus (*a*) explicans desiderium S. Concilii Tridentini, ut omnes sacrificio Missæ adstantes communicent, docet, esse officium Parochi sedulo hortari fideles ad Communionem non modo frequentem, sed etiam quotidianam: cum obligatione instruendi illos, quod sicut corpus, ita et Anima eget quotidiano alimento. Prætermitto hic afferre Sanctorum Patrum, et magistrorum spiritus auctoritates omnino conformes, quoniam hæ reperiuntur adnotatæ in tot libris, qui tractant de frequenti Communione. Sufficiat scire ex Catechismo Romano loco supra citato, et ex Decreto Innocentii XI. relato in nostro libro (*b*), quod frequens Communionis usus immo quotidianus fuit semper ab Ecclesia, et ab omnibus Patribus approbatus; qui, ut demonstrat doctus quidam auctor, quoties adverterunt frigescere usum Communionis quotidianæ, omnem diligentiam adhibuerunt ad illum reintegrandum. Et in III. Synodo Mediolanensi habita sub S. Carolo Borromæo, injunctum fuit Parochis exhortari fideles in concionibus ad hanc frequentiam Communionis; et insuper impositum fuit Episcopis provinciæ, ut prohiberent concionari, et severius punirent eos qui oppositum disseminarent tamquam scandalorum satores, et totius Ecclesiæ sensui contra-

(a) *Catech. ibid. n.* 61.
(b) *Lib.* 6. *n.* 254.

dicentes. Insuper in præfato Decreto Innocentii imponitur Episcopis, ut diligentissime caveant, ne alicui Communio denegetur, etiam quotidiana, et quærant, ut par est, in suis subditis hanc alere devotionem. Fatentur ultro quidam spiritus rigidiores licitam quidem esse Communionem quotidianam, sed dicunt requiri ad hoc debitam dispositionem; sed scire ab ipsis desideramus quidnam intelligant hoc nomine *debitæ dispositionis?* Si intelligunt dignam, ecquis unquam deberet amplius ad Eucharistiam accedere? Solus Jesus Christus digne Eucharistiam sumpsit, quia solus Deus digne Deum potuit recipere. Si vero convenientem dispositionem intelligunt, jam superius dictum est, quod iis qui actualia habent peccata venialia, aut affectum ad illa, sine desiderio emendationis, æquum est frequentem Communionem denegare. Sed si postea loquamur de illis, qui sublato jam affectu etiam ad venialia, et superata majori parte pravarum suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, inquit S. Franciscus Salesius (*a*) quod hi prævio sui Directoris consilio, recte possunt communicare quotidie. Et S. Thomas (*b*) docet quod quando Anima aliqua experitur beneficio Communionis se crescere in amore divino, nec imminui reverentiam in Sacramentum, non debet abstinere a Communione etiam quotidiana; en ipsa S. Doctoris verba: *Si aliquis experientia comperisset ex quotiadina Communione augeri amoris fervorem, et non minui reverentiam, talis deberet quotidie communicare.*

(a) *S. Franc. Sales Introd. alla vita Divota* c. 20.

(b) *D. Th. 4. Sent. Dist.* 12.

151. Et quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam virtus, tamen inquit P. Granata in suo Tractatu de Communione, esse communem Doctorum opinionem, quod melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Et hoc confirmat idem S. Thomas (a) dicens: *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur. Amor tamen, et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori.* Immo recte ait P. Barisonius, quod ille, qui ad Eucharistiam accedit cum desiderio crescendi in amore divino, etiam reverentiæ actum exercet erga Jesum Christum: imo hic facit actum positivum, quando ille qui abstinet facit tantummodo negativum. Plures Sancti, qui magnam erga hoc Sacramentum reverentiam habuerunt, non abstinuerunt a quotidiana Communione: ut consueverunt S. Gertrudes, S. Catharina Senensis, S. Theresia, B. Joanna de Canthal, et alii. Et asserentibus hodie non amplius existere has S. Theresias, recte repondit idem P. Barisonius, temeritatem hanc esse supponere quod hodie manus Domini sit abbreviata, V. P. Magister Avila non dubitat dicere quod illi qui damnant eos qui sæpius ad Eucharistiam accedunt, dæmonis officio funguntur.

152. Ceterum considerando relatas doctrinas, videtur non posse Director sine scrupulo negare Communionem frequentem et etiam quotidianam (excipe ordinarie loquendo unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui Directores, et excipe tempus illud quo privare velint pœnitentes communione, ad probandam

(a) *D. Thom. p. 3. quæst. 80. art. 10. ad 3.*

eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam) quibusdam Animabus eam desiderantibus, ut proficiant in divino amore; semper vero ac illa vivendo alienata ab affectu cujuscumque culpæ venialis, incumbit insuper multum orationi mentali, et conatur tendere ad perfectionem; et amplius non labitur in peccata, etiam venialia plene voluntaria. Hæc enim, ut ait S. Prosper, est perfectio, quæ potest in hac vita haberi, attenta humana fragilitate. Et quando Confessarius utile esse cognoverit concedere Communionem frequentem similibus personis, inquit Innocentius XI. in suo Decreto nihil obstare, quod sint etiam negotiatores, et conjugati. En ejus verba: *Frequens* (ad Eucharistiam) *accessus Confessariorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu laicis, negotiatoribus, et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illi præscribere debebunt.*

153. Et quamvis Anima aliqua caderet aliquando in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito postea doleret, emendationemque proponeret; si deinde Communionem desideraret ad robur accipiendum a Sacramento, ne cedat, et ad progrediendum in via perfectionis, quanam de causa ei esse deneganda Communio? Damnata jam fuit ab Alexand. VIII. propositio 22. Baji, quæ dicebat: *Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Et propositio 23. *Similiter arcendi sunt a sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.* Sacrum Concilium Tridentinum vocabat hoc Sacramentum: *Antidotum quo libera-*

mur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur. Et quidem ad hunc finem præservandi Animam a recidivis, Apostoli Communionem quotidianam primitivis Christianis concedebant, inter quos sine ullo dubio reperiebantur similiter imperfecti, et fortasse imperfectiores, ut arguitur ex Epistolis SS. Pauli, et Jacobi. S. Ecclesia (in postcommunione Dom. XXIII. post Pentecosten) orat, *ut quicquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti curetur.* Ergo communio fuit instituta etiam pro imperfectis, ut virtute hujus cibi sanentur. Notandum insuper est id quod S. Franciscus Salesius in sua Philothea (*a*) in hoc proposito dicit: *Si quærunt a te cur tam frequenter communices, responde illis, quod duplex personarum genus debet sæpius communicare, perfecti scilicet, et imperfecti; perfecti, ut se in perfectione conservent, imperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire. Fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes evadant; infirmi, ut curentur; benevalentes, ne infirmentur. Et quod ad te attinet utpote imperfectam, infirmam, ac debilem, eges frequenti Communione. Dic illis, quod ii, qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent sæpius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero hujusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione.* Denique Sanctus concludit, dicens: *Accede sæpius, o Philothea, ad Eucharistiam, immo quam sæpissime consilio tui directoris, et crede mihi, quod lepores in nostris montibus albi evadunt non alia ratione, nisi quia non edunt nisi nivem: et tu comedendo puritatem in hoc Sacramento tota pura evades.* Item P.

(a) *Vita Divota cap.* 21.

Granata in suo tractatu de Communione ait: *Non debet homo recedere ab hoc Sacramento ob propriam indignitatem; pro pauperibus enim relictus est hic thesaurus, et pro infirmis hæc medicina: itaque nemo* (subdit) *quantum imperfectum se noscat, debet se longe ab hoc remedio tenere, si vere curari desiderat.* Immo ait idem auctor, quod quanto magis quis se debilem noscit, tanto magis ad hunc cibum fortium debet accedere. Quod valde consonat cum eo quod inquit S. Ambrosius (*a*): *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam*: et S. Augustinus (*b*): *Quotidie peccas, quotidie sume.*

154. Adde, quod S. Thomas docet (*c*), effectum Sacramenti, quantum ad augmentum gratiæ, non impediri a peccatis venialibus, dummodo non committantur in ipsa Communione: et quamvis hæc impediant in parte, non tamen in toto effectum Sacramenti impediunt. Hanc sententiam communiter tenent Sotus, Suarez, Valentia, Vasquez, Coninkius, et plures alii apud Salmanticenses (*d*). Insuper tenent plures graviores Auctores (*e*), hoc Sacramentum ex *opere operato* remittere peccata venialia, de quibus Anima actualem complacentiam non habeat; atque hoc concordat cum eo quod ait Catechismus Romanus (*f*): *Remitti vero Eucharistia, et condonari leviora, quæ venialia dici solent, non est quod dubitari debeat; quicquid enim cupiditatis ardore Anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eu-*

(a) *S. Ambr. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6.
(b) *Lib.* 5. *de Sacr. c.* 4.
(c) *S. Thom.* 3. *p. quæst.* 79. *art.* 8.
(d) *Lib.* 6. *num.* 279. *v. Q. II.*
(e) *Ibid n.* 269. *Eff. II.*
(f) *Catech. Rom. de Euchar. p.* 2. *c.* 4. *n.* 52.

charistia, *eas minores culpas abstergens*, *restituit*. Saltem, ut ait Angelicus (a) cum communi, excitatur per Communionem actus charitatis, quo inde peccata remittuntur: *Qui* (actus charitatis) *excitatur in hoc Sacramento*, *per quem peccata venialia solvuntur*.

155. Quod si postea dignoscatur, non obstante frequentia Communionis, Animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhæret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus Communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, et suæ spirituali perfectioni consulere. Ceterum advertendum est, quod licet juxta S. Thomam (b), ut possit quis ad Communionem accedere: *requiritur*, *ut cum magna devotione accedat:* nihilominus non est necessarium, ut illa sit summa, vel aperte sensibilis. Sufficit Directori detegere in intimo voluntatis sui pœnitentis quandam alacritatem ad exequenda quæcumque Deo placuerint. Qui a Communione abstineret, quia non sentiret in se magnum quemdam fervorem, inquit doctus Gerson, esset comparandus illi qui nimis frigescens nollet ad ignem accedere, quia nullum in se experitur calorem. Unde docet P. Granada cum Cajetano, personas pusillanimes, quæ ob immoderatum timorem suæ indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre præjudicium. Neque ad prosequendas Communiones, inquit S. Laurentius Justinianus, oportet, ut Anima sentiat, aut aperte in se dis-

(a) *D. Thom.* 3. *p. quæst.* 79. *art.* 4.
(b) *Ibid. quæst.* 80. *art.* 10.

cernat augmentum fervoris, quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, absque eo quod ipsi animadvertamus. S. Bonaventura inquit (a): *Licet tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas, quia qui se indignum reputat, cogitet, quod tanto magis eget medico, quanto senserit se ægrotum: neque ideo quæris te jungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctificeris ab illo.* Et postea suddit: *Neque prætermittenda est sancta Communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionem, cum se ad illam præparare studeat, vel in ipsa perceptione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet.* Ergo bene sentit Sanctus, quod etsi Anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quam antea, nec etiam debeat eam omittere. Quapropter, quemadmodum quando Anima sentit se maximopere ad Communionem inclinatam, expedit identidem eam mortificare Communionem differendo (præsertim si advertatur, quod per illam prohibitionem turbetur; hujusmodi enim contristatio est argumentum superbiæ, quæ eam vere reddit indignam); ita ex opposito quando sentit in se ariditatem, et tædium ad Eucharistiam suscipiendam, expedit tunc illam sæpius ad Communionem impellere, ut a Sacramento vires acquirat.

156. O utinam, concludo, o utinam et in mundo plures Animæ hujusmodi invenirentur (quæ a nonnullis ultra quam convenit rigiditati addictis, irreverentes, et temerariæ vocantur) quæ odio habentes etiam culpas leviores, expeterent communicare, non modo frequenter, sed etiam quotidie, cum vero desiderio se emendau-

(a) *De Profectu Religios. c.* 78.

di, et in divino amore proficiendi: si enim hoc esset, longe plus in mundo Jesus Christus diligeretur. Bene experientia demonstrat omnibus his qui dirigendarum Animarum munus exercent, ut et ego expertus sum, valde quidem perficere personas illas, quæ recto cum desiderio ad Communionem accedunt; et Dominum mirum in modum eas ad suum amorem pertrahere, quamvis sæpe hoc eis non manifestat pro majori earundem bono: quin et multoties eas relinquit in tenebris, et desolatione, et sine ulla devotione sensibili. Animabus istis (ut docent S. Theresia, et S. Henricus Susonius) nullum efficacius est remedium, quam frequens Communio. Unde, ut concludamus, curet Confessarius Communionem suadere, quoties verum desiderium demonstret, et quoties advertit Animam in spiritu proficere beneficio Communionis. Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciunt; scilicet inculcare suis pœnitentibus, ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant, et ratio est, quia paucissimi sunt Sacerdotes qui post Missæ Sacrificium cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet: fiat saltem per dimidiam, in qua Anima in amando, et petendo se exerceat. Inquit S. Theresia, quod post Communionem Jesus existit in Anima tanquam in throno misericordiæ, ut illi gratias elargiatur, dicens: *Quid vis, ut tibi faciam?* Et alibi: Post Communionem non amittamus tam præclaram opportunitatem negotiandi. Non solet sua divina

majestas male rependere hospitium, si bene in Anima excipiatur. Insinuet etiam, ut sæpius spiritualiter communicet: quæ res valde a Tridentino Concilio commendatur. *Spiritualiter communicare* (inquit S. Theresia) *est valde utile. Nolite id prætermittere: hic enim experietur Dominus quantum eum ametis.*

§. V.

Methodus vitæ pro aliqua Moniali quæ exposceret dirigi per viam perfectionis.

156. ANte omnia præmittere oportet ea, quæ inferius exponam, intelligenda esse, quoties non obstet pœnitenti aliquod impedimentum sanitatis, officii, aut obedientiæ: quod etiam intelligendum est cum licentia Patris spiritualis, et etiam præsulis monasterii, pro eo quod spectat mortificationes externas quæ aliorum oculis sunt expositæ.

157. Et primum quoad orationem, 1. Tres saltem horas orationis mentalis efficere, unam mane, aliam vespere et aliam post Communionem. 2. Visitare SS. Sacramentum, et Mariam SS. per semihoram, vel saltem quadrantem. In his orationibus incumbat renovandis votis pluries in die, si jam emiserit professionem; vel illis quibus forte se obligavit. 3. Recitare Rosarium saltem quinque decadum cum aliis orationibus vocalibus; sed hæ non sint plus justo, quia cum plures sunt, recitantur cum tenui fructu, caput aggravant, et inde orationem mentalem impediunt. 4. Uti sæpissime orationibus jaculatoriis, ut e. c. *Deus meus et omnia; quam bonus es*

Deus meus! Diligam te, Jesu. amor meus, pro me crucifixum. Domine quare non amaris ab omnibus? Oh utinam et nunquam offendissem te! Volo Domine quæcumque tu vis. Quando te videbo, et amabo de facie ad faciem! Ecce me, fiat de me quodcumque vis. Insinuet magnopere director hujusmodi jaculationes amoris, et Anima magni eas faciat. 5. Orationi adjungere lectionem spiritualem per semihoram, legendo Opera vel Rodriquez, vel Santjuræi, vel monita ad Religiosos, vel alium librum qui tractet de virtutibus, vel legere vitas Sanctorum, quarum lectio est fortassis ceteris omnibus utilior.

158. Secundo accedere quotidie ad Communionem, uno excepto die in quavis hebdomada. Sed in Novenis Spiritus Sancti, Nativitatis Domini, et Mariæ Sanctissimæ, et Sanctorum Patronorum communicet quotidie, et quotidie saltem ter communicet spiritualiter.

159. Tertio quoad mortificationes. 1. Quotidie flagellationem incruentam per horæ quadrantem circiter, et sanguineam bis, vel saltem in mense adhibere. 2. Mane catenulam ferream usque ed prandium: post prandium vero aliquam parvam, in brachio. Numquam tamen catenam circa cincturam, neque cilicia equinis crinibus contexta, quoniam hæc valde officiunt sanitati. 3. Jejunium in pane et aqua in die sabbati, et vigiliis septem festivitatum Mariæ, si commode per valetudinem poterit, vel saltem unico tantum uti obsonio. In refectione vespertina ordinarie non excedere octo uncias cibi, nisi adfuerit aliqua extraordinaria urgentia; abstinere a fructibus diebus Mercurii, et Veneris, et in Novenis superius enunciatis, in quibus potest etiam abstinere ab aliqua alia portione cibi con-

sueti ; et in edendo miscere cibis aliquam particulam herbæ amarioris , sed nunquam cinerem. Extra mensam nihil comedere , quoniam melius est , comparative loquendo , quotidie præfatam abstinentiam exercere , quam bis , vel ter in hebdomada jejunare. Somnus non extendatur ultra sex horas : semper vero ad quinque ; quoniam excedens defectus somni nocet capiti , et impedit cetera exercitia spiritualia. 4. Servare silentium per tres horas diei , quod intelligi debet de non proferendis verbis non necessariis.

Monita in genere pro Perfectione.

160. I. Collocare omnem suam fiduciam in Deo , et omnino diffidere de se , et de suis bonis propositis. Mascula determinatio se vincendi , et vim sibi in occasionibus inferendi. Ait S. Theresia : *Si defectus non procedit a nobis , ne timeamus quod Deus se abstineat ab impertiendo nobis auxilia ad nostram sanctificationem.*

161. II. Cavere a quocunque minimo defectu deliberato , sive apertis oculis admisso. *A peccato deliderato* , (inquit eadem Sancta) *quantumvis parvo Deus vos liberet.* Subditque : *Dæmon enim per opera minimarum rerum , aliqua facit foramina , per quæ res magnæ ingrediuntur.*

162. III. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare , et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis , et proposito , se in pace remittere ; et ita semper se gerere , etiamsi centies in die quis caderet. Et in hoc monet S. Theresia ne communicentur propriæ tentationes Animabus imperfectis , quia ita et sibi , et aliis damnum affertur.

163. IV. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus; aliter, inquit S. Theresia: *Anima non recedendo a voluptatibus mundanis, non post multum, denuo recedet a via Dei.* Effugere familiaritatem personarum diversi sexus, quantumcunque fuerint religiosæ; sæpe enim diabolus introducit cum illis quasdam affectiunculas non puras, eas obtrudendo pro spiritualibus. Videantur notata *n.* 85. Oportet ante omnia renuntiare propriæ æstimationi, et propriæ voluntati, immo et rebus spiritualibus, ut orationi, Communioni, et mortificationibus, quando hæc obedientia non permittit. Uno verbo oportet expellere a corde omne quod non est Deus, et quod non est secundum majus Dei beneplacitum.

164. V. Lætari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissimum reputari. O quam pulchre orat Anima illa quæ vilipendia libenter amplectitur! præcipue in Communitatibus in quibus hæc virtus est omnium longe necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos, et persecutores, illis inserviendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, et commendando specialiter Deo, quemadmodum Sancti facere consueverunt.

165. VI. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum illique placendi. Ait S. Theresia: *Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demandata.* Sine hoc desiderio Anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem S. ait: *Ordinarie Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt ejus amorem.* Ei desiderio oportet semper conjungere determinationem faciendi quantum pos-

sumus, ut Deo placeamus. Præfata Sancta inquit: *Diabolus potissimum timet magnanima corda.* Et alibi: *Nihil aliud a nobis exigit Dominus quam validam determinationem, ut reliquum ipse inde perficiat.* Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quæ est fornax, in qua accenditur amor divinus. Omnes Sancti, quoniam unice Deum diligebant, unice quoque dilexerunt Orationem. Est etiam necessarium, ut quis ardenter desideret Paradisum; in Cælo enim Animæ diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, et ideo vult Deus, ut ardentissime hoc regnum desideremus, quod Jesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

166. VII. Habere magnam uniformitatem divinæ voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre. S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat: *Non consistit progressus* (inquit Sancta) *in sibi procuranda majore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate.* Et alibi: *Vera unio est unire nostram cum divina voluntate.*

167. VIII. Præstare exactam obedientiam regulis, superioribus, et Patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa: *Obedientia est regina omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiæ.* Et S. Theresia: *Deus ab Anima, quæ sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit quam obedientiam.* Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter, et sine ullo judicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res justa non sit certe peccatum, ut inquiunt SS. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius Loyola, et omnes spiritualis vitæ magistri: et in rebus dubiis elige-

re id quod præsumitur quod jussisset obedientia; et quando hæc præsumtio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince te ipsum* toties inculcatum a S. Francisco Xaverio, et S. Ignatio, qui solitus erat dicere longe pluris proficere Animam mortificationis amicam unico horæ quadrante, quam alias non mortificatas per plurimas horas.

168. IX. Attendere semper divinæ præsentiæ, inquit S. Theresia: *omne malum proveniet ex eo quod non consideremus Deum præsentem.* Qui vere amat, nunquam obliviscitur objecti amati. Ad conservandam vero memoriam hujus divinæ præsentiæ juvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere. Maxime vero oportet hanc præsentiam fovere, sæpius in die repetendo actus amoris in Deum, et petendo divinum amorem. E. C. Deus meus et omnia. Diligam te ex toto corde meo. Totum me tibi do. Fac de me quod tibi placuerit. Nil aliud volo nisi te, et tuam voluntatem. Da mihi amorem tuum, et dives sum satis etc. Advertendum tamen est quod actus isti faciendi sunt sine ulla vi, et nullam desiderando consolationem sensibilem; sed cum suavitate quadam, et voluntate, puta, unice Deo placendi. Asserebat S. Theresia: *Ne vereamur relinqui irremuneratam a Deo vel unicam elevationem oculorum ad ejus recordationem.*

169. X. Dirigere intentionem placendi Deo in quacunque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo: Domine hoc facio tantum, ut placeam tibi. Recta intentio appellatur alchimia spiritualis, quæ omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

170. XI. Quotannis exercitia spiritualia pera-

gere per octo, vel decem dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, et officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devote celebrare Novenas nativitatis Domini, Spiritus Sancti, septem festivitatum Mariæ, S. Josephi, Angeli sui custodis, et Sancti tutelaris. In his Novenis poterit quotidie accedere ad communionem orando per horam, vel saltem dimidium plus consueto. Recitare aliquas alias orationes vocales, sed non multas; quoniam longe melius erit exercere determinatum quendam numerum actuum amoris, vel similium.

171. XII. Habere devotionem specialem erga S. Joseph, Angelum suum custodem, sanctum suum tutelarem, et præcipue erga S. Michaëlem universalem cunctorum fidelium patronum, Sed ante omnia erga Beatissimam Virginem Mariam, quæ ab Ecclesia nostra vita, et nostra spes appellatur; est enim moraliter impossibile, ut Anima multum in perfectione proficiat, sine particulari, et tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei genitricem.

CAPITULUM X.

De quibusdam Monitis magis notatu dignis ad Confessarios, et Parochos: cum praxi docendi orationem mentalem.

§. I.

Monita ad Confessarios.

172. Ex his quæ superius diximus adnotanda sunt hic aliqua principaliora, et quæ advertere debet Confessarius in suo officio exercendo.

173. I. Ante omnia curet ex una parte summam adhibere charitatem in excipiendis peccatoribus, iisque animandis ad confidendum in divina misericordia; ex altera vero ob humanum respectum non prætermittat eos fortiter admonere, simulque ostendere ipsis statum infelicissimum, in quo reperiuntur, ac assignando media opportuna ad se liberandum ex malis habitibus jam contractis; et præcipue sit inflexibilis in differenda eisdem absolutione, quoties oporteat.

174. II. Ut plurimum interroget rudes, utrum sciant principalia fidei mysteria. Videatur circa hoc, quod diximus *n.* 22.

175. III. Hujusmodi rudes, aut alios neglectæ conscientiæ non omittat interrogare circa ea, in quæ frequentius solent incidere, quoties ipsi ex se non confitentur.

176. IV. Cautissime se gerat in interrogationibus de materia turpi, præsertim cum puellis, puerisque, ne isti addiscant quod ignorant. Et si ipse in hujusmodi materia tentationes patia-

tur, elevet sæpius mentem ad Deum se convertendo ad aliquam sacram imaginem; et priusquam incipiat Confessiones audire, renovet semper rectitudinem intentionis.

177. V Patres, matresque familias interroget non modo in genere circa filiorum educationem, sed etiam in particulari; et maxime exquirat, utrum filios corrigant sicut oportet: Si curent, ut sciant doctrinam Christianam: ut vitent consortium personarum pravi exempli, et præsertim si sint puellæ, diligentissime cavendo, ne conversentur cum juvenibus, et multo minus cum personis suspectis, scilicet uxoratis, Religiosis, et Ecclesiasticis.

178. VI. Pœnitentes, de quibus justa potest esse suspicio, quod propter erubescentiam aliqua peccata tacuerint (ut sunt rudes, mulieres, et pueri), interroget, utrum anteactæ vitæ scrupulum aliquem habeant, eos animando ad dicendum omnia. Per has interrogationes solent liberari plures Animæ a sacrilegiis.

179. VII. Etiamsi magnus esset pœnitentium concursus, non se acceleret plusquam oportet, ita ut pro audiendis plurium Confessionibus, deficiat vel circa integritatem Confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis præbere monita necessaria.

180. VIII. Quando quis confitetur aliquod grave peccatum, et præsertim si pluries illud commiserit, non sufficit exquirere tantummodo speciem, et numerum; sed interroget, utrum antea in illud cadere consueverit; et insuper cum quanam persona peccaverit? Et quo loco? ut intelligat utrum sit habitus, aut occasio quæ sit auferenda. In hoc plures errant Confessarii, et inde tot tantarumque Animarum ruina procedit; omittendo enim Confessarius hujusmodi interro-

gationes, nequit dignoscere, utrum pœnitens sit recidivus, et consequenter nequit illi tradere media opportuna ad evellendum habitum, et occasionem. Observetur quod dictum est in Cap. IV. et V. in quibus vidimus pœnitentem recidivum omnino absolvi non posse, nisi post experientiam emendationis, vel post exhibitum extraordinarium aliquod signum suæ dispositionis. Et quando agitur de occasione proxima, fortiter se gerat sine ullo personarum respectu in differenda absolutione, quousque pœnitens occasionem removeat, quando actu existit, ut explicavimus *n.* 61. Et si occasio est necessaria, saltem quousque e proxima evadat remota adhibendo media sibi assignata.

181. Speciali modo sit inflexibilis in deneganda absolutione sponsis qui secum conversantur; sicut et genitoribus qui id permittunt: neque credat illis asserentibus nullum inesse malum; hoc enim est moraliter impossibile, ut docet experientia.

182. IX. Deneget quoque absolutionem illi qui volunt ad aliquem Ordinem sacrum ascendere, dum adhuc sunt aliquo vitioso habitu irretiti. Nisi viderit illos adeptos esse bonitatem positivam ad hunc gradum necessariam, ut dictum est *n.* 70.

X. Caveat etiam, et diligenter caveat dissuadere aliquem adolescentem a vocatione religiosa propter humanos respectus; quod excusari non potest a peccato mortali, ut docet S. Th. *Quodlib.* 3. *art.* 14. Oh quot Confessarii imperiti sine ullo scrupulo abstrahunt juvenes a vocatione ad statum magis perfectum, nulla alia ratione ducti, quam ut placeant eorum propinquis, asserendo filios teneri præstare obedientiam genitoribus! Docent communiter Do-

ctores cum S. Thoma, in electione status unumquemque frui sua libertate: et magis quam genitoribus præstandam esse obedientiam Deo vocanti. E contrario advertat Confessarius, quod ipse nequit absolvere quosdam alios, qui sine vocatione vellent ad Ordines sacros ascendere. Vide Librum 6. *n.* 803.

183. XI. In excipiendis Sacerdotum Confessionibus reverenter se gerat; sed gerat se etiam fortiter in faciendis debitis correctionibus, et in deneganda absolutione, quoties oportet. Et Sacerdotem parum meticulosæ conscientiæ non omittat interrogare præcipue circa hæc tria. 1. Utrum distulerit celebrationem Missarum per mensem, si fuerint Missæ Mortuorum; et per duos, si fuerint vivorum: hoc enim non excusatur a peccato gravi (vide *lib.* 6. *num.* 317. *Qu. II.*). 2. Utrum celebraverit festinanter; impendens enim in Missæ celebratione minus quam horæ quadrantem, etiamsi esset Missa votiva BB. Virginis, aut Mortuorum, nec etiam excusabitur a culpa gravi (*lib.* 6. *n.* 400.), quoniam in tali temporis spatio non poterit non deesse notabiliter cærimoniis, aut saltem convenienti earumdem gravitati tam necessariæ ad venerationem tanti hujus Sacrificii. 3. Utrum satisfecerit obligationi divini officii, præcipue si est Beneficiatus. Non omittat etiam insinuare, ut se habilitet juxta suam capacitatem ad lucrandas Deo Animas; ut celebret Missam cum debita præparatione, et gratiarum actione; ut incumbat orationi mentali, sine qua difficillime bonus erit Sacerdos.

184. XII. In materia restitutionibus ordinarie non absolvat pœnitentem, nisi prius, cum possit, restituerit rem ablatam. Nihilominus advertat moltos excusari a restitutione ratione præ-

scriptionis cum bona fide. Et hic notandum 1. Bona mobilia, quando adest titulus præsumptus, præscribi spatio trium annorum; immobilia vero spatio decem annorum *inter præsentes*, et viginti *inter absentes*. 2. Probabile esse præfatam præscriptionem valere in foro conscientiæ, etiam in illis locis, in quibus in foro externo non viget lex præscriptionis, ut in Regno nostro, ob difficultatem probandi bonam fidem. Excipiendæ vero sunt præscriptiones illæ, quæ expresse prohibentur ab aliqua lege Municipali, ut ex. c. in Regno nostro reprobatur præscriptio hæredis, quoties testator mala fide posseserit. Videantur aliæ doctrinæ circa præscriptionem relatæ in Morali (*lib.* 3. *ex num.* 504. *usque ad* 517.).

185. XIII. Si pœnitens aliquam acceperit injuriam, propter quam inimicus sit inquisitus in Curia, non absolvat illum, (ordinarie loquendo) nisi prius in scriptis fecerit remissionem. Videatur præsens Praxis *n.* 38.

186. XIV. Quando prævidet monitionem non esse profuturam, et pœnitens est in bona fide, illam omittat: præsertim quando agitur de nullitate Matrimonii jam contracti. Excipienda tamen est obligatio denunciandi Confessarios solicitantes in materia turpi, quoniam Confessariis directe est injunctum præceptum imponendi omnibus solicitatis hanc obligationem. Vide Praxim *n.* 8. 9. *et* 12.

187. XV. Curet, ut omnes in Confessione eliciant actum contritionis, nisi certe præsumat pœnitentem jam rite fecisse: nec omittat præbere illis motiva attritionis, et contritionis eo modo, quo adnotavimus *n.* 10. Et speciali modo advertat, si pœnitens venerit indispositus, teneri Confessarium quantum fieri potest, eum

disponere ad absolutionem, Vide *num.* 7. *in fine.*

188. XVI. Non absolvat pœnitentes illos, qui afferunt tantummodo peccata venialia, sed habituata; nisi cognoscat illos vere pœnitere, et proponere emendationem saltem de aliquo ex illis; aut si non ponant pro materia aliquod peccatum gravius vitæ prioris, ut notavimus *n.* 65. Oh quot Confessiones invalidæ (quæ in se vera sunt sacrilegia) fiunt in hoc ob Confessariorum negligentiam!

189. XVII. Illas tantummodo pœnitentias injungat, quas judicaverint facile a pœnitentibus adimplendas, ut diximus *n.* 11. Sed curet, ut illæ sint medicinales, ut essent frequentia Sacramentorum: visitationes: commendare se Deo mane, et vespere: lectio alicujus libri spiritualis: adscribere se alicui Congregationi, et similia.

190. XVIII. Personis devotis, quæ frequentant Sacramenta, non omittat insinuare usum orationis mentalis, exigendo inde rationem de ea, vel saltem interrogando, utrum illam fecerint. Adhibendo hanc minimam diligentiam quisque Confessarius poterit multas Animas sanctificare. Nec sit reniteus in concedenda Communione frequenti, quoties cernit aut prudenter existimat, pœnitentem fructum ex ea percepturum.

191. XIX. Scrupulosis personis insinuet ante omnia obedientiam, illisque semper inculcet, quod obediendo erunt securæ; inobediendo vero exponent se periculo damnationis Viriliter semper, et rigide exigat obedientiam, intrepide semper loquendo; quia si cum timore loquetur, illas pejus quam antea confundet. Det illis regulas generales ad dubia sua deponenda, quemadmodum cuique magis expediet: e. c. Illi, qui semper dubitat de transactis confessionibus,

jubeat amplius non confiteri, nisi peccata illa, quæ certo sciat fuisse peccata mortalia, et certo etiam sciat nunquam se confessum esse. Et circa hoc Confessarius constantissime se gerat, nunquam audiendo, si non obediat; si enim Confessarius aliquando cedat, pœnitens nunquam curabitur. Quidam Confessarii maximam hujusmodi Animabus causantur perniciem, eas audiendo. Alicui vero timenti singulas suas actiones esse peccata, imponat vincere scrupulum, et libere operari quoties non advertat certum esse peccatum.

192. XX. In seligendis opinionibus, quando agitur de subtrahendo pœnitente a periculo peccati formalis, Confessarius non raro uti debet opinionibus benignioribus, quantum christiana prudentia permittit. Quando vero aliqua opinio reddit magis proximum periculum peccati formalis, tunc omnino suadere debet opinionem rigidiorem. Vide dicta *n.* 64. Dico suadere, quia quando opinio est probabilis, et pœnitens vult eam sequi, non potest illi absolutionem denegare ob jus certum, quod ille acquisivit per confessionem jam factam suorum peccatorum, ut *n.* 95.

193. XXI. In audiendis Confessionibus mulierum, illisque pertractandis, adhibeat eam majorem austeritatem, quæ conveniens est secundum prudentiam; et ideo recuset munuscula, effugiat familiaritatem, et omnia alia, quæ possunt esse causa adhæsionis. Ob aliquam circa hoc negligentiam, oh quot Confessarii et suas, et pœnitentium Animas perdiderunt!

194. XXII. Sit humilis, nec de sua doctrina præsumat; unde frequenter oret Deum ob merita Jesu Christi, et præsertim in casibus dubiis, ut velit sibi lucem ad bene solvenda dubia impertiri: *Invocavi, et venit in me spi-*

ritus sapientiæ, *Sap.* 7. 6. Et ideo Confessarius, qui orationem non facit, difficiliter recta incedet via; et in dubiis magis implicatis, aut majoris consequentiæ non omittat consulere alios viros doctos, et majoris experientiæ. Præsertim ita se gerat in directione alicujus Animæ elevatæ, et quæ a Deo aliquibus gratiis supernaturalibus sit donata, quando ipse in hac materia est parum expertus. Aliquos qui scientiam mysticam vix primoribus labiis degustarunt, pudet ab aliis consilium petere: non ita se gerunt vere humiles; hi non modo consilium petunt, immo et a pluribus petunt quoties oportet: sed etiam nullam omnino sentiunt difficultatem præcipiendi hujusmodi Animabus, ut se conferant, ob directionem, ad magis peritos: vel saltem, ut illorum subeant judicium. Has vero Animas Confessarius numquam audiat in diebus festivis, sed tunc det locum magis indigentibus, et præcipue pauperibus campestribus.

§. II.

Monita ad Parochos.

195. Expedit hic breviter adnotare quasdam particulares Parochorum obligationes circa curam suarum ovium.

196. I. Parochus tenetur eas instruere circa fidei mysteria, et res alias ad salutem necessarias, ut sunt. 1. Quatuor mysteria principalia; scilicet quod existat unus Deus, qui est omnipotens, sapientissimus, creator, et Dominus omnium, misericors, et amabilior quocumque

bono; et præcipue quod tam bonorum, quam malorum sit justus remunerator; insuper mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, et mortis Jesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, ut Baptisma, Eucharistia, Pœnitentia, et alia saltem quando sunt suscipienda. 3. Symboli articuli, inter quos præsertim virginitatis Mariæ Sanctissimæ; sessio Jesu Christi ad dexteram Patris, scilicet quod ipse in cælis sedet cum Patre in gloria coæquali: resurrectio corporum in judicio finali faciendo a Christo Domino: unitas Romanæ Ecclesiæ, in qua sola reperitur Animæ salus; et denique æternitas Paradisi, et Inferni. Quæ omnia unusquisque fidelis tenetur scire sub gravi. 4. Præcepta Decalogi, et Ecclesiæ, 5. *Pater noster*, et *Ave Maria*, et actus fidei, spei, amoris, et contritionis. Sicuti graviter peccat ille, qui scire hæc negligat (quæ scienda sunt non modo in quantum ad nomina, sed etiam in quantum ad sensum), ita etiam graviter peccat Parochus, ut ajunt communiter Doctores, si per se, vel per aliam idoneam personam (quoties ipse fuerit legitime impeditus, ut habetur in Concilio Tridentino *Sess.* 5. *cap.* 2.) omiserit docere saltem in substantia suos parœcianos, pueros, et adultos, qui ea ignorant. Unde quoties ipse videt patres, aut dominos non curantes mittere filios, aut servos ad doctrinam, tenetur apprehendere media opportuna apud Episcopum, qui, ut habetur in Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 4. potest cogere genitores etiam per Ecclesiasticas censuras. Parochi probi retinent notam puerorum ut sciant eos qui desunt. Immo dicit *Croix lib.* 2. *quæst.* 149. *et lib* 3. *p.* 1. *n.* 767. si extent personæ aliquæ rudes, quæ nequeant ad Ecclesiam venire, ex eo quia debent custodire domos, aut

greges; si illæ existant in gravi necessitate spirituali, debet Parochus privatim accedere ad eas instruendas *cum quantocumque suo incommodo*, ut loquitur idem auctor. Saltem, quando hoc difficillimum esset ob magnum numerum harum rudium personarum, procuret eas examinare, et instruere tempore præcepti Paschalis, vel quando veniunt ad petendas fides pro susceptione Sacramenti Confirmationis, vel Matrimonii. Operæ quoque pretium est, ut Parochus exploret magistros, et magistras, ut bene instruant pueros, et puellas circa doctrinam, et media bene vivendi in sancto Dei timore.

197. II. Parochus tenetur per se ministrare Sacramenta quoties parœciani juste exposcunt. Et si forte œconomum constituerit, ejus vitam, et scientiam diligenter examinet; alias omnium inconvenientium, quæ postea evenient, ipse Deo redditurus est rationem. Insuper tenetur assistere morientibus; nisi adsit alius idoneus. Peccatoribus autem habituatis morientibus specialem tenetur præstare assistentiam, quoniam isti existent in gravi necessitate suæ assistentiæ. Et circa Extremam Unctionem, attendat id, quod Habetur in Catechismo Romano. (*part.* 2. *cap.* 6. *n.* 9.). *Gravissime peccant qui illud tempus ægrotos ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita, et sensibus carere incipiant.* Tenetur quoque se informare, utrum sui subditi præcepto Paschali satisfecerint; *Barb. de Off. Par. c.* 2. *n.* 7. *et Segneri Par. Instr. c.* 23. Et diligentissime caveat nunquam committere cuicumque Clerico schedulas Communionis.

198. III. Cavere quoque debet Parochus, ne concedatur habitus clericalis illis pueris, aut adolescentibus, qui moribus suis non præsefe-

runt indolem ecclesiasticam. Diligenter postea erudire debet circa statum Ecclesiasticum Clericos suos jam habitum deferentes; aliter illi sine instructione relicti, et moribus depravatis, aut per fas, aut per nefas ad Ordines inde non sine magno suæ urbis scandalo, et detrimento ascendent. Prætermitto hic loqui de maxima ratione, quam Deo reddituri sunt Parochi illi, qui exhibent fides Ordinandis, quos ipsi bene noscunt indignos, aut exhibent illas priusquam se reddant securos, prævia diligenti informatione, de ordinandorum bonitate.

199. IV. Tenetur Parochus se informare de iis, qui vivunt in peccato lethali, ut eos corrigat; de inimicitiis, et scandalis præsertim inter sponsos, ut quantum possibile est, illis afferat remedium. Inquit S. Thomas (2. 2. *quæst.* 15. *art.* 1.): *Qui habet specialem curam alterius, debet eum quærere ad hoc, ut corrigat de peccato.* Et quando scandalum est alicujus personæ potentis (et præcipuæ Sacerdotis) cui ipse enim non valet remedium afferre, debet saltem de hoc Episcopum certiorare pro remedio opportuno: et ob quemcumque respectum, aut timorem hoc non potest omittere. Bonus pastor tenetur dare vitam pro ovibus suis.

200. V. Curet, ne sponsalia celebrentur longe prius quam celebretur matrimonium: perfectis enim sponsalibus, toto tempore, quod nuptias præcedet, tam sponsi, quam eorum genitores in mortali peccato existent.

201. VI. Quando in aliqua urbe cernuntur notabilia inconvenientia, quibus Parochus nequit afferre remedium, ipse tenetur omnem curam adhibere ad Missionem obtinendam. Et semper expediens erit, ut quandoque advocet etiam aliquos Presbyteros exteros pro bono Ani-

marum verecundiorum : et multo magis si ad suum oppidum non solet Concionator quadragesimalis accedere ad audiendas confessiones : Parochus vero ille, qui rejicit Missiones, magnam ingerit suspicionem suæ probitatis.

202. VII. Non modo Parochus debet auferre malum, sed etiam bonum promovere, quemadmodum faciunt omnes boni pastores, qui nunquam omittunt exhortari ad frequentiam Sacramentorum, et Congregationum, ad visitandum Sanctissimum Sacramentum, et divinam Matrem: ad Novenas, ad associationem Venerabilis, quando datur tanquam Viaticum, et ante omnia ad orationem mentalem, de qua in §. III. ubi exponemus praxim, et methodum facilem, quæ parochis, et Confessariis poterit inservire ad ceteros in ea erudiendos.

203. VIII. Parochus teuetur ad concionandum diebus Dominicis, et festis principalioribus; ex quo Doctores (vide *lib.* 2. *n.* 269. *et* 360.) affirmant graviter peccare Parochum qui per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos concionare omittit, exceptis duobus casibus, in quibus permittit Trid. Parochis, ex justa causa ab Episcopo approbanda, posse licite abesse. Et hic notandum est : Tridentinum (*Sess.* 5. *C.* 2. *de Ref.*) præcepisse, ut Parochi gregem suum verbo divino pascant, sermones faciles pro ejus captu habentes, quo possit populus capere, quæ illi concionantur : cum enim expertum habetur, fidem, sicut ipsa diffunditur prædicatione, ita per eamdem conservari (*fides ex auditu*), parum utilitati erunt populis eæ conciones, quæ similes non erunt illi concionandi rationi, quam tenuerunt Christus, et Apostoli, qui prædicabant non in *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*,

sed in ostensione spiritus, et veritatis, ut Apostolus ait. Ideoque jure merito V. P. Magister Avila non Jesu Christi ministros, sed proditores appellabat eos, qui inanis gloriæ cupiditate concciones habent. Et P. Gaspar Sanctius ajebat: his nullos esse crudeliores in Ecclesiam Dei insectatores, dum sic concionando causa sunt cur pereant multæ Animæ, quæ, si illis juxta Apostolorum normam prædicaretur, utique salvæ fierent. Verba inania, periodos sonoros, descriptiones inutiles, dicebat S. Franciscus Salesius, esse pestem concionis, cujus unus finis esse debet, auditorum voluntates erga bonum movere, non autem intellectum inutiliter pascere. Experientia jam docemur, per hujusmodi concciones tot figuris, et tropis, et dicendi fucato artificio adornatas, Animas ad bonam frugem non redire, quia auxilium suum Deus vanitati non confert. Et hoc omnium concionatorum gratia, qui ex vanitate concionantur, dictum sit, sed potissimum eorum, qui curam Animarum habent, quibus Tridentinum loco citato sic præscribit: *Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque curam Animarum obtinent per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis*. Notentur illa verba, *pro earum capacitate*; unde certe Concilio contraveniunt illi Pastores qui sublimi stylo utuntur populi audientis capacitatem excedente.

204. Hic quoque juvat animadvertere quædam magna consideratione digna; quæ Parochus, concciones habens, populo sibi commisso inculcare debet. Et 1. quod ad emendationem non sufficit proponere peccata vitare, sed etiam debent occasiones peccandi removeri. Et loquendo de

sponsis, qui domos sponsarum frequentant, dicat tam ipsos, quam illarum parentes, qui hoc permittunt, non posse absolvi, nisi præfatas occasiones auferant.

205. Insistat 2. in homines qui cauponas frequentant, eis patefaciendo plurima peccata, quæ ibi præter ebrietates committi solent, blasphemias nempe, contentiones, scandala, obscœnitates, discordias cum domesticis, defraudationes victus a familia etc.

206. Increpet 3. atque invehatur sæpe contra vitium (quod est generale, præcipue in campis, et in officinis) inhoneste loquendi: et tanto magis si hæc verba inhonesta proferantur coram pueris, puellis, aut personis diversi sexus. Ob hos turpes sermones, quot pueri perversi fiunt? Et de hoc admoneat parentes, dominos, et opifices Officinarum, ut vigilantes sint in corripiendis, et castigandis filiis, aut famulis, qui hos sermones effutiunt, præcipue messis et vindemiæ temporibus.

207. Insistat 4. in ostendendo sacrilegii enormitatem, quod committunt illi, qui confitentur, et communicant, aliquod peccatum propter erubescentiam reticentes Et ut horrorem concipiant adversus tantum scelus, curet sæpe narrare aliquod formidabile exemplum ex illis, qui, erubescentes de aliquo peccato, sacrilege confessi sunt; et ad hoc potest uti præcipue illo libello *P. Vega*, cui titulus: *Casi della Confessione* etc.

208. Sæpe insinuet 5. necessitatem doloris, et propositi ad Confessionem requisitorum, etiam pro venialibus, exhortans, ut nemo ad absolutionem recipiendam accedat, nisi saltem de aliquo peccato veniali eorum, de quibus se accusat, verum habeat dolorem, aut nisi exponat pro materia certa aliquod peccatum vitæ

præteritæ, jam alias confessum, cujus vere se pœnitet, ut valida sit confessio. Et quoniam rudes parum intelligunt, quomodo debeat esse dolor, sæpe ostendat quod pœnitentes, ut valide, confiteantur (sive contritionis, sive attritionis sit dolor) debent eam concipere displicentiam de suo peccato, ut illud odio habeant, et abhorreant plus quam cetera mala.

209. Hortetur 6. ut in iracundiæ motibus, vice blasphemiarum, aut imprecationis assueseant dicere: *Maledictum sit peccatum meum, maledictus sit dæmon*; aut dicere: *Maria SS. adjuva me. Domine, concede mihi patientiam.*

210. Inducat 7. in horrorem superstitiones, aut vanas observantias, quæ in usu sunt apud plures ad finem morbi medendi, aut latrones dignoscendi.

211. Instet 8. In parentes, ut in filios animadvertant, præcipue cum sunt pueri, tunc quando blasphemant, aut furantur, etc. Item, ut invigilent ad observandum, et inquirendum, cum quibus illi versantur; et interdicat eos versari cum pravis sociis, et cum personis diversi sexus. Item, ut filios non admittant in lectum suum cubandos; aut enim sunt nimis parvuli, et timetur ne illi suffocentur; aut grandiores, ut si sextum annum jam excesserint, et timetur ne illis aliquod præbeatur scandalum. Et tanto minus permittant simul dormire pueros, et puellas.

212. Monet 9. jugiter suos parochianos, ut internas tentationes, (præcipue contra castitatem) superent, invocando nomina sanctissima Jesu, et Mariæ; hoc enim est maximum contra tentationes remedium.

213. Moneat 10. jugiter quoque, ut si quis in peccatum mortale labatur, statim se conterat

cum proposito quantocius confitendi, quo amissam gratiam recuperet; et hanc dæmonis fraudem ab eis eripiat, Deo idem esse unum, quam duo peccata remittere; nam potest contingere, quod Deus post unum peccatum ad pœnitentiam expectet, post secundum vero eos derelinquat.

214. Doceat II. actus, in quibus quisque mane, die et vespere se exercere debet; et ut hos in prompto habeat, breviter illos hic describimus. = Actus faciendi de mane. Signet se signo crucis, et postea dicat I. *Te adoro, Domine Deus, et ago gratias de omnibus beneficiis in me collatis, et præcipue, quia hac nocte me custodire dignatus es.* II. *Amo te ex toto corde, et quidquid mihi hodie patiendum contigerit, et quadquid faciam, tibi offero in unione operationum, et cruciatuum Jesu, et Mariæ; cum intentione lucrandi omnes Indulgentias, quotquot possum, in Animarum Purgatorii suffragium.* III. *Propono evitare hodie quodlibet peccatum, ac omnem occasionem; et obsecro te propter amorem Jesu Christi, ut concedas mihi perseverantiam. Propono, præcipue in rebus adversis, obsequi voluntati tuæ, dicendo semper: Domine, fiat voluntas tua. Jesu mi, ne removeas hodie manus tuas a me. Maria Sanctissima, custodi me: Angele Custos, et Sancti Advocati, præsto mihi estote.* Deinde recitet *Pater*, *Ave*, et *Credo*, et ter *Ave* puritati Mariæ sanctissimæ. = Cum laborare incipit dicat: *Domine Jesu, in unionem perfectissimorum operum tuorum commendo tibi hoc opus meum, secundum tuam voluntatem regendum.* = Ante comestionem: *Benedic, Domine, cibum istum, et me quoque, ut in comedendo nullum committam defectum, et hoc totum sit ad gloriam tuam.* = Post comestionem: *Ago tibi gratias, quod bona tri-*

buisti mihi inimico tuo. = Ad sonitum horologii. = *Jesu mi, amo te; ne permittas me offendere te.* = Si urget aliqua tentatio, replicet *Jesus, et Maria.* = Si lapsus sit in aliquod peccatum. = *Deus meus, me pœnitet offendisse te, nolo amplius hoc facere.* = Et si peccatum fuerit grave statim confiteatur. Vesperi, dum cubitum se confert, agat gratias de bonis sibi collatis. Examinet conscientiam, et postea eliciat actum doloris. Deinde eliciat actus christianos, quorum exemplum habebis infra *n.* 286. Hortetur omnes matres, ut quotidie hos actus practicari faciant a filiis suis. Præterea ostendat, parentes teneri operam dare, ut filii Sacramenta frequentent; nam si ad ea frequenter non accedunt, facile Dei gratiam perdunt; et parentes huic damno prospicere debent. Insuper eosdem moneat, quod peccant, si, causa justa non accedente impediant filios quominus Matrimonio conjungantur, aut eos invitos ad Matrimonium cogant. (Vide *lib.* 6. *n.* 849. *v. Conveniunt ad* VI.). Sicut contra peccant filii, qui parentibus juste invitis, Matrimonia ineunt. (*l.* 6. *dict. n.* 849.).

215. Item 12. cùm pro comperto habeatur, ut supra ostensum est, quod Parochus nedum tenetur ad mala impedienda, sed etiam ad bonum promovendum, populum hortetur ad quotidianam Sanctissimi Sacramenti, ac B. Mariæ Virginis visitationem. Hæcque visitatio potest fieri vesperè ab ipso in communi, una simul cum populo sibi commisso, designando horam populo magis accomodam, prout usus in multis regionibus cum magno fructu introductus est. Et hortetur, ut quibus commoditas Ecclesiam adeundi non est, ex domo propria eam faciant. Præ ceteris insinuet hominibus, ut frequentent Congregationem. Et omnibus, ut sæpe communicent,

præcedente debita animi præparatione, et gratiarum actionibus eam consequentibus, per exercitium actuum fidei, charitatis, oblationis, et petitionis, eos docendo practicum modum, quo hi actus fieri debeant.

216. Invigilet 13. sæpe reddere suas oves erga devotionem Mariæ Virginis studiosas, declarando quanta sit potentia, et misericordia hujus divinæ Matris in suis devotis adjuvandis. Ideoque insinuet, ut in communi cum familia quotidie recitent quinque decades Rosarii, ut Sabbato jejunent, et celebrent Novenas in festivitatibus nostræ Dominæ, quas ipse ab altari annuntiet, quotiescumque illæ incident. Valde laudabile erit, si in Sabbato ille conciunculam faceret de B. Virgine, semper narrando aliquod exemplum, et semel in anno celebrando Novenam aliquam solemnem nostræ Dominæ cum sermone, et expositione SS. Sacramenti; et ad hoc uti posset inter ceteros illo libro, quem ego ad hunc finem typis dedi, cui titulus, *Glorie di Maria*, ubi congestas reperiet materias, et exempla. Felix ille Parochus, qui, suos parochianos fervidos tenet in Beatissimæ Virginis devotionem; nam illi cum ejusdem Virginis auxilio vitam morigeram ducent, et ipse in vitæ exitu ipsam fidelem, et potentem Advocatam habebit. Denique insinuet ante omnia, ut assuescant sæpius se Deo commendare, ab eo sanctam perseverantiam per merita Jesu Christi, et Mariæ postulantes. Sæpius quoque prædicet gratias, et præcipue perseverantiæ donum non concedi nisi petentibus; *Petite, et accipietis*. Notamque faciet illam promissionem Jesu Christi, quidquid a Patre postulabimus in nomine ejus, id omne Patrem daturum nobis: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit*

vobis (Joann. 16. 23.). Insinuet etiam orationis mentalis usum, et curet in Ecclesia cum populo quotidie, aut saltem diebus festivis, ut illa fiat; docendo etiam modum, quem domi in ea facienda tenere possunt; ideoque hic subjungitur sequens instructio, ubi exponitur necessitas, et modus practicus orationis mentalis.

§. III.

Brevis praxis orationis mentalis.

217. NOn est dubitandum, quin ex considerationis veritatum æternarum defectu, mundus peccatis scateat, et Infernus Animabus repleatur; *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. Jerem.* 12. 11. Et contra ait Spiritus Sanctus, eum, qui sæpe mortem, judicium, et æternitatem memoratur, a peccatis liberari: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Eccli.* 7. 40. Quidam auctor dicit; quod si a damnatis sciscitaretur: *Cur vos in inferno estis?* Major eorum pars responderet: *Nos hic sumus, quia infernum non cogitavimus.* Ait S. Vincentius de Paula, quod si peccator missionem, aut exercitia spiritualia audiret, et non converteretur, miraculo id tribuendum esset. Jam in oratione mentali Deus est, qui loquitur: *Ducam eum in solitudine, et loquar ad cor ejus. Oseæ* 2. 14. Deus utique omni concionatore melius loquitur. Omnes Sancti per orationem mentalem Sancti facti sunt. Et experientia scimus, quod qui orationi mentali dant operam, difficulter in peccata mortalia decidunt, et si casu aliquando in ea labuntur, orationi insistendo, statim resipiscunt, et ad Deum redeunt. Oratio mentalis, et peccatum,

una simul consistere nequeunt. Ajebat quidam servus Dei, quod multi recitant Rosarium, Officium Virginis Mariæ, jejunant, et in peccatis vivere pergunt; sed qui orationem non intermittit, impossibile est, ut in Dei offensa vitam prosequatur ducere; aut enim orationem omittet, aut a peccatis cessabit. Sed si orationem non omittet, non solum peccata relinquet, sed a creaturis amorem suum removebit, et ad Deum convertet. *In meditatione mea exardescet ignis. Ps.* 38. 4. Oratio est fornax, ubi Animæ accenduntur in divinum amorem.

218. Loquendo de loco, ubi oratio facienda sit, magis proprior est Ecclesia; sed illis qui illuc ire aut ibi morari nequeunt, quisque locus erit orationi aptus, sive sint domus, sive villæ. Etiam iter, et labor orationi non disconveniunt, cum etiam tunc possit mens in Deum elevari. Quot rusticulæ, cum eis nihil temporis nec loci supersit laborando, et iter agendo, suam faciunt orationem? Quærenti enim Deum in omni loco, et in omni tempore invenire ille se facit.

219. Quoad tempus, aptius erit tempus matutinum. Bonum non habebunt exitum, quæ in die fiunt, cum mane orationem suam quisque facere neglexit. Orationi proprie bis in die vacari deberet, mane, et vesperi; sed cum vespere commoditas non est, fiat saltem mane. Ajebat V. P. D. Carolus Carafa piorum Operariorum fundator, unum actum amoris cum animi fervore mane in oratione factum, sufficere ad retinendam Animam in suo fervore per totum diem. Quoad autem tempus, quod in oratione insumendum erit, Parochus, aut Confessarius pro sua prudentia se dirigat. Certum est, ut ad perfectionis gradum sublimem perveniatur; mediæ horæ spatium non esse sufficientem. Cete-

rum satis erit hoc tempus pro incipientibus; quos vero sedulo moneat, ne orationem omittant cum tempus desolationis advenerit. Observetur quod dictum est *n.* 125. Sed progrediamur ad modum practicum orationis, quem docere decet. Oratio tribus constat partibus, præparatione, meditatione, et conclusione. In præparatione tres continentur actus quibus se exercere debet, *fidei* nempe per præsentiam Dei, *humilitatis*, et *supplicationis* divini luminis. Dicendo 1. *Deus meus, credo te mihi esse præsentem, et in mei nihili abysso demersus majestatem tuam adoro.* 2. *Domine, propter peccata mea nunc ego in Inferno cruciandus essem; me pœnitet offendisse te, per pietatem tuam mihi parce.* 3. *Pater æterne propter Jesum, et Mariam præbe mihi lucem tuam in hac oratione, ut ab ea fructum percipiam.* Deinde dicatur semel salutatio Angelica Mariæ SS. ut ipsa hanc impetret lucem, et semel *Gloria patri* S. Josepho, Angelo custodi, et S. Patrono. Hi actus fiant cum animi attentione, sed breviter, et statim progrediatur ad meditationem.

220. Circa meditationem, juvat illum qui legere scit, uti aliquo libro, sistendo ubi sentiat animum suum moveri. Ait S. Franciscus Salesius, in hac re debere nos apes imitari; quæ tamdiu morantur super uno flore, usquedum totum mel extraxerint, et postea ad alium meant. Qui autem legere nescit, meditetur Novissima, Dei beneficia, et ante omnia vitam, et passionem Jesu Christi: hæc (ait S. Franciscus Salesius) nobis debet esse nostra meditatio ordinaria. Oh quam excellens liber est passio Christi Animabus devotis! ibi melius quam in quolibet libro percipitur peccati malitia, et Dei amor erga hominem. Quædam imago Redem-

ptoris semel quondam allocuta est Vener. Fr. Bernardum a Corlione, qui ab illa scire petiit, an vellet, ut ipse legere disceret? et Crucifixus respondit; *Quid tua legere refert? Quid tibi libri? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit.*

221. Oportet autem advertere orationis mentalis profectum non solum; nec tam consistere in meditatione, quam in affectibus faciendis, in supplicando, et in deliberandis agendis: et hi sunt tres meditationis fructus ut supra innui *n.* 123. Igitur postquam aliquam æternam veritatem quis meditaverit, et postquam Deus cor ejus allocutus fuerit, oportet, ut ipse suo corde Deum alloquatur, eliciendo affectus, ut sunt actus fidei, aut actionis gratiarum, adorationis, laudis, humilitatis, et præ ceteris amoris, et contritionis, qui etiam est actus amoris. Amor est illa catena aurea, quæ astringit Animam cum Deo. Quilibet actus amoris est thesaurus, per quem certi efficimur de Dei amicitia: *Infinitus est thesaurus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Sap.* 7. 14. *Ego diligentes me diligo. Prov.* 8. 17. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo. Joann.* 14. 21. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. *Pet.* 4. 8. Observetur id quod in Opere morali dictum est circa hoc *l.* 6. *n.* 442. Ven. sorori Mariæ Crucifixæ visa fuit ingens quædam flamma, in quam, cum projectæ fuissent quædam paleæ, statim visæ fuerunt consumi: et hac visione ei ostensum fuit, quod per unum actum amoris auferuntur, atque consumuntur in Anima omnes culpæ commissæ. Accedit id, quod docet S. Thomas, nempe, quemlibet actum amoris mereri unum gradum gloriæ æternæ. *Quilibet actus charitatis meretur vitam æternam.* Actus autem charitatis

sunt dicere : *Deus meus, super omnia te æstimo. Te diligo ex toto corde. Cupio te ab omnibus diligi.* Aut se totum divinæ voluntati committere, dicendo ; *Domine, fac, ut cognoscam quod tibi de me placet fieri, nam promtus sum totum exequi.* Aut se ita offerat Deo, quin sibi aliquid reservet, dicendo : *Ecce me, de me, et de iis, quæ ad me pertinent, dispone pro tua voluntate.* Et hi actus oblationis sunt actus amoris, qui valde sunt Deo cordi ; propterea S. Theresia quinquagies quolibet die se Deo offerebat. Sed inter alios præstantius erit dicere : *Gaudeo, Deus meus, quod es, qui es ; quod es summum bonum nullius indigens etc.* Cum autem Anima cognosceret se supernaturali sive infusa recollectione elevatam (ut explicatum est *n.* 133.) tunc non debet ipsa niti ad alios actus faciendos, præter illos, ad quos sentit se a Deo suaviter trahi ; cum debeat tunc animo amabiliter intento attendere ad id quod Deus in se operatur. Alioquin obstaculo posset esse divinæ operationi. Insuper notetur, ut advertit S. Franciscus Salesius, quod si unquam Spiritus Sancti afflatu mens nostra ad aliquem bonum affectum ante considerationem concitata fuerit; tunc, posthabita consideratione, locus dandus est affectibus, nam consideratio ad id deservit, ut affectus concitentur : quare, obtento fine, medium derelinquendum est.

222. Item summopere juvat petitiones in oratione repetere, cum humilitate, et fiducia exposcendo a Deo suum ipsius lumen, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum, et in primis donum sui sancti amoris. Hortabatur S. Franciscus Salesius inter ceteras gratias postulandam esse cum animi vehementiori fervore divini amoris gratiam, quia

(ajebat) obtento amore, omnes reliquæ gratiæ obtinentur. Igitur sufficiens erit Animæ, si propter spiritus desolationem in qua reperitur, aliud facere non posset; sufficiens (dico) ei erit, ut repetat hanc Davidis petitionem: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, adjuva me, festina mihi auxiliari.* Dicebat Ven. P. Paulus Segneri experientia didicisse, nullum aliud exercitium esse Animabus utilius in meditatione, quam iterum, atque iterum petere, in nomine sive per merita Jesu Christi, qui nobis illam magnam jucundamque promissionem fecit, ut superius dictum est: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

223. Item expedit, ut in oratione, saltem in ipsius fine, aliquid deliberare, non solum in genere, ut evitare omnem culpam deliberatam etiam levem, et se totum Deo committere; sed etiam in particulari, ut est accuratius evitare aliquem defectum, in quem sæpius offendit, aut vigilantius attendere ad aliquam virtutem, circa quam frequentiores habet occasiones se exercendi, ut tolerandi alicujus molestias, tali superiori, aut tali regulæ diligentius obediendi, et majus studium adhibendi, ut in tali et tali re desideria sua cohibeat; et ab oratione non discedendum, nisi aliquid in particulari deliberatum sit.

224. Demum conclusio orationis tribus actibus terminatur. 1. Gratiæ Deo agantur de omnibus illustrationibus, quæ in meditatione acceptæ sunt. 2. Proponatur omnes deliberationes factas fideliter observare. 3. Oretur æternus Pater, ut propter Jesum, et Mariam auxilium suum præbeat, ad fideliter exequendum quod ei sponsum est. Et in fine orans commendet

Deo Animas Purgatorii, Prælatos Ecclesiæ, peccatores, et omnes sibi conjunctos, amicos, benefactores, recitando semel *Pater*, et *Ave*, quæ sunt omnium precum, quas a Christo, et Ecclesia docti sumus, utilissimæ.

225. Antequam tamen ab oratione exeatur, oportet (ut ait S. Franciscus Salesius) colligere fasciculos florum, ut totum diem illi olfiant, nimirum seligere præ ceteris unam, vel alteram rem, in qua Anima magis moveri sensit, ut reliquum diei illam recogitet. 2. Oportet operam dare, ut statim executioni mandet deliberationes factas, tam in parvi, quam magni momenti occasionibus, quæ nobis occurrent, ex gr. superet cum mansuetudine molestias, quæ sibi inferuntur ab aliquo in se ira succenso; aut ut se mortificet in visu, auditu, in loquendo. Et præcipue refert, ut cum silentio quantum possibile est conservet illos animi pios motus affectuum, quos in oratione Deus ei communicavit, alioquin si statim ad actiones externas, et ad inutiles sermones divertet, illico fervor ille devotionis in oratione conceptus, tepescet, et irritus reddetur.

226. Præ ceteris denique director suum pœnitentem sedulo admoneat, ne orationem intermittat, neque ab illa aliquid temporis detrahat, præcipue in ariditatis tempore, et nunquam turbetur, licet nimis, et diu cognosceret Animam in ariditate positam, ac omni devotionis fervore carentem. Quot aulici, ajebat S. Franciscus Salesius, eunt suum Principem honoratum, et contenti sunt, si dumtaxat ab eo aspecti sunt? Ad orationem nos pergimus, ut obsequium præstemus Deo, et obsecundemus; si ipsi lubet nos alloqui, et suis consolationibus nobis favere, de tanta gratia ei rependamus; sin minus, suf-

ficiens erit nobis suæ divinæ præsentiæ adesse æquo animo, eum adorando, et nostras necessitates ei exponendo; et si tunc Dominus nobiscum non loquetur, utique acceptabit nostram attentionem, et nostram fidelitatem, et pro nostra in eum fiducia nostras petitiones exaudiet.

CAPITULUM XI. ET ULTIMUM.

De assistentia moribundis præstanda.

227. NOn adest charitatis opus magis Deo acceptum, magisque ad Animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare; nam tempore mortis (a qua uniuscujusque æterna vita pendet) infirmi vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quantum gratam habeat assistentiam moribundis præstitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit angelos Religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

228. Nec id Parochorum tantum munus est, ad quos Animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam Sacerdotum: De Parochis tamen Ritualis Romanus præsertim loquens, ait præcipuam sui muneris partem esse ægrotantium curam habere: quapropter vult, ut ipsi, statim ac aliquem ex suis parochianis ægrotare intelligunt, non expectent, ut infirmus Parochum accerset, sed ipse Parochus ultro eum invisere curet: idque non semel tantum, sed frequentius, si infirmum etiam spiritu ægrotare advertit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem præstandum providebit per alium Sacerdotem, modo hic sit pius, et prudens; quidam enim Sacerdotes, hoc munus exercendo, magis quam utilitati, damno esse solent, tam infirmis, quam

sibi, et intimorum domesticis, quorum profectum Sacerdos assistens etiam respicere debet. Monet insuper Ritualis, quod si Sacerdos forte deesset, id Parochus præstandum curabit saltem per aliquem laicum pium et christiana charitate præditum, qui sanctis verbis infirmo præsto sit.

§. I.

Monita ad Sacerdotem assistentem.

229. I. Sacerdos clam procuret a medico scire, an infirmitas sit mortalis. Dico *clam*, quia detestabilis usus medicorum est, ægrotos decipere, ne eos et propinquos contristent, pæne ac si infirmis obligationem intimare confessionis (quam, cognito periculo, illis imponere debent), idem sit ac mortem denunciare.

230. II. A conjunctis, amicis, necnon ab ipsomet ægroto, ejus naturam, indolem, et defectus perquirat: item quibus indulserit passionibus, et præsertim si ad aliquam bonorum aut famæ restitutionem teneatur: si odium aut pravam habuerit amicitiam, ut omnibus opportunum præbere possit remedium. Caveat memorare infirmo personas odio habitas, aut impure dilectas, si ad hoc ex necessitate non obstringatur. Vulneratos, postquam quicquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget quis illos, qua de causa, vel quomodo læserit; et si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat, nec de litibus, filiis, bonis, aliisque rebus impertinentibus verbum quidem faciat.

231. III. Post igitur quam morbum periculo-

sum esse deprehenderit, in primis non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat benigne interroget. Hortetur inde, ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti pœnas conjungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat. Et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moneat, ut omnem suam spem in Deo ponat, qui potens est ipsum in pristinam si velit reducere sanitatem. At eodem tempore sensim efficiat, ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat. Præsertim advertat, ne ille omnino fidem præbeat medicis, et propinquis, qui forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum mœrore afficiant. Dicat, sapientis esse prævidere futura. Hortetur, quod dum mens valet, confessionem suscipiat, quæ corporis saluti (si Animæ expedierit) etiam proderit. Refert Belluacensis de quodam moribundo, quod statim ac ipse sua confessus fuit peccata, e strato incolumis surrexit. Pariter Cantipratensis enarrat, quod quidam eques, ubi multa non profuerunt medicina, confessionis virtute statim convaluit.

232. Si tamen ægrotus dilationem quærit, et periculum mortis, lethargi, vel delirii imminens non est, poterit ei indulgere. Curet tamen, ut ille determinet tempus, puta vesperarum, vel diem crastinum, confessioni explendæ. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum D. Augustino moneat, quod Deus non promisit peccatores expectare, sed tantum parcere eis si pœniteat. *Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit.* Quod si adhuc infirmus nec etiam per hæc monita ad confessio-

nem adduci possit, Sacerdos nunquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciæ argumentis curet ipsum expergiscere; et provideat, ut tam privatæ, quam publicæ pro hujus miseri salute preces ad Deum adhibeantur.

233. IV. Si morbus increbuerit, infirmum hortetur, ut de suis domesticis rebus opportune disponat; id enim expedit pro familiæ pace, et eo magis si opus sit pro suæ conscientiæ levamine. In hoc tamen Sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam incidat. Si autem ægrotus fratres vel sorores indigentes habeat, moneat ipsum sub gravi obligatione teneri illis bona sua relinquere, saltem quod ad eorum necessitatem sublevandam sufficit. Hæc tamen gravis obligatio non videtur urgere pro remotioribus propinquis. Observa quod dictum est in Opere *Tom. IV. lib.* 3. *num.* 946. Si vero ægrotus vult pro sua Anima aliquod testari, ipsum moneat, ne onus illud hæredibus imponat; quia experientia docet, legatos pios pæne nullos satisfieri, sed potius hortetur, ut aliquod corpus relinquat, aut pecuniæ summam, ad Sacrificia, aut aliam piam operam persolvendam. Caveat Sacerdos ne consulat infirmis quicquid aliis præjudicio esse potest, cum Christi Ministros non deceat aliorum odium sibi commovere.

234. V. Cum rudibus, dum actus christianos eis suggerit, Italico, imo vernaculo semper loquatur sermone. Cum Litteratis contra comtioribus verbis, et aliquoties etiam latinis ex Scriptura excerptis, sed brevibus sententiolis utatur. Monet tamen Rituale, ne Sacerdos nimis loquendo, et crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundet, quam adjuvet. P. Recupitus e Soc. Jesu de seipso refert,

morti proximum quicquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur, ita ut, ne magis caput læderent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent.

235. VI. Præter parvas Christi Domini crucifixi, Beatæquæ Virginis Imagines, quas juxta infirmum apponi curaverit, si fieri potest, etiam ob oculos ejus collocare faciat Imagines Deiparæ et Redemptoris majoris molis, ut sic ægrotus, quocumque se vertat, eas cernere possit, et illis se commendare.

236. VII. Curæ ei etiam sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, velut arma, imagines parum honestæ, et præsertim personæ, quæ aliquo modo occasionem peccati præbere possunt; et istæ non solum a cubiculo, sed a tota domo expelli debent. Et dum infirmus agoniæ proximus videtur esse, Sacerdos omnes ab ejus cubiculo depellat, præter unum aut duos tantum, qui ipsi dum oportet præsto sint. Ceterum, omnino prohibeat in ægroti cubile propinquos ingredi, ne alicui passioni causam præbeant.

§. II.

Remedia adversus tentationes.

237. Præcipua contra tentationes remedia sunt Jesu ac Mariæ SS. nomina sæpius invocare, et crucis signaculo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus dæmonis insidiis quædam hic adnotare expedit.

238. Et I. *Adversus fidei tentationes.* Ab hac terribili tentatione præsertim agitantur, qui cum perditam egerint vitam, sibi suoque judicio ni-

mis adhæserunt; præcipue si viri eruditi fuerint. Hic sedulo advertendum, quod si dæmon aliquod eis circa fidem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantum generatim respondeant: *Ego credo quod S. Mater Ecclesia credit, quæ veritatem credit et confitetur.* Horteturque Sacerdos infirmum, ut maximas Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiæ sinum ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa fide usque ad extremum vitæ perseverare velle profiteatur. Præcipuus tamen modus, et utilior ad hujusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum, et similia. Cujusdam Doctoris Bellarminus refert, quod hic dum in morte cum dæmone disserere de quodam fidei articulo voluerit, deceptus succubuit, et mortuus est.

239. Si tentatio tamen pergit vexare, ostendat infirmo quod nostræ fidei (per se sanctæ, et intemeratæ, a pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusæ, tot miraculis, ac tot millium martyrum sanguine, qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatæ) argumenta luce clariora sunt, et manifeste illam veram esse patefaciunt, licet res, quas ipsa docet, nunc per speculum in ænigmate videamus; nam si mysteria de quibus nos instituit essent evidentia, ubi esset meritum fidei? quæ ideo fides dicitur, quia res, quas docet, obscuræ sunt et non apparentes. Hinc dictum fuit: *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Jo. 20. 29.

240. II. Adversus tentationem *desperationis.* Hæc est præcipua tentatio, quam infernus vehementius ægrotos impetit; unde illis de divina justitia, de damnatorum pœnis loqui, eorum

que patrata scelera exaggerare, Sacerdos caveat; sed potius ipsis, fiduciæ in misericordia Dei, Salvatoris passione, divinis promissis, et Dei Matris intercessione argumenta insinuentur.

241. Primum igitur nostræ spei motivum est divina misericordia, dum Deus vocatur, et vere est pater misericordiarum. (2. *Cor.* 17.) Ipse occurrit etiam non quærentibus se: *Invenerunt, qui non quæsierunt me. Isaiæ* 65. 1. Magis Deus cupit nos salvos facere, quam nos salutem optamus: quare ipse merito de illis queritur, quos etiam fugientes amplexari desiderat, ut ait D. Bernardus: *Amplecti quærit, a quibus desertum esse se queritur.* Ipse est totus pronus ad ignoscendum: *Multus ad ignoscendum. Isaiæ* 55. 7. Protestatur nolle mortem peccatoris: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur, et vivat. Ezech.* 31. 21. Inquit quod cum peccator sua detestatur peccata, ipse eorum memoriam amittit: *Si impios egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Ezech.* 18. 21. Post hæc divina testimonia, quis unquam de Dei misericordia diffidere poterit? Unus tantum pœnitentiæ actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit. Publicanus, vix ingemendo dixit: *Propitius esto mihi peccatori*, et justificatus est. Prodigus filius statim ac ad patris pedes rediit, pater eum amplexus est. David, ut dixit, *peccavi*, Natan ei respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. *Reg.* 12. 13.

242. Secundum motivum, est passio Jesu Christi, qui non ad aliud quam peccatorum salutem in Terram descendisse protestatur: *Non veni vocare justos, sed peccatores, Matth.* 9. 13. Profitetur etiam nullum a se abire pati: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Joan.* 6. 37. Et apud *Matthæum* 18. 12. in-

quit, quod ipse est bonus ille Pastor, qui dispersas oves quærit, et si quam reperit, exultat, eam amplectitur, suisque humeris imponit: et videtur deinde hanc majori diligere affectu, prout se gessit cum S. Maria Ægyptiaca, B. Angela a Fuligno, S. Margarita a Cortona, aliisque pœnitentibus. Qui igitur rectam habet voluntatem, timere non debet damnari a Domino, qui ne damnaret nos, seipsum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

243. Tertium motivum, sunt divina promissa. Multis in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia: *Petite, et accipietis. Joan.* 16. 24. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Jo.* 16. 23. Et hic non solum de justis, sed etiam de peccatoribus sermo sit, juxta textum Matthæi: *Omnis qui petit, accipit, Matth.* 7. 8. Satis igitur est gratias a Deo petere ad salutem, ut certe obtineantur. *Bonus est Dominus Animæ quærenti illum. Thr* 3. 25.

244. Quartum motivum, est Sanctorum intercessio, et præsertim Deiparæ, quam vult Deus, ut nos cum tota Ecclesia salutemus nostrum refugium, vitam, et spem nostram, ac dicamus: *Refugium peccatorum, ora pro nobis: vita, spes nostra salve.* Unde merito ipsa B. Virgo appellatur a Blosio *Spes desperantium*, et a S. Ephrem, *Adjutrix destitutorum.* Eadem Dei mater B. Birgittæ revelavit, quod sicut aliqua mater, videns filium inter enses suorum hostium versantem, animosa in tutelam suam illum suscipit; ita ipsa curat devotos suos tutari, dum a dæmonibus vexantur, eique se commendant. Insuper dixit, quod cum accedit apud eam peccator, ipsa non ejus merita discutit, sed cum quali intentione veniat, attendit. Et

Deus ipse B. Catharinæ Senensi revelavit, Mariæ suæ filiæ concessisse, quod quivis peccator ad eam recurrens, nullo modo possit a dæmone rapi.

245. III. Adversus tentationem *vanæ gloriæ*. D. Bernardus ait, quod vanagloria est quædam sagitta, quæ *leviter penetrat*, *sed non leviter vulnerat*; præsertim si persona timoratæ sit conscientiæ. Si igitur Sacerdos unquam adverteret moribundum nimis sè reputare securum de sua salute, quia nimis suis operibus fidit; ei dicat quod peccata solummodo nostra sunt, omnia autem bonà a Deo recepimus, ex illo: *Quid habes, quod non accepisti?* 1. *Cor.* 4. 7. Et cum certum sit nullum suæ salutis æternæ, divinæque gratiæ infallibilem certitudinem habere posse (*Nescit homo, utrum amore, an odio dignus, sit*, *Eccles.* 9 1.); ideo quisque semper pavere debet, et cum metu, et tremore salutem suam operari, ut ait Apostolus *Philipp.* 2. 12.

246. IV. Adversus tentationem *impatientiæ*. Si infirmus ex morbi cruciatibus impatientia afficitur, huic ostendatur, quanta Martyres pro Christi nomine tormenta sint passi, vivi excoriati, adusti, trucidati. Et præsertim ei ob oculos ponantur omnia quæ innocens Jesus propter nostrum amorem est perpessus. Dicatur ægroto, quod infirmitatis dolores vitari nequeunt; unde si ipse invitus eos patitur, male nunc, et in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo acceptet, non solum hic a morbi pœna levabitur, sed ibi minus Purgatorii tormenta luet, magisque postea in cælo remunerabitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium. Joann.* 16. Moneatur, quod extremæ vitæ cruciatus nostram complent æternam coronam, quoniam (ut

S. Bonav. dicit) pœnas patienter tolerare, aliis cunctis operibus perfectius opus est, juxta illud Jacob : *Patientia opus perfectum habet. Jac.* 1. 4. Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, dum crux est nostræ prædestinationis securius signum. B. Clara per 28. annos doloribus vexata vitam duxit. S. Lidovina per 38. annos semper infirmitatum pondus toleravit. Et divina Mater quodam die B. Birgittæ ægroranti sic dixit : *Scis quare tua infirmitas tam in longum abiit ? abiit, quia te Filius meus et ego nimis diligimus.* Nos miseros viatores inter hujus seculi ærumnas Apostolus valde consolatur dicendo : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. *Cor.* 4. Et alibi : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Rom.* 8. 18.

247. Et sic infirmo sedulo oportet suadere, ut Dei voluntati conformetur, non solum si dolores patitur, sed etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebro moneat illum, ut a Deo patientiam expostulet.

248. Vitis qui ægre ferunt mori tam immature, ob oculos ponantur præsentis vitæ miseriæ, infirmitates, animi angores, nec non peccandi et damnationis pericula. Ideo sancti viri tam avide mortem exoptabant. S. Theresia ajebat : *Heu mihi, quia in omni vitæ meæ momento Deum amittere possum ;* unde quoties horologium sonabat, toties valde gratulabatur, eo quod jam hora hujus periculi transacta esset. Martyres sancti hilares ad patibula procedebant, ut citius hoc periculum effugerent, et Deo fruerentur. Hinc dicitur in Apocalypsi (14. 13.): *Beati mortui, qui in Domino moriuntur . . . . ut requiescant a laboribus suis* In hac lacry-

marum valle viatores sumus : *Non habemus hic manentem civitatem. Hebr.* 13. 24. Unusquisque aut Rex , aut Pontifex mortem subire debet.

249. Hortetur infirmum , ut Deo gratias agat quod non permiserit mori tempore quo erat in peccato ; et quod tunc ipsum Sacramentis munitum discedere disponat. Dicat, saltem mortem libenti animo excipiendam esse , quia evadimus tot leves culpas , a quibus in hac vita immunes esse non possumus.

250. Dicat ægroto : *Frater mi , oportet , ut te conformes voluntati Dei , quia omnia disponit propter nostrum bonum. Quis scit., an si amplius viveres , Animam perderes ?* Sed dicet infirmus : *Ego vivere optarem , ad aliquam Deo de culpis meis satisfactionem præbendam , et aliquid boni ante mortem peragendum, dum usque adhuc nihil egi.* Respondeat Sacerdos. *Fili, nulla pœnitentia est Deo magis accepta , quam mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare ; nullusque actus perfectior est, quam mortem accipere ad voluntatem Dei exequendam.*

251. VI. Adversus tentationem *adhæsionis* bonis , et propinquis. Eis quibus mori displicet , quia nimis adhærent bonis , dicat Confessarius , hæc non esse vera bona , cum sint transeuntia, et de brevi defectura , et si non deficiunt , potius animum augunt , quam solantur.

252. Si autem affligitur infirmus propter uxorem, filios, aut nepotes dilectos, quos relinquit, blande sic hortetur : *Fili mi , statutum est omnibus mori , omnes te ordine sequentur ; nunc tuæ saluti consule , et Animam tuam salva , et sic pro ipsis in cœlo orabis , unaque cum ipsis eris aliquando beatus in æternum. Sed nunc quid dulcius , quam proficisci ad manendum cum Jesu Christo , cum Regina cœli , et omnibus Sanctis !*

253. Si autem angitur, quia conjunctos suos relinquit inopes, ei dicat: *Audi fili, si tu æternam salutem assequeris, multo melius de cœlo, quam de terra tuis opem ferre poteris. Sed ne dubites, quia Deus, qui volatilia pascit, non omittet eis providere. Si tu illos amas, Deus plus te diligit.*

VII. Adversus tentationem *odii*, et *vindictæ*. Si quis propter aliquam acceptam offensam odio tenetur, 1. ipsi intimetur divinum præceptum: *Diligite inimicos vestros.* 2. Dicatur ei quod qui non dimittit, nec veniam sperare potest a Deo, qui dicit, *Foris canes*, *Apocal.* 22. 15. Canes (vindicum Symbolum) repelluntur a cælo. E converso Deus veniam certam promittit illi peccatori, qui veniam dat offensori suo, ex illo: *Dimitte, et dimittemini. Luc.* 37. 3. Subdat, quod si inimicus injuste læserit ipsum, quanto injustius ipse Deum? Quamobrem, si ipse petit a Deo ut sibi ignoscat, quanto magis proximo ipse ignoscere debet? *Sicut Dominus donavit vobis, ita et vos. Col.* 3. 13. Ultimo ostendat eidem, quam gratam rem Deo exhibet, qui injurias dimittit. S. Joannes Gualbertus, postquam fratricidæ pepercit, Ecclesiam ingrediens, imaginemque Crucifixi salutans, vidit Redemtorem erga se caput inclinasse, ac si propter veniam datam ipsi gratias ageret. Sanctus Jacobus ante mortem amplexatus est eum qui se accusavit. Sanctus Stephanus oravit pro eis qui eum lapidabant. Sanctus Aloysius Galliæ Rex apud se cœnare fecit qui sibi mortem fuerat molitus. Sanctus Ambrosius per multum tempus cuidam suo proditori alimenta subministravit. Et præcipue primum exemplum de hoc præstitit Dominus noster Jesus Christus, qui in cruce positus pro persecutoribus, et maledicentibus sibi valde Patrem exoravit.

§. III.

Varia motiva, et affectus ægrotis suggerendi.

254. I. Motiva *fiduciæ*. De his supra (*in* §. II.) jam locuti sumus; illis possunt sequentes adjungi ex Scriptura: *Nullus speravit in Domino, et confusus est. Eccli.* 2. 11. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. *Joan.* 2. Jesus Christus ad hoc mortem subiit, ut nobis veniam criminum obtineret. *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit, Rom.* 8. 32. Quomodo igitur Deus remissionem nobis negabit, qui nobis proprium dedit Filium?

255. Affectus fiduciæ: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Ps.* 26. 1.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Te ergo quæsumus, tuis famuli subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

O bone Jesu, intra vulnera tua absconde me.

Vulnera tua, merita mea. S. Bernardus.

Jesu mi, non negabis mihi veniam qui vitam, et sanguinem mihi non negasti.

Passio Jesu, tu es spes mea. Merita Jesu, vos estis spes mea. Vulnera Jesu; vos estis spes mea. Mors Jesu, tu es spes mea.

Maria mater mea, salva me, miserere mei. Spes nostra salve.

Sancta Maria mater Dei, ora pro me peccatore.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix.

256. II. Motiva et affectus *Contritionis*. Dicit S. Augustinus, quod quisque usque ad extremum vitæ non debet omittere peccata sua deplorare.

Non intres in judicium cum servo tuo. Ps. 142.

Jesu mi, et Judex meus, parce mihi, antequam venias ad me judicandum.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Deus meus, oh nunquam te offendissem!

Domine mi, non debebas sic tractari a me, sicut impie feci.

Pater non sum dignus vocari filius tuus. Ego a te discessi, tuam despexi gratiam, ultro te amisi: toto corde me pœnitet, Deus meus, propter amorem et sanguinem Jesu Christi parce mihi.

Maledicta peccata mea, quæ Deo me privastis, Ego vos detestor, abominor, et maledico.

Deus meus, quid mali fecisti, quod ipse tam offendi te? Propter Jesum Filium tuum miserere mei.

Nunquam Domine te offendam quoadusque vivam; aut parum, aut multum mihi supersit, volo te amare.

Offero tibi in satisfactionem contumeliarum, quas tibi irrogavi, mortem meam, et dolores, quos usque ad mortem perferam.

Domine, merito me punis; nimis te offendi. Sed quæso, in hac, non in alia vita, me castiga.

O Maria, impetra mihi dolorem culparum mearum, remissionem, et perseverantiam.

257. III. Motiva et affectus *amoris*. *Deus meus, qui es bonitas infinita, super omnia te diligo, amo te plusquam me; amo te ex toto corde. Deus meus, non sum dignus te amare, qua nimis te offendi, sed propter amorem Jesu fac me dignum.*

Oh utinam et omnes te diligerent !

Jesu dulcissime, cupio pati et mori pro te, qui propter me pati, et mori dignatus es.

Domine castiga me uti vis, sed ne me prives te amare.

Deus meus salva me; salus mea est amare te.

Opto Paradisum, ut in æternum, et ex totis viribus meis te diligam.

Deus meus, ne me dejicias in infernum ut mereor: ibi tu odio mihi habendus esses, sed animus mihi non suppetit te odio habere. Et quid mali, Domine mi, fecisti mihi, ut tu odio mihi habendus esses: fac, ut te amem, et mitte me quo vis.

Volo pati, quantum tibi placet: volo mori, ut tibi placeam. Devince me tecum, Jesu mi, ne permittas me unquam separari a te.

Deus meus, fac, ut sim totus tuus, antequam moriar.

Quando erit, ut dicere possim: Deus meus, non possum amplius amittere te.

Oh Deus meus, amare te vellem, quantum tu mereris.

O Maria, trahe me totum ad Deum.

Mater mea, ego multum te diligo; volo venire ad Cœlum, ad te amandum in æternum.

258. IV. Motiva, et affectus *conformitatis*. Omne nostrum bonum, et vita consistit in eo, ut conformemur Dei voluntati, juxta illud: *Vita in voluntate ejus. Ps.* 29. Deus quidem vult quæ nobis sunt meliori bono. S. Gertrudi cum Jesus apparuisset, mortem et vitam offerens, respondit ipsa: *Domine, quod tu vis et ego volo.* Pariter S. Catharina Senensis, cum Jesus se illi præbuerit, offerens duplicem coronam, unam gemmarum, spinarum alteram, ut ipsa eligeret, ipsa respondit: *ego eligo, quæ tibi placet.*

259. Affectus. *Eja N. si Deus te vocat ad aliam vitam, contentus es? Es contentus. Dic igitur semper: Domine, ecce me, fac de me, quid tibi placet. Semper fiat voluntas tua; volo tantum, quod tu vis. Volo pati, quantum tu vis. Volo mori, quando tu vis.*

In manus tuas commendo Animam, et corpus meum, vitam, et mortem.

Benedicam Dominum in omni tempore; aut me consolaris, aut me crucias, Deus meus, ego te amo, et semper te amare volo.

Deus meus, cum morte Jesu mortem meam conjungo, et sic eam tibi offero.

O voluntas Dei, tu es amor meus.

O beneplacitum Dei mei, me tibi totum in holocaustum trado.

260. V. Motiva, et affectus *desiderii* erga Paradisum. *Motiva.* Refert Blosius plures revelationes, ex quibus habetur, quod in Purgatorio illi, qui tepide Cælum optavere, excruciantur peculiari pœna, appellata a Doctoribus Mysticis pœna *desiderii*, aut *Languoris.* Præsens vita est pœnarum carcer, in quo Deum videre non possumus; unde merito rogabat David: *Educ de custodia Animam meam, Psalm.* 141. et S. Augustinus clamabat: *Eja Domine moriar, ut te videam.* S. Hieronymus appellabat mortem, sororem suam, eique dicebat: *Aperi mihi, soror mea.* Et quidem recte, nam mors est illa quæ Paradisi januas nobis reserat. Et ideo pariter S. Carolus Borromæus, videns mortis effigiem cum falce in manu depictam, pictori præcepit, ut falcem deleret, et ejus vice clavem auream tanquam Cæli clavem depingeret. Expedit igitur, ut Sacerdos sæpius alloquatur Moribundos de cælestis patriæ bonis, in mentem eis revocans quod Apostolus ait: *Nec oculus*

vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2.

261. *Affectus. Quando veniam, et appareho ante faciem Dei mei? Psalm.* 41. Quandone erit, Deus meus, quod tuam infinitam pulchritudinem videbo, et facie ad faciem te diligam?

In Cælo semper te amabo, tu semper me amabis; ad invicem igitur in æternum nos amabimus, Deus meus, amor meus, et omnia.

Jesu mi, quando osculabor vulnera, quæ pro me sustulisti?

O Maria, quandonam erit, ut me videam ad pedes illius matris, quæ tantum me amavit, et auxiliata est?

Eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

262. VI. *Affectus, qui infirmo suggeri possunt dum Crucifixum deosculatur.*

Dulcissime Jesu, ne respicias quid ego in te, sed quid tu pro me fecisti.

Recordare quod sim una ex ovibus tuis, pro qua mortuus es.

Libenter pro te, qui pro me passus es, Jesu mi moriar.

Accepto, Jesu mi, consumi pro te, qui totus consumi voluisti pro me.

Domine, majora tu pro me, quam ego pro te patior: tu innocens, ego peccator.

Deosculare, frater mi (*dicet Sacerdos infirmo*) pedes illos, qui tam ad te perditam ovem quærendam et salvandam laboraverunt. Dic quæso: Amabilissime Redemtor, amplector pedes tuos, ut Magdalena amplexa fuit, fac ut audiam mihi pepercisse, ut illa audivit.

Deus meus, mihi propter amorem Jesu Christi parce, et fac, ut bene moriar.

Pater æterne, tu mihi Filium tuum tradidisti, me ego tibi trado.

Jesu mi multum tibi ingratus fui, miserere mei. Multoties infernum merui; non in alia, sed in hac vita me puni.

Si me fugientem quæsivisti, me quærentem te ne derelinquas.

Jesu dulcissime, ne permittas me suparari a te.

Quis me separabit a charitate Christi?

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuit nobilissima Anima tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, miserere Animæ meæ peccatrici in egressu de corpore meo. Amen.

Jesu mi, tu propter amorem meum mortuus es: ego propter amorem tuum mori volo.

263. VII. *Affectus qui suggeri possunt Sacerdotibus, et Religiosis infirmis.*

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus et omnia. O me beatum, si omnia amittam, ut acquiram te meum summum bonum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Ne projicias me a facie tua.

Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. *Ita dicebat Sanctus Franciscus.*

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

Diligam te, Domine, fortitudo mea.

Eja moriar, Domine, ut te videam.

Quid mihi est in Cælo? et a te quid volui super terram?

Deus cordis mei, et pars mea in æternum.

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?

Pater, peccavi, non sum dignus vocari filius tuus.

Averte faciem tuam a peccatis meis.

Tuus sum ego; salvum me fac.

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Quis nos separabit a charitate Christi?

Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. *S. Ignatius Loyola.*

Dilectus meus mihi, et ego illi.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, etc.

Vita, dulcedo, et spes nostra salve.

Refugium peccatorum, ora pro nobis.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

O salus te invocantium! *S. Bonav.*

§. IV.

Monita circa ultima Sacramenta, et modum quo utiliter recipi possunt.

1. Circa Confessionem.

264. JAm supra in Praxi monitum est (vide nostram Moralem *lib.* 6. *n.* 260. *et* 484. *ad n.* 2.) quod dum periculum mortis instat, aut forsan Viaticum delatum est, et longa esset Confessio, tunc infirmus non tenetur omnia et singula peccata confiteri. Hic amplius animadver-

tenda sequentia, nimirum. 1. Quisque Sacerdos in mortis non solum articulo, sed etiam periculo (ut *Trid Sess.... cap.* 7. declaravit) censuris et casibus reservatis districtos absolvere potest (*lib.* 6. *n.* 561.) Advertendum tamen est, quod circa censuras raservatas tenetur Confessarius facultate carens infirmo imponere, ut elapso mortis periculo, se præsentet Superiori; secus in censuras reincidet, *n.* 563. *v. Secus.* 2. Simplex Sacerdos absolvere non potest, præsente Confessario approbato; secus tamen, si Confessarius approbatus veniat jam incepta Confessione; secus etiam, si approbatus sit complex personæ infirmæ in peccato turpi, uti decrevit Summ. Pontif. Benedictus XIV. (*loc. cit. n.* 553.). 3. Moribundus sensibus destitutis recte potest absolvi, saltem sub conditione (quod securius est) dummodo constet infirmum absolutionem desiderasse, pœnitentiæ signum præbens, aut si Confessionem quæsierit; *n.* 471. et id intelligitur, etiamsi moribundus, in actu peccati sensus amiserit, *loc. cit.* ex D. Augustini auctoritate, et ratione; quia ex una parte conditio Sacramenti irreverentiam removet, et ex alia semper in tali casu quemque velle suæ saluti consulere judicatur, et sensibile aliquod signum ostendere, licet morbi causa signum non bene intelligatur. 4. Si infirmus post tertium diem, licet de periculo monitus, nec tamen confiteri vellet, optimum erit si Sacerdos medicum monefaciat, ut juxta S. Pii V. Bullam, eum non amplius invisere eat. Si tamen infirmus in sua adhuc maneat pervicacia, tunc medico curam denuo suscipere licebit; vide *lib.* 6. *n.* 664.

II. Circa Communionem.

265. SEquentia adnotantur monita. I. Ut infirmo Viaticum ministrari possit necesse non est, ut omni vitæ spe destitutus sit, sed sufficit mortis periculum, *lib.* 6. *n.* 284. II. Si vomitus periculum adsit, Viaticum dari non potest; licet præmittatur experientia cum particula non consecrata. *n.* 282. *v. In dubio.* III. Pueris ratione pollentibus etiam rite Viaticum dari potest; necnon freneticis, dummodo sancte vixisse constet, aut paulo ante confessi sint, et periculum irreverentiæ non adsit: ideoque cum istis probabiliter licitum est experiri cum particula non consecrata. IV. Infirmis etiam in Parasceve, ut habetur ex S. Rituum Congregationis Decreto anno 1622. edito, Viaticum ministrare, non tantum licet, sed ad hoc Parochi tenentur.

266. V. Communis sententia tenet, quod in eadem infirmitate ægroto non jejuno pluries Viaticum dari potest; saltem si intersit sex vel octo dierum spatium; imo multi doctores minus temporis intervalli exigunt, vide *num.* 284. *et* 285. Si tamen ægrotus mane ex sua devotione communicavit, non potest eo ipsomet die Viaticum dari, nisi tamen mortis periculum ex aliquo supervenienti morbo violento, nempe vulneris, veneni, casus et similis advenerit. Secus si ægrotus in infirmitate jam constitutus mane communicavit; vide rationem *cit. n.* 285. *Dub* 3.

267. VI. Si tamen infirmus tantum confessus sit, et malum increbrescit, tunc Sacerdos eum, ut quanto citius Viaticum accipiat, sedulo disponat, ut sana mente, et majori fructu recipiat; ideoque desiderium recipiendi Viaticum in

Animum inducere curet ut ita munitus dæmonis viribus majori nixu et gratia obstare possit, utque Jesu Redemptori nostro magis se uniat; qui eum invisere cupit (dicat) ut suas possit in se gratias effundere, et ad cælestem patriam brevi perducere; sin autem, ut si expedierit, etiam corporis salutem impertiatur. S. Cyrillus Alexandrinus ait, quod sancta Eucharistia *etiam morbos depellit, et ægrotos sanat.* Et de suomet patre S. Gregorius Nazianzenus refert, quod statim ac Communionem accepit, convaluit.

268. Sacerdos igitur sic infirmum alloquetur: Frater mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est; ideoque optimum est, ut quanto citius potes, Viaticum accipias; nam Christus in pristinum te restituet sanum, si hoc tuæ æternæ saluti expedierit; si tamen mori debes, contra diabolum in tuum auxilium veniet, et tui itineris ad beatam patriam comes erit. Quid dicis? cupis ne Viaticum accipere? Quidem: Eja igitur præpara Animam tuam ad amplectendum tuum Redemptorem, qui pro te mortuus est. Dic toto corde: Veni Jesu mi, veni amor meus, omne bonum meum, veni; ad te Anima mea desiderat. *Quid mihi est in Cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.*

269. Sacerdotis autem, cum Viaticum pervenerit, sit cura ab infirmi cubiculo parentes, uxorem nempe, sorores, filios, etc. qui passioni ei esse possunt, depellere. Tunc ei subjungat: S. Philippus Nerius, cum in suo cubiculo Sanctissimum Sacramentum viderit, exclamavit: *En amor meus, en amor meus.* Dic etiam, frater, dic: En amor meus: En hic est Filius Dei, qui pro tua salute descendit de Cælis, homo factus est, pro te in cruce mortem subire voluit, et nunc te in-

visere in ipso tuo cubiculo venit. Bono sis animo, jam tibi peccata condonavit. Culparum tuarum jam te pœnituit, et adhuc pœnitet. Sed nunc diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; ita ne est? Eja ergo dic: Amo te, Deus meus, super omnia, et quia diligo te, me pœnitet peccasse: propter amorem tuum libenter morior; jam tibi placet, mori cupio, ut videam te, et in æternum amem.

270. Dicat inde: Si igitur N. Jesum amas, parcis nunc amore sui omnibus, qui te in aliquo offenderunt; non est ita? petis ne etiam veniam, quibus injurias, et offensas irrogasti? Eja igitur converte faciem tuam ad Jesum, qui te amplecti cupit: dic toto corde: Domine, non sum dignus; sed licet indiguum te tanto munere fatearis, ad te tamen Dominus venire vult. Iterum igitur eum ardenter voca, veni Domine, veni amor meus. Deus meus, et omnia, veni; ad te sitit Anima mea, et præter te nihil aliud cupit.

271. Communicato jam infirmo, ad gratiarum actionem illum adjuvet Sacerdos: Eja igitur frater age nunc Domino gratias; qui ad te venire, tecum amplecti dignatus est. Sacramentum est, et vere dicitur, *futuræ gloriæ pignus*. Dominus tecum est, quid amplius times? Exulta, frater, Deus tibi dare vult Paradisum, ideoque totum se tibi impertiri dignatus est; dic ergo Dominus meus, amor meus, te amplector. Tibi gratias ago, te amo, et in æternum te amare spem habeo: me pœnitent te offendisse, et nunc quidquid mihi superest vitæ, in tuum amorem impendere firmiter propono.

272. Jesu mi, vitam meam in holocaustum libenter offero, si tibi placet eam mihi auferre. Fiat semper voluntas tua. Sanctam perseveran-

tiam; amorem tuum mihi tantum concedere precor, ita ut amando te Animam efflem, ut veniam ad te semper amandum in Cælo. Tu me non deseres, ego non deseram te; ergo Deus Animæ meæ, in æternum nos ad invicem diligemus.

III. Circa Extremam Unctionem.

273. EXtrema Unctio, uti est ultimum Sacramentum, ita ex D. Thoma est vitæ spiritualis corona; ipsa homo munitus, ad cælestem patriam ingredi disponitur. Unde Sacramentum hoc dum ægrotus mente pollet, ut ei magis prosit, opus est ut conferatur; quoniam, licet conferri non possit, nisi grave mortis periculum (saltem probabile) immineat (ut in nostra Morali *lib.* 6. *n.* 714. *Dub.* 4.); tamen ad ultimum vitæ discrimen prorsus differenda non est; *loc. cit. Adn.* 1. Unde ait Catechismus Romanus *P.* 2. *c.* 6. §. 9. graviter peccare Parochos illos, qui conferunt Extremam Unctionem, quando nulla adest spes vitæ et ægrotus jam privatur sensibus.

274. Ægroto Sacerdos suadere studeat, quod Extrema Unctio, si Animæ profutura erit, etjam ad corporis sanitatem confert, ut Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 2. *Interdum sanitatem corporis consequitur, ubi saluti Animæ expedierit.* Hæc tamen sanitas non confertur, cum naturaliter impossibile sit iterum restitui ad salutem. De quodam jam defuncto refert Joannes Eroldus, hunc revelasse; quod si Extremam Unctionem prius accepisset, statim e morbo convaluisset; sed quia distulerat, ideo vita defunctus erat, et ad Purgatorii ignem centum annis

damnatus. Secundo, Extrema Unctio peccatorum reliquias remittet, et per consequens ipsa peccata mortalia occulta, ut docet D. Thomas: vide *n.* 731. *v. Commune*, ideoque instruatur infirmus, ut dum quinque corporis sensus unguntur, ipse de culpis per ipsos commissis doleat, et cum astantibus etiam respondeat, *Amen.* Tertio, particularia auxilia, quibus in illo extremo agone inferni vim, et impetum frangat, subministrabit. Quare multum probabile est gravi se obstringi scelere, qui hoc Sacramentum accipere recusaret, ut supra diximus *n.* 107.

275. Aliqua hic de hujus Sacramenti administratione scitu necessaria adnotare licebit. I. Speculative tantum probabilis est opinio dicens, sufficere ministrare hoc Sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo, non tamen practice, quia hæc vera unctio non esset; vide in morali *n.* 709. *Dub.* 4. II. Unctio quinque sensuum, secundum communiorem sententiam, est de necessitate Sacramenti; unde pestis tantum tempore, aut alicujus imminentis mortis periculi, una tantum, et in uno sensu (consultius in capite) unctio adhiberi potest; sed semper sub conditione si valet, et cum unica forma dicendo: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum.* Si tamen æger supravivat, unctiones etiam sub conditione reiterari debent in omnibus quinque sensibus solitis orationibus. III. Non est de necessitate Sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi; immo unum tantum oculum, unam manum, etc. ungere, licite sufficit, dum periculum infectionis, aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti

ad aliud latus. Unctio renum in mulieribus, et etiam in viris, *quando infirmus* (ut Rituali monet) *commode moveri non potest*, *relinquitur*. Unctionem tamen pedum non esse de necessitate Sacramenti, communis sententia tenet; sed quoad hoc Ecclesiarum consuetudo servanda est; *loc. cit. v. Certam*. Nec etiam de necessitate Sacramenti est in unctione partium ordinem servari: gravi tamen culpa se obstringit, qui receptum Ordinem non servat, *loc. cit. v. Nec etiam*. IV. Extrema Unctio rite confertur pueris, qui ratione pollent, licet non adhuc S. Communionis idonei sint; in dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsus carentibus non procedit; *n.* 719. *et* 720. V. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint, et Extremam Unctionem petierint, aut verisimiliter petiissent aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiæ periculo, dari potest; et eo magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionate dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint; impœnitentibus enim, et qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis penitus denegari debet, ut Ritualis Rom. monet, vide *n.* 732. Mulieribus etiam, si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest. VI. Orationes præscriptæ, extra formam, in casu necessitatis omitti possunt; quæ postea dicentur, si tempus suppetet; *n.* 728. et in tali casu Sacramentum dari potest, etiam sine luminibus, et ministro; *n.* 728. et etiam probabiliter sine superpelliceo, et stola *n.* 726. VII.

Extrema Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus a priori probabiliter convaluerit, et in aliud simile vitæ descrimen inciderit, ut docet Trident. *Sess.* 14. *cap.* 3. vide *n.* 715. VIII. Cautus sit Sacerdos in movendo ægroto, ut partes viciniores ungat; si tamen caute revolvat, et casu ille e vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse, quia in hoc casu irregularitas non potest incurri nisi ob delictum, a quo qui charitatis causa aliquod inculpabiliter agit, immunis est. Denique recte Parochus in sua domo Oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum prævidet, ut si vocatus ad conferendam Unctionem præsto non esset; *lib.* 6. *n.* 730.

§. V.

Monita circa agonem, et mortem.

276. CUm infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiæ armis, ad eum juvandum quantum potest, Sacerdos utatur. 1. Sæpius infirmum aqua benedicta aspergat, præsertim si diabolicis tentationibus exagitatur, dicendo: *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.* 2. Crucis signaculo eum muniat, et benedicat, dicens: *Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, benedicat te Filius, qui te redemit, benedicat Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit.* 3. Salvatoris necnon Mariæ aliquam Imaginem sæpius osculandam præbeat. 4. Curet, ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, et præsertim accipiat benedictionem in articulo mortis Benedicti XIV. cum indulgentia plenaria, quam infra *num.* 287. adnotabimus. 5. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei

in Domini passionem, ac B. Mariæ intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen Sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat et ruminandi tempus, et quiescendi. 6. Studeat, ut sæpissime SS. Jesu, et Mariæ nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam: *Maria mater gratiæ, etc.* 7. Agonis tempore faciat, ut circumstantes pluries B. Mariæ Virginis Litanias pro ægroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis ad significandam omnibus instantem mortem exspirantis ægroti, ut pro ipso orent; quod etiam sanis juvare potest. Et hic generatim animadvertendum est, quod cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes, quam verba. 8. Cum tempus exspirandi instat, Sacerdos flebili voce, et flexis genibus consuetas Ecclesiæ orationes recitet; *Proficiscere, etc.* ut in fine Breviarii, aut Ritualis habentur. 9. Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut an frigerit videat, caveat saltem ne sæpius fiat, ne eum perturbet; et ne illum vertant, curet illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset. 10. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradat ei candelam benedictam, ut teneat, et ita in fide mori profiteatur. 11. Dum infirmus adhuc sensibus-viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsan præteritæ Confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, necnon Purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed monens, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet, si rursus tentatur benigne ipsum confortet, procuret ut Contritionis actum

eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licet conditionate detur, tamen, ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc Sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi, se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest; sin autem, sufficit, ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat: frequentius tamen, si jam jam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quærit, aut dum Sacerdos ipsi conferre vult, ex. gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia.

277. Denique cum e vita jam migrasse videtur, caveat Sacerdos, ne statim det suæ mortis signum, nec ei statim oculos, aut os claudat, aut visum pannis cooperiat; quia si nondum mortuus esset, fieri posset, ut mors accelaretur. Cum autem certo scit Animam jam ad æternitatem migrasse, circumstantes, ut pro illo orent, moneat, et ipse flexis genibus dicat orationem: *Subvenite*, *etc.* ut in Rituali, vel in Breviario.

§. VI.

Affectus, qui suggeri possunt agonis, et exspirationis tempore.

278. In te, Deus meus, infallibilis veritas credo, in te, immensa misericordia spero; te, infinita bonitas, amo.

In te Domine speravi non confundar in æternum.

Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

In pace in idipsam dormiam, et requiescam.

Deus meus, ne permittas me separari a te. Nihil aliud quam te cupio. Bonitas infinita, te amo, te amo, te amo.

(*Hic animadvertendum est, actus frequentiores, qui moribundis suggeri debent, esse amoris, et doloris*)

Jesu mi, qui mox me judicaturus es, parce mi antequam judices. Te amo, et quia te amo, me pœnitet offendisse.

Jesu mi dulcissime, ne permittas me separari a te.

Sanguis Jesu lava me. Passio Christi salva me.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Moriar Domine, ut te videam.

Maria Mater Dei, ora Jesum pro me.

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

O Maria, nunc tempus est auxiliandi servum tuum.

Mater mea, ne derelinquas me.

O Paradise, o pulchra patria, o amoris patria, quando te videbo!

Deus meus, quandonam facie ad faciem te amabo?

Quandone Jesu mi, te non amplius amittendi securus ero?

Deus meus, et omnia.

Contentus sum omnia amittere, ut acquiram te, Deus meus.

Deus meus, propter amorem Jesu miserere mei.

Mitte me Domine in Purgatorii ignem, per quantum vis; noli tamen in infernum, ubi te amare non possum.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Æterne Deus, spero, et cupio in æternum te amare.

Amor meus crucifixus est. Jesus meus, amor meus pro me mortuus est.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum etc.

Pater æterne, propter amorem Jesu Christi da mihi gratiam tuam. Te amo: me pœnitet.

Quomodo possum de tot tantisque beneficiis quæ mihi fecisti, Deus meus, tibi rependere gratias? spero in æternum in Cœlo tibi gratias agere.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, etc.

Miserere mei Deus, secundum magnam etc.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Dum jam ægrotus est proximus ad exspirandum.

279. In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Jesu mi, tibi Animam, quam tuo Sanguine redemisti, commendo.

(*Hic notandum, quod dum infirmus jam ad exalandam Animam vicinus est, actus suggeri debent sine pausa, et fortiori voce*)

Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum,

Deus meus adjuva me; sine me venire ad amandum te in æternum.

Jesu mi, amor meus, te amo, me pœnitet. O nunquam te offendissem!

O Maria spes mea, adjuva me, ora pro me Jesum.

Jesu mi, propter passionem tuam salva me. Te amo.

Maria Mater mea, in hac hora adjuva me, S. Joseph adjuva me, Archangele Michaël defende me, Angele Custos me, S. N. (hic præcipui protectoris ægroti fiat mentio) commenda me Jesu Christo, Sancti et Sanctæ Dei intercedite pro me.

Jesus, Jesus, Jesus.

Jesus et Maria, vobis cor et Animam meam dono.

§. VII.

Imminentis mortis signa.

280. OPus est, ut Sacerdos, qui hoc charitatis opus exercet, imminentis mortis signa sciat,

ut ita ægroto jam expiranti melius auxiliari possit. Præcipua et universalia sunt tria. 1. Pulsus deficiens, intermittens, et formicans. 2. Respiratio anxia. 3. Oculi excavati, et vitreati, aut apertiores solito, vel nimis lucidi, vel qui respiciunt objecta diverse quam aliis apparent, ut cum palpebra superior relaxatur, et inferiorem prætergreditur.

281. Sunt etiam proxima mortis signa nasus acuminatus, et in extremitate albescens, et si nares ad instar follis sufflant; manus tremantes; ungues lividæ; facies flavescens, livida, et mutata; flatus male olens et frigidus; corpus immobile; sudor frontis et frigidus; calor in cordis parte nimius; festucas aut lanugines colligere; frigiditas in extremis omnibus partibus.

282. Signa tamen proximiora expirationis sunt respiratio intermittens aut languida; defectio pulsus; dentium contractio, stridor: distillatio in gula, lene quoddam suspirium, aut gemitus; lacryma per se fluens; oris, oculorum, et totius corporis torsio.

283. Advertatur 1. quod laborantes hydropisi, ectica febri, vel vulnere, asthamate, pleuritide, sanguinis fluxu, vomitu, angina, et reumatismo, interdum cum paucis nominatorum signorum, et cum pulsu valido, ac loquentes expirare solent. Advertatur 2. proximos morti esse, qui pleuritide laborant, dum respirationis difficultas, anhelitus augmentum, et labia livida apparent. Vulnerati capite interdum subitaneo deliquio moriuntur. Hydropici, dum pulsus deficit, et anhelitus crescit, ac in ore spuma apparet. Qui febri intermittente laborant, mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt. Advertatur 3. quod in aliquibus ægrotis flatus est adeo debilis, et

cordis exagitatio, ut jam mortui videantur, et tamen non sunt. Signa certioria mortis sunt omnium partium frigiditas etiam regione cordis, corporis gravitas, alicujus spiritus naribus admoti stimulum non sentire, speculum ori accessum flatu non maculari, et similia. Demum advertatur, quod interdum signa superius in primo loco adducta fallunt, et etiam sine illis repente moritur infirmus: ideoque dum ægrotus in agone manet, Sacerdos oportet ne unquam illum deserat.

§. VIII. et Ultimus.

Preces, Actus Christiani, et Benedictiones.

284. SAcerdos domum ægroti ingrediens, dicat, ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Cubiculum aqua benedicta aspergat, dicens: *Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Deinde dicere potest orationes, quæ in Rituali pro Extrema Unctione extant. Postea Redemptoris Imaginem accipiat, dicens: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ.* Et ægroto osculandam præbeat, dicens: *Deosculare pedes Jesu Christi, qui in hac cruce pro salute tua mortuus est.*

285. Deinde dicat: in Deo N. N. igitur spem tuam jacta: sperare volumus Mariam a Deo salutem tibi intercedere velle: infirmitas tamen gravis est, voluntati Dei tuam conforma, ut de te faciat quod ipse vult. Eja igitur mecum recita cristianos actus, ut cum istis ad mortem te disponere valeas, si pro bono Animæ tuæ sic Deus determinavit; dic ergo mecum.

286 *Actus fidei.* Deus meus, infallibilis veritas, quia tu, quod credere debeam, S. Ecclesiæ revelasti, credo quod ad credendum mihi proponit Ecclesia. Credo te esse Deum meum, omnium Creatorem, qui per totam æternitatem Paradiso justos remuneras, peccatores vero castigas inferno. Credo Mysterium SS. Trinitatis, idest Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, tres Personas, sed unum Deum. Credo secundam Personam, idest Filium Dei, hominem factum in utero Mariæ semper virginis, et pro nobis peccatoribus mortuum esse. Inde resurrexit, et nunc sedet ad dexteram Patris; et inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo septem sancta Sacramenta, et præcipue Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, et Extremam Unctionem. Credo omnes resurgere habere cum corporibus suis; et denique credo omne id, quod credit S. Ecclesia Catholica Romana, in qua sola credo esse veram fidem.

Actus spei. Deus meus, confisus tuis promissis, quia tu fidelis, potens, et misericors es, propter merita Jesu Christi peccatorum meorum veniam spero, perseverantiam finalem, et gloriam Paradisi.

Actus amoris, et doloris. Deus meus, quia tu es bonitas infinita, infinito amore dignus, toto corde meo te diligo super omnia. Et omnium peccatorum meorum, quia tuam infinitam bonitatem offendi, tota Anima mea me pœnitet, et displicet. Potius mori quam peccare propono, cum gratia tua, quam, ut nunc mihi des et semper, te precor. Et propono sancta Sacramenta recipere in vita, et in morte.

(*Benedictus XIII. Omnibus qui semel in die hos eliciunt actus septem annos Indulgentiæ largitus est; et si per mensem integrum fiant, con-*

fessis et communicatis juxta mentem Pontificis orantibus, Indulgentiam plenariam, etiam pro defunctorum Animabus, concessit: et si in fine vitæ quis faciat, Indulgentiam in articulo mortis).

Benedictio in articulo mortis.

287. Pontifex regnans anno 1747. Episcopis facultatem concessit, et eorum delegatis, Indulgentiam plenariam ægrotis petentibus impertiri, postquam Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ-Unctionis Sacramenta acceperint, aut verosimiliter quæsissent, aut si signum aliquod doloris dederint, et postea sensus amiserint. Non vero excomunicatis, et impœnitentibus; nec etiam illis qui in evidenti peccato moriuntur. Advertendum tamen, quod prædicta facultas debet ab Episcopis exposci a quocumque Pontifice pro tempore; in Bulla enim, *Pia Mater*, *num.* 34. edita a Bened. XIV. die 5. April. ann. 1747. sic dicitur: *Cum novi Episcopi Catholicis gregibus in posterum præficientur, volumus, atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicæ Litteræ etc.* Modus quo datur benedictio est hic.

288. Sacerdos ægroti domum ingrediens dicat: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* Et aspergat aquam benedictam, dicens: *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* Postea dicat *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc.* Et nihil aliud dicens repetat Antiphonam: *Asperges me etc.*

Si ægrotus Confessionem petit, Sacerdos benigne audiat; sin vero, contritionis actum ut

ægrotus eliciat studeat, confortetque eum ad Paradisi gloriam sperandam : hortetur , ut totum se offerat Deo , et pro peccatorum suorum satisfactione id, quod vult Deus , ipsamque mortem acceptet , inde dicat :

289. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos etc.

℟. Sed libera etc.

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine exaudi etc.

℟. Et clamor meus etc.

℣. Dominus vobiscum , etc.

℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

CLementissime Deus Pater misericordiarum , et Deus totius consolationis , qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides , et spes Christiana commendat. Visita eum in salutari tuo , et per Unigeniti tui passionem et mortem omnium ei delictorum suorum remissionem , et veniam elementer indulge, ut ejus Anima in hora exitus sui te Judicem propitiatum inveniat , et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem , etc.

Tum postquam Clericus dixerit, Confiteor Deo, etc. *Sacerdos dicat:* Misereatur, etc. Indulgentiam, etc. *deinde.*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi Omnipotens Deus omnes præsentis, et futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, ✠ Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

At si infirmus esset tam morti proximus, ut tempus suppeteret supradictis precibus, Sacerdos statim impertiatur ei præfatam Benedictionem.

Dominus noster Jesus Christus, etc.

290. *Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo.*

Sacerdos conversus ab habitum dicat:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

℣. Domine exandi orationem. meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

CAput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuæque Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, detera tua sanctifica ✝: et hoc quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore, et animo servetur, et ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et posteà ipsum imponat personæ recipienti, dicens:

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat.

Ego ex potestate mihi tradita, et concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum Canonicarum, ac ceterorum bonorum Spiritualium, quæ passim die, nocte-

que (cooperante misericordia Jesu Christi) a Religiosis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Bene ✝ dicat te Conditor cæli et terræ Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo Societatem, et Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam viator palmam et coronam sempiternam hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

291. *Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit cælum, et terram, etc.

O R E M U S.

DOmine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiam, humilitatique indicium in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariæ nos ferre sanxerunt, ita bene ✝ dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac Anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, illud imponat, dicens:

Accipe, charissime frater, habitum B. Mariæ Virginis, singulare signum servorum in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita et morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus sub ejus patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis, ✠ Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te, et maneat semper. Passio Domini nostri Jesu Christi, et Compassio Beatæ Mariæ Virginis sit in corde, et corpore nostro. Amen.

292. *Benedictio Scapularis Conceptionis Immaculatæ Dei Matris.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem, et memoriam Conceptionis Immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis (necnon, ut illo indutus exoret) in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, bene ✠ dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo indutus fuerit, eadem Beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis, et regnas etc.

Postea Sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, imponat recipienti, dicens.

Accipe, frater, Scapulare Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, ut, ea intercedente, veterem hominem exutus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Amen.

Et ego ex facultate mihi tradita recipio te in participationem bonorum spiritualium, quæ in nostra Congregatione gratia Dei fiunt, et quæ per Sanctæ Sedis Apostolicæ privilegium concessa sunt. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Si infirmus numquam acceperit aliquod Scapulare, vel aliquod ex iis, de quibus supra sermonem fecimus, curet Sacerdos qui facultatem habet, ut infirmus tunc recipiat; ut Indulgentias lucretur.

Finis Praxis Confessarii.

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM, ET DUBIORUM

hujus noni voluminis.

LIBER VII.

De Censuris Ecclesiasticis, et Irregularitatibus.

CAPUT I.

De Censuris in genere.

DUBIUM I.

Quid sit censura ecclesiastica? pag. 3.

1. QUid est censura. 2. An censura privet bonis internis. 3. An Degradatio, vel Depositio sit censura. 4. An cessatio a Divinis. 5. An irregularitas? de qua vide etiam infra n. 351.

DUBIUM II.

Quotuplex sit Censura? ibid.

6. Quotupliciter censuræ dividantur. An censuræ latæ ab Episcopo in Synodo sint perpetuæ,

et tanquam latæ a jure. 7. Quando censuræ reputantur esse latæ sententiæ. 8. Quando ferendæ.

DUBIUM III.

Qui possint ferre Censuram, et in quos? pag. 8.

9. Quis possit censuram ferre. 10. Ex potestate ordinaria possunt I. Papa. II. Episcopi. An autem eorum Vicarii. III. Prælati Regulares. IV. Concilia, et Capitula. V. Qui hoc habent ex privilegio. 11. Quis possit ferre censuras ex potestate delegata. Non possunt 1. Parochi. 2. Laici. 3. Feminæ. 12. Quot conditiones requirantur, ut quis possit censuram ferre? I. Ut sit vir. II. Baptizatus. III. Tonsuratus. IV. Compos rationis. V. Ut habeat jurisdictionem expeditam. VI. Ut libere agat. 13. Quæ conditiones, ut quis possit censura ligari? I. Ut sit Homo. II. Baptizatus. III. Compos rationis. An ebrii, vel amentes ad tempus. 14. An impuberes doli capaces. 15. IV. Ut sit subditus. 16. An Reges. 17. An peregrini. 18. Ut sit persona determinata, quoad excommunicationem. 19. An excommunicatio in communitatem sit valida, et licita. 20. Prælati Regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes. 21. Qu. I. An Episcopus existens extra Diœcesim possit ferre censuras in subditos. 22. Qu. II. An contra, existens in Diœcesi possit ligare censuris subditum extra degentem. 23. Qu. III. An subditus delinquens extra Diœcesim, incurrat censuram latam per præceptum in futuros delinquentes. 24. An Monasteria Regularium sint loca exemta. 25. Quid si agatur de damno resarciendo. 26. Qu. IV. An Epi-

scopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua Diœcesi. 27. Qu. V. An censura lata generaliter liget alienigenas. 28. Quomodo quis ligare possit pluribus censuris.

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri Censura?
pag. 25.

29. Ob quale peccatum incurrantur censuræ. 30. An ob veniale incurratur levis suspensio, vel interdictum. 31. An aliæ censuræ ob veniale sint nullæ. Et quid ex hoc inferatur. 32. An in dubio de gravitate materiæ incurratur censura. 33. An præceptum sub censura obliget sub gravi. 34. An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus? 35. An possit imponi censura contra Officium recitantes distracte. 36. An actus peccati debeat esse consummatus. An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante, etc. 37. An contra mandantem etc. incurratur etiam effectu non secuto. 38. Observa distinctionem. 39. Utrum incurratur in dubio, an mandatum influxerit. 40. Quid si dans consilium pro occasione illud revocet ante executionem. 41. An requiratur culpa propria. 42. Quid excuset a censura incurrenda. 43. An ad incurrendam censuram requiratur scire crimen vetitum esse etiam ab Ecclesia. 44. An hoc valeat etiam pro suspensione, et interdicto. 45. An detur ignorantia excusans a censura, quin excuset a mortali. 46. An metus gravis excuset a censura. 47. Quando excuset ignorantia etiam crassa. 48. An excuset ignorantia affectata. 49. An incurratur censura ob peccatum mere præteritum. An Episcopi possint ferre censuras pro

delictis futuris. 50. Censura est invalida. I. Ob defectum ferentis. 51. II. Si præteritur ordo judicii. 52. An in omnibus censuris requiratur monitio rei. 53. An censura sine monitione sit nulla. 54. Et quando sit nulla ob peccatum mere præteritum. 55. An requiratur monitio, si censura sit a jure ferendæ sententiæ. 56. An monitio debeat esse trina cum debito intervallo. Et an debeat fieri ab ipso Judice. 57. Quid si censura sit contra plures generaliter. 58. An censura sine trina monitione sit invalida. 59. Quid notandum quoad sententiam censuræ. 60. Quæ solemnitates in ea sint servandæ. 61. Quandq autem istæ solemnitates non requirantur? Vide ib. alia notanda. 62. An incurratur censura lata disjunctive, *verb. gr. Sit excommunicatus, vel suspensus.* 63. An possit ferri censura sub conditione. 64. An, transacto termino, incurratur censura, si creditor proroget. 65. Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuram. 66. III. Censura est invalida ob defectum justæ causæ. 67. Quomodo quis se gerere debet in dubio, an incurrerit censuram. 68. An in dubio censura judicanda sit justa. Et an reus teneatur parere Judici jubenti aliquid sub censura, si putet probabiliter ad id non teneri.

DUBIUM V.

Qui possint absolvere a Censuris?
pag. 55.

69. Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine, et inter latam a jure, vel ab homine per sententiam generalem. 70. Quis potest absolvere a censuris latis a

jure. 71. An omnes Confessarii possint absolvere ab excommunicatione minori? An simplex Sacerdos. 72. Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem. 73. Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas. 74. Quæ censuræ reservatæ possint absolvi ab Episcopis per Cap. *Liceat*. 75. Vide verba Capituli. 76. Not. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitate propter hæresim. Not. II. Quando crimen dicatur occultum, vel deductum ad forum. 77. Dub. 1. An possit absolvi ab Episcopo qui fuerit punitus in foro alterius Episcopi. 78. Dub. 2. An crimen publicum in uno loco possit absolvi ab Episcopo in alio, ubi est occultum. 79. Not. III. Qui veniant nomine Episcoporum. Not. IV. Qui veniant nomine subditorum. Not. V. Episcopi possunt absolvere a casibus Papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum. (Remissive *ad l.* 6. *n.* 594.). 80. Not. VI. An Episcopi gaudeant hac facultate, ubi Tridentinum non est receptum. 81. Qu. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus, et suspensionibus cum suo subdito in aliena Diœcesi morante. 82. Qu. II. An facultas concessa in Cap. *Liceat*, fuerit revocata per Bullam Cœnæ. 83. Verior sententia. 84. Qu. III. An Episcopi possint absolvere a censuris Bullæ Cœnæ impeditos adire Romam. 85. Qu. IV. Quinam dicantur impediti. 86. Quid si impedimentum sit ad breve tempus, et quid si ad longum. 87. An teneatur reus absolutus deinde se præsentare Pontifici, si jam sit emendatus, et parti satisfecerit. 88. Quid si impedimentum sit perpetuum. Et qui dicantur perpetuo impediti. 89. Qu. V. An impediti teneantur adire Romam per epistolam, aut procuratorem. 90. Qu.

VI. An Episcopus possit absolvere Hæreticum impeditum, etiam per alium. 91. Qu. VII. An cum inferior absolvit impeditum a casu reservato sine censura, teneatur pœnitens se se præsentare Superiori. 92. Qu. VIII. An impediti adire Episcopum possint a quocumque absolvi. 93. Qu. IX. An possint Episcopi generaliter delegare aliis facultatem eis concessam in Cap. *Liceat*. 94. De facultate Mendicantium absolvendi reservata. 95. Quas censuras possint Regulares absolvere quoad seculares. 96. An possint eos absolvere a casibus Papalibus occultis. 97. An a publicis. 98. An a casibus ab Episcopis sibi reservatis? 99. An a censuris Episcopis reservatis a jure, vel a consuetudine. 100. An a casibus Clementis occultis? 101. An Regulares possint absolvere suos subditos ab omnibus casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ. 102. An etiam novitios. 103. An novitios etiam a censuris ab Episcopo sibi reservatis. 104. An Prælati regulares possint absolvere subditos a casibus Bullæ Cœnæ? Usque ad n. 106. 107. An subditos a censura ob percussionem alterius Religiosi, aut Clerici secularis. 108. Quid circa recipientes Bullam Cruciatæ? Remissive. 109. Regulæ pro absolvendis censuris. 110. An, data facultate absolvendi a Papalibus, comprehendantur censuræ Bullæ Cœnæ. 111. An in Jubilæo, data potestate absolvendi, omnes censuræ comprehendantur, etiam latæ ab Episcopo specialiter. 112. An habens facultatem circa casus Bullæ Cœnæ possit absolvere etiam ab hæresi? 113. 114. Quid amplius notandum circa facultates Regularium. 115. Quid amplius circa facultatem concessam in Jubilæis.

DUBIUM VI.

Quomodo danda sit absolutio a Censura? pag. 98.

116. Quomodo absolvendæ censuræ in foro externo, et quomodo in interno. 117. An possit absolvi absens. 118. De eo qui absolutus est in Jubilæo. 119. De absolutione metu extorta. 120. An valeat absolutio, non satisfacta parte. 121. Quid si cum hac conditione sit concessa facultas. 122. An, secuta satisfactione, de se auferatur censura. 123. An valeat, et liceat absolutio sub conditione. 124. An possit dari absolutio ad reincidentiam. 125. An ad reincidendum requiratur nova culpa. 126. An censura possit absolvi extra Confessionem. 127. Ad absolvendas censuras requiritur I. Satisfactio partis. 128. In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem. 129. Requiritur II. ut reus præstet juramentum non amplius committendi crimen, si sit valde enorme. 130. Requiritur III. ut censuratus petat absolutionem. 131. Plura notanda. Quid si reus adhuc sit contumax, vel invitus, vel oblitus non petierit. 132. An valeat absolutio, si reus falsum exponat.

*

CAPUT II.

De Excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid sit, et quotuplex? pag. 109.

133. Quid excommunicatio. Quænam veniat illius nomine, major ne, aut minor. Et qui sint vitandi. 134. Resolutiones 135. Quid requiratur, ut quis sit vitandus? Vide Constitutionem Conc. Constantiensis. 136. De 1. conditione, ut sit nominatim excommunicatus. 137. De 2. conditione, ut sit publice denunciatus. 138. An liceat toleratis cum aliis communicare? 139. An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in divinis, sine necessitate. 140. An idem de suspenso, et interdicto vitando? 141. Quando percussor Clerici sit vitandus? 142. An ad vitandum eum requiratur notorietas facti? 143. An sufficiat, ut alicui factum sit notum? 144. An requiratur etiam notorietas juris? 145. An percussor notorius in loco, sit vitandus in alio, ubi non est notus? 146. Quando possit credi vitandus absolutus.

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, et quem effectum habeat excommunicatio minor? pag. 120.

147. Ob quam causam incurratur excommunicatio minor? 148. An Episcopus possit alicui interdicere Sacramenta? Effectus directus ex-

communicationis minoris est privatio suscipiendi Sacramenta. 149. An sit privatio etiam ministrandi. 150. Effectus indirectus est privatio electionis passivæ ad beneficia. 151. Incurritur communicando cum vitando. 152. An sit mortale recipere Sacramenta cum excommunicatione minori? An ministrare? 153. An incurratur cum solo veniali? 154. Et an hoc veniale possit omitti in Confessione. 155. Quis possit absolvere ab ea; an etiam quicumque qui potest absolvere venialia? 156. Quis incurrat? Remissive.

DUBIUM III.

Quot effectus habeat excommunicatio major? pag. 124.

157. Qui sint effectus mediati excommunicationis majoris? I. Irregularitas ob exercitium Ordinis. II. Suspicio de hæresi, si per annum insordescat. 158. Qui sint effectus immediati? I. Privatio susceptionis Sacramentorum licitæ, et etiam validæ quoad Pœnitentiam. 159. An excommunicatus sine culpa suscipiens Pœnitentiam valide absolvatur ante absolutionem censuræ. 160. Plura notanda. 161. An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda præcepta? 162. II. Privatio communium suffragiorum, etc. 163. An possint offerri sacrificia etc. nomine Ecclesiæ pro excommunicato vitando, si non stet per ipsum quominus absolvatur? 164. An possint offerri pro excommunicato tolerato? 165. III. Privatio administrandi Sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes Sacramenta ab excommunicato tolerato. 166. An excommunicatus

vitandus valide ministret Sacramenta. 167. An Sacramentum Pœnitentiæ. 168. Quid si sit toleratus. Et quid in articulo mortis. 169. An excommunicatus licite ministret Sacramenta. 170. Quando etiam vitandus. 171. Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta ministrans? An vitandus incurrat irregularitatem ministrans Pœnitentiam. 172. Quam pœnam incurrat recipiens Sacramenta sine necessitate a vitando. 173. IV. Privatio divinorum officiorum. Quomodo peccet communicans in divinis cum vitando. Et an liceat recitare privatim Officium cum ipso. 174. An vitando liceat usus Sacramentalium, et orare privatim in Ecclesia. 175. Quid si vellet interesse Missæ, etc. 176. Ad quid tenentur Clerici, si excommunicatus nolit recedere. An alii assistentes peccent tunc mortaliter. Et an incurrant excommunicationem minorem. 177. Quæ veniant nomine divinorum officiorum? An vitandus possit audire concionem, lectionem, etc. quomodo debet expelli, alias Missa interrumpi. Et an inchoato Canone. 178. An excommunicatus teneatur ad Horas. Et an et quando peccet dicendo *Dominus vobiscum*. An recitando cum alio privatim. 179. V. Nullitas beneficii collationis, et præsentationis, etc. 180. Plura notanda: et an idem dicendum de collatione dignitatum, etc. Quid si ante excommunicationem fuisset præsentatus. Et an beneficiatus faciat fructus suos. 181. An toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia, etc. 182. An valida sit collatio beneficii alicui, qui ignoret se esse excommunicatum. 183. An excommunicatus privetur fructibus beneficii ante sententiam. 184. VI. Privatio communicationis forensis. An possit se defendere in judicio. An agere. An testificari. An tueri alios. 185.

VII. Privatio usus jurisdictionis. 186. VIII. Privatio ecclesiasticæ sepulturæ. Vide ibid. plura notanda de pollutione Ecclesiæ, vel cæmeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus, etc. 187. Quid si sit Hæreticus non denunciatus. 188. IX. Privatio communicationis civilis. Ex 189. I. *Os.* 190. II. *Orare.* 191. III. *Vale.* 192. An liceant signa urbanitatis sine verbis. 193. An liceat resalutare, et reseribere. 194. IV. *Communio*, idest contrahere, cubare, habere societatem, etc. 195. V. *Mensa.* Quid si casu accidat. 196. Quale peccatum communicare cum vitando. 197. Peccat graviter communicans I. In Divinis. II. In eodem crimine. 198. An sit mortale communicare frequenter cum vitando. 199. In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem majorem. 200. In quibus casibus liceat cum vitando communicare. 201. Nempe utile. 202. Lex. 203. Humile. 204. Tria notanda. 205. Res ignorata. 206. Necesse. 207. Ultimo advertendum, quod etc. 208. Monitum.

DUBIUM IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio major? pag. 163.

ARTICULUS I

Quæ sint excommunicationes non reservatæ? pag. 164.

209. Excommunicationes contra omnes. 210. Contra Clericos. 211. Contra Religiosos. 212. Excommunicationes adjectæ a Tridentino. Dub. 1. An incurrant excommunicationem cogentes

puellas ingredi Monasteria , tantum ut educentur. Dub. 2. An cogentes ex metu reverentiali. Dub. 3. An cogentes mares. An impedientes ingressum puellæ. *ib.*

ARTICULUS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis ? pag. 173.

213. Excommunicatio I. in eum qui leviter percutit Clericum. II. In eos qui absolvuntur in articulo mortis, et postea non se præsentant Superiori. III. In Fratres minores, etc. IV. In procurantes abortum fœtus animati effectu secuto. V. In eos qui communicant in eodem crimine , etc. VI. Excommunicationes quas Episcopi sibi reservant. 214. De excommunicatione imposita ex Monitorio. 215. An obligatus revelare damnum , si non revelet. 216. An si obligatus revelare crimen emendatum. 217. Qui, facto Monitorio , excusentur a revelando.

ARTICULUS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ? pag. 176.

218. Excommunicationes reservatæ Papæ contra omnes. 219. Excommunicationes reservatæ contra Clericos , et Religiosos. 220. Specialiter agitur I. de excommunicatione contra duellantes , et cooperantes. 221. Agitur II. de excommunicationibus latis contra violantes clausuram Monialium. 222. Dub. 1. An Ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam , si non intrent prætextu facultatum. Dub.

2. An incurrant omnes introducentes in clausuram. 223. Dub. 3. An talis licentia debeat esse in scriptis. Dub. 4. An licentia debeat esse specialis. 224. Dub. 5. A quo debeat concedi. 225. Dub. 6. Quæ causa requiratur ad licentiam concedendam. 226. Plura notanda circa ingressum Medicorum, et aliorum Officialium. 227. De ingressu Confessariorum. 228. Dub. 7. An ingrediens cum licentia teneatur statim egredi. 229. De alia excommunicatione reservata in Moniales violàntes clausuram, et in alios cooperantes. 230. De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes clausuram Religiosorum. 231. Quæ feminæ excipiantur ab hac prohibitione. Et quæ domus veniant nomine Conventuum? 232. De prohibitione colloquendi cum Monialibus, juxta jus commune. Quid circa Regulares. 233. Dub. 1. An vetetur solus accessus sine collocutione. 234. Dub. 2. An loquentes per nutus, aut signa incurrant casum reservatum. 235. Dub. 3. An peccet graviter semel colloquens cum Moniali. 236. Dub. 4. An in tali locutione detur parvitas materiæ? et an detur in Regularibus. 237. Dub. 5. An liceat colloqui cum Moniali ob utilitatem, sine licentia. 238. Dub. 6. An cum Abbatissa. 239. Dub. 7. Qui eximantur ab hac prohibitione. 1. Consanguinei in primo, et secundo gradu. 2. Metu coacti. 3. Pauperes, et quæstuantes. 240. Dub. 8. An impuberes. 241. Dub. 9. An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo. 242. Dub. 10. An peregrini. 243. An Episcopi colloquentes cum Monialibus in aliena Diœcesi incurrant excommunicationem latam ab Ordinario loci. 244. DISSERTATIO super censuris circa sententias pertinentes ad Conceptionem B. V. Mariæ. Enunciantur Bullæ editæ super hac ma-

teria. 245. Quando incurrant pœnas contradictores piæ sententiæ. (*usque ad num.* 247.). 248. Quando ejus fautores. 249. Probatur pia sententia usque ad n. 262. 263. An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali.

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum? pag. 240.

264. Verba Canonis. 265. Quid intelligatur. I. per verba, *si quis*. An impuberes, et a quo ipsi possint absolvi. 266. Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes, etc. 267. Quomodo ratihabentes. 268. Quomodo non impedientes. 269. An qui tenentur impedire tantum ex charitate. 270. Quid intelligatur II. Per *Clericum*. 271. Quid per *Monachum*. An Eremitæ. 272. Quid III. per verba, *manus injecerit*. 273. An requiratur, ut percussio sit cum peccato mortali, et externe gravi. 274. Incurrit I. Clericum conspuens, vel alia gravi injuria afficiens. II. Violenter detinens, etc. III. Persequens eum, ut decidat. IV. Apprehendens equum, etc. V. Hæc agens, etiam Clerico consentiente. VI. Clericus seipsum percutiens; sed alii id negant. VII. Judex laicus percutiens Clericum, vel ecclesiasticus per laicum. 275. Non incurrit I. Fur clam furans. II. Percutiens jocose, vel casu. An pueri Clerici se percutientes. Et an defendentes se, vel suos, aut sua. III. Si absit mortale. IV. Percutiens Clericum per ignorantiam, aut inadvertentiam, aut per iram subitaneam. Dub. 1. Quid si quis percutit ignorans alterum esse Clericum, ani-

mo tamen comparatus quod percuteret, etiamsi sciret. Dub. 2. An excuset ignorantia crassa. Dub. 3. Quid si quis percutit Petrum Clericum credens Paulum Clericum. V. excusatur etiam Prælatus, aut Præceptor percutiens. An Pater. VI. Percutiens Clericum exercentem officium cauponis, etc. vel turpiter agentem, aut sollicitantem uxorem, aut consanguineam in primo gradu. Quando excusetur puella percutiens Clericum sollicitantem. 276. Quando Episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione. 277. Quæ percussio dicatur *levis*, quæ *gravis*, et quæ *enormis*. 278. Quot modis percussio levis possit fieri gravis. 279. Quinam possint absolvere a percussione levi, et quinam a gravi. 280. Dub. 1. An in dubio percussio judicanda sit levis, aut gravis. Dub. 2. An incurrat excommunicationem qui venenum dat Clerico.

ARTICULUS V.

Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ? pag. 258.

281. De excommunicatione in retinentes, legentes, etc. libros Hæreticorum. 282. Ad eam incurrendam requiritur I. ut auctor sit hæreticus. An legi possunt libri infidelium, vel Hebræorum. 283. II. Ut liber hæresim contineat, vel de religione agat. Quid si error abradatur, vel si auctor non sit damnatus ut hæreticus. Quid si quis legat ad confutandum Hæreticum. 284. III. Ut legatur materia notabilis. 285. Ut scienter legatur, etc. 286. Non incurritur I. Si legas librum referentem verba Hæreticorum. II. Si legas Scholia Hæreticorum. 287. An prohibeantur libri philosophici, vel qui incidenter hæresim conti-

nent? 288. Quinam libri prohibeantur in Indice. 289. Quot classes librorum prohibitorum Index constituat. 290. Ad quem spectet libros prohibere. 291. An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros hæreticos? Et an legere libros prohibitos ei, qui certus est lectionem non esse sibi obfuturam? (*Vide de hoc dicta l.* 1. *n.* 199. *in fine.*). 292. An incurrat qui legit procemium, indicem, etc.? An qui audit legere? Et quid si inducat ad legendum. 293. An qui legit scripturam brevem, vel manuscriptum. 294. An qui legit duas lineas, vel minus quam paginam. 295. An qui retinet parvo tempore. 296. An excusat ignorantia crassa? Quid si quis scit ex viro probo librum esse prohibitum. 297. An incurrat excommunicationem qui impedit ne liber comburatur, aut laudat stylum, etc. 298. An incurrat qui deponit librum prohibitum apud alium. 299. An qui eum comburit? A quo impetranda licentia legendi? 300. Ad incurrendam excommunicationem ob hæresim requiritur I. Ut sit Formalis. 301. Qu. 1. An incurrat errans ex ignorantia crassa, vel affectata. 302. Qu. 2. An qui dubitat circa res fidei. 303. Requir. II. Ut error externetur. 304. Requir. III. Ut manifestatio sit moraliter mala. Requir. IV. Animus profitendi errorem. 305. Vide alia advertenda. 306. Incurrunt etiam *credentes*, *fautores*, *receptores*, *et defensores*. 307. Qu. I. An qui favent Hæretico ob amicitiam, etc. 308. Qu. II. An qui Hæreticum recipit, ne capiatur, effectu non secuto. 309. Item incurrunt excommunicationem Bullæ I. Surripientes bona naufragantium. 310. II. Domini imponentes tributa. 311. Quinam alii incurrant excommunicationem Bullæ.

CAPUT III.

De Suspensione, et Degradatione.

DUBIUM I.

Quid sit Suspensio, quotuplex, et unde dignoscendum, qualis, et quanta sit?
pag. 279.

312. Quid est suspensio, et quis suspendi, aut suspendere potest. 313. An peccet graviter exercens actum, a quo est suspensus. 314. Dub. 1. An incurrat irregularitatem, si suspensio sit facta ad tempus. Dub. 2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem Pontificalia exercendo? Et quid si Missam solemniter celebret? An Sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat? Quid si toleratus? vel si sit suspensus tantum ab Ordine? 315. Quot modis possit ferri suspensio? 316. Qualitas suspensionis ex quo colligatur? Vide Resol. apud Busemb. Dub. 1. An suspensus a Beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus. Dub. 2. An suspensus a Beneficio censeatur suspensus etiam a Beneficiis, quæ possidet in aliena Diœcesi. 317. An suspensa communitate, sint singuli suspensi; et an isti incurrant irregularitatem. An suspensio debeat ferri in scriptis?

DUBIUM II.

Quæ sint suspensiones in particulari? et quis ab eis possit absolvere? pag. 290.

318. Quæ sint suspensiones Juris communiores Clericorum. 319. Quæ Religiosorum. 320. Quæ Episcoporum. 321. An quis possit suspendi ob culpam levem. 322. Quis possit absolvere a suspensione.

DUBIUM III.

Quid sit Depositio, et Degradatio? et a quo, et ob quam causam ferri possit? pag. 293.

323. Suspensioni subjunguntur Degradatio, et Depositio. 324. Definitur Degradatio. 325. Definitur Depositio. 326. A quibus Clerici possunt degradari. 327. In quibus casibus potest fieri Depositio.

CAPUT IV.

De Interdicto.

DUBIUM I.

Quid sit, et quotuplex? pag. 295.

328. Quid est interdictum. 329. Quotuplex est. 330. An interdicta Civitate, interdicantur suburbia? Et an Ecclesiæ Regularium? 331. Qui eximantur ab interdicto generali personali? Et an, interdicto Clero, interdicantur Religiosi,

vel Clerici non habentes beneficium, aut officium? 332. Quid si interdicantur cives, aut civitas.

DUBIUM II.

Qui sint effectus Interdicti? pag. 297.

333. Effectus interdicti sunt I. Prohibitio divinorum Officiorum. 334. II. Prohibitio Sacramentorum, excepto Baptismo, etc. 335. III. Prohibitio sepulturæ. 336. IV. Peccatum mortale, quod committitur a violantibus interdictum. Item irregularitas, quæ incurritur a Clericis, et excommunicatio a Religiosis.

DUBIUM III.

Quis censuram Interdicti ferre, et quis tollere possit? pag. 302.

337. Qui possint interdictum ferre? Et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis. 338. Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata. 339. Qui personalia particularia. 340. De cessatione a divinis.

CAPUT V.

De Irregularitate.

DUBIUM I.

Quid, et quotuplex sit irregularitas? pag. 305.

341. Definitio irregularitatis. An irregularitas sit censura. Dupliciter dividitur irregularitas.

DUBIUM II.

Quinam effectus Irregularitatis?
pag. 306.

342. Effectus irregularitatis sunt tres. I. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos. II. Impedire exercitium Ordinum. III. Invalidare collationem beneficii. An id valeat de beneficio simplici. 343. An collatio tunc sit ipso jure irrita.

DUBIUM III.

Quomodo incurratur, et tollatur irregularitas?
pag. 311.

344. An in dubio irregularitas incurratur. 345. Non incurritur, nisi in jure sit expressa. 346. Dub. 1. In dubio de irregularitate contracta quomodo quis se gerere debeat? Et quid si dubium sit juris. 347. Dub. 2. quid in dubio facti, præter homicidium. Dub. 3. Quid in dubio homicidii commissi. Dub. 4. Quid in dubio de animatione fœtus, si abortus fuerit patratus. 348. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis, et actus externus, ac consummatus. 349. Qu. I. Quid si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum. 350. Qu. II. An ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis. 351. Qu. III. An etiam scientia pœnæ. 352. Quot modis tollatur irregularitas. 353. Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare? Plura notanda. 354. Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam. 355. Prælati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare.

DUBIUM IV.

Quæ sint irregularitates ex delicto? pag. 327.

356. Irregularitas ex delicto incurritur I. ob *Baptismum iteratum*. 357. II. ob *violationem censuræ*. 358. Plura notanda. (An autem qui ordinatur ligatus censura, incurrat irregularitatem? *Vide dicta lib.* 6. *num.* 799. Dub. 3. *vers. Utrum.*). 359. III. ob *Exercitium actus Ordinis Sacri*, quem aliquis Clericus non habet. 360. IV. ob *malam susceptionem Ordinum*. 361. Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem. 362. V. ob *Crimina infamia et notoria*. 363. Requiritur notorietas facti, vel juris. Quæ sint crimina, et exercitia, quibus annexa est infamia. 364. Quomodo tollatur hæc irregularitas. 365. VI. ob *homicidium*, vel *mutilationem*. 366. De irregularitate ob homicidium *voluntarium*. 367. Hanc irregularitatem incurrunt I. Qui occidunt, vel mutilant. 368. Dub. 1. Quid si homicidam pœniteat ante mortem. 369. Dub. 2. Quid si unus feriat, sed alii occidant. 370. II. Incurrunt mandantes, vel consulentes homicidium, vel mutilationem. 371. Dub. 1. Quid in dubio an homicidium causatum fuerit ex mandato, sive consilio. 372. Dub. 2. Quid si homicida jam erat determinatus ad occidendum. 373. Dub. 3. Quid si consulens consilium revocet. 374. III. Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem, nempe 1. Excitantes. 2. Præliantes in bello injusto. 3. Ministrantes auxilium. 4. Accusantes, etc. 5. Associantes. 375. Dub. 1. An incurrant ratihabentes. 376. Dub. 2. An non impedientes.

377. De irregularitate ob homicidium, vel mutilationem *casualem*. 378. De mutilatione membrorum. 379. Dub. 1. Quid veniat nomine *membri*. 380. Dub. 2. An fiat irregularis qui abscindit testiculos. 381. Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare Episcopi. 382. Plura apud Busemb. et præsertim, an dans potum infirmo, vel eum admovens incurrat irregularitatem. Vide ibi n. 4. 383. Si quis dat operam rei licitæ, non fit irregularis, nisi apponat negligentiam mortaliter culpabilem. 384. Hinc excusatur I. Magister, et pater verberans, si etc. II. Equitans in equo feroci. III. Alens feram ligatam. IV. Reficientes tectum. V. Clericus in sacris, aut Monachus medens sine incisione, vel adustione. 385. Quid de Clerico beneficiato medente cum incisione. 386. Si quis dat operam rei illicitæ, non fit irregularis, si res non est periculosa. 387. Quid si periculosa. 388. Quid si quis occidat ad defensionem sui vel innocentis: et quid si adulter occidat maritum aggressorem. *Remissive ad lib.* 3. *n.* 396. *v. In ordine.* 389. An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum, etc. 390. quomodo tollatur irregularitas propter homicidium. 391. An Episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario. 392. Et quid si homicidium fuerit omnino occultum. 393. Quid si homicidium fuerit casuale. 394. An reputetur casuale homicidium patratum in rixa. 395. Et quid si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen. 396. Quomodo Prælati regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium, vel mutilationem cum subditis suis. Et quomodo cum laicis.

DUBIUM V.

Quæ irregularitates ex defectu?
pag. 366.

397. *Prima* ex defectu *Animæ*. Hinc sunt irregulares. I. *Amentes*, *Dæmoniaci* et *Epileptici*. 398. Distinctius agitur de amentibus. 399. De *Epilepticis*, et *Dæmoniacis*. 400. Quis possit dispensare in hac irregularitate. Et an Episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu. An saltem in dubio. An Prælati regulares. 401. II. Sunt irregulares *Illiterati*. 402. III. *Neophiti*. 403. *Secunda* ex defectu *corporis*, vel quia defectus impedit exercitium Ordinis, vel quia affert deformitatem. 404. Et primo *ob impedimentum exercitii* est irregularis I. *Cæcus*. 405. II. *Surdus*. 406. III. *Mutus* 407. IV. *Claudus*. 408. V. Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice, aut indice. 409. VI. Laborans febri, paralysi, etc. item abstemius etc. 410. Secundo *ob deformitatem* est irregularis I. ille cui deest membrum, nempe nasus, aut oculus. Quid si desint auriculæ. 411. II. *Leprosus*. 412. III. *Monstruosus*, nempe gibbosus, pigmæus, æthiops. 413. Not. 1. Quid si defectus superveniat Ordinibus. Not. 2. Quid si antecesserit. 414. Quis possit in hac irregularitate dispensare? An Papa cum cæco? An Prælati regulares. 415. Quid si defectus corporis advenerit ex propria culpa. Et an in eo possit dispensare Episcopus. 416. Quid de eunucho. 417. Quid si quis causam dederit abscissioni virilium. 418. Quid si quis amputet sibi testiculos ob vocem

servandam. 419. Et quid si quis tantum attentet se occidere, etc. 420. *Tertia* ex defectu *natalium*. 421. Illegitimi legitimantur I. Per Matrimonium subsequens. 422. An sufficiat, ut Matrimonium contrahatur tempore nativitatis. 423. Not. 1. Quid si Matrimonium fiat postquàm filius est ordinatus. Not. 2. Quid si Matrimonium non consummetur. 424. Not. 3. Quid si Matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte. 425. Not. 4. Quid si filii nascantur ex Matrimonio clandestino ob omissas denunciationes. 426. II. Legitimantur filii per *professionem religiosam*. 427. III. Per *Dispensationem Pontificiam*. 428. Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad Ordines minores, et ad beneficium simplex. 429. Dub. 1. Ad recipiendum Canonicatum. 430. Dub. 2. An cum illegitimo occulto. 431. Dub. 3. An saltem ad ministrandum in sacris Ordinibus jam susceptis. 432. Dub. 4. An filii *expositi* sint irregulares. 433. Principes seculares possunt legitimare tantum ad secularia. Quid in dubio an quis sit legitimus. 434. *Quarta* ex defectu *ætatis*. (*Remissive ad l.* 6. *n.* 799.). 435. *Quinta* ex defectu *Sacramenti*, idest ob Bigamiam. Vide quæ sunt apud Bus. 436. Triplex est bigamia, *vera*, *interpretativa*, *et similitudinaria*. I. Quænam sit *vera*. 437. II. Quæ *interpretativa*. Hæc contingit quatuor modis. *Primus* modus, cum quis ducit viduam. 438. *Secundus* modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio. 439. Dub. 1. Quid si credat virginem. 440. Dub. 2. Quid si invalide contrahat. 441. *Tertius* modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram. 442. Dub. 1. Quid si adulterium fuerit occultum. 443. Dub. 2. Quid si cognoscit ignorans adulterium. 444. *Quartus*

modus, cum quis contrahit duo Matrimonia, unum validum, aliud nullum. 445. Dub. 1. Quid si utrumque fuerit nullum. 446. Dub. 2. Quid si cum bona fide 447. Dub. 3. Quid si ficte ineatur secundum Matrimonium. 448. III. Quænam sit bigamia *similitudinaria*. 449. An hanc irregularitatem incurrant etiam Clerici in sacris. 450. Quomodo tollatur irregularitas ex bigamia? An Papa possit in ea dispensare. 451. An Episcopi. 452. An saltem quoad Ordines minores, et ad beneficia simplicia? An in bigamia similitudinaria. 453. An Prælati regulares possint dispensare cum suis subditis in omni bigamia. 454. *Sexta* ex defectu *famæ*. 455. *Septima* ex defectu *libertatis*. Hinc sunt irregulares I. Servi. 456. II. Conjugati. III. Curiales. IV. Milites, et administratores publici, atque exercentes sævia, aut turpia. 457. *Octava* ex defectu *lenitatis*. 458. An sit irregularis, qui occidit in defensionem honoris, (*vide etiam dicta n.* 389.). 459. Fiunt irregulares ex hoc defectu I. Qui occidunt in bello; sed quando. 460. An qui hortatur in bello ad occidendum. 461. II. Qui in judicio concurrunt ad mortem, vel mutilationem. Modo ipsi I. *Cooperentur*. 462. II. *active*. 463. III. *efficaciter*. An peccent Clerici assistentes supplicio. 464. IV. *Proxime*. An peccet Confessarius, vel alius consultus a Judice respondens aliquem in particulari esse plectendum. 465. Qui possunt excusari. An omnes qui non concurrunt ut ministri ad causæ probationem, vel executionem. 466. V. *Per actionem ex natura sua ad id ordinatam*. 467. Quomodo vetitum sit Clericis, et Monachis se intromittere in causam sanguinis. 468. Fiunt autem irregulares I. Judices. II. Testes voluntarii. III. Accusatores, etc.

Quid si accuset Clericus? et quid si causa sit propria, vel aliena. 469. An in hac irregularitate possit dispensare Episcopus, si fuerit occulta. An Prælati regulares. 470. Adnotantur uttimo facultates quas habet S. Pœnitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis, etc.

Ad Lectorem monitum. pag. 417
Elenchus propositionum etc. 419
Praxis Confessarii ad bene excipiendas Confessiones ab eodem auctore edita ad instructionem tyronum Confessariorum. 443

INDEX CAPITULORUM IN HAC PRAXI CONTENTORUM.

INtroductio. *n.* 1.
CAP. I. De Officiis Confessarii. *n.* 2.
§. I. Circa Officium Patris. Ubi agitur de Charitate quam adhibere debet Confessarius in excipiendis et audiendis Pœnitentibus. *n.* 3.
§. II. Circa Officium Medici. *n.* 6. Ubi agitur de modo et tempore quando Confessarius corripere debet Pœnitentem. *n.* 7. Ignorantem instruere. *n.* 8. Disponere ad Absolutionem. *n.* 10. Imponere illi pœnitentiam, et remedia præbere ad perseverandum. *n.* 11. *et seq.*
§. III. Circa officium Doctoris. Ubi agitur de scientia qua indiget Confessarius. *n.* 17.
§. IV. Circa Officium Judicis. *n.* 19. Et hic agitur specialiter de obligatione examinandi

Rusticos, et de judicio formando peccatorum eorumdem. *n.* 20.

CAP. II. De Interrogationibus adhibendis cum rudibus Pœnitentibus. *n.* 21.

Circa I. Præceptum. Et hic agitur de rebus scitu necessariis quoad Mysteria Fidei, et salutem æternam. De superstitione et sacrilegio in recitandis peccatis propter ruborem. De pœnitentiis omissis, et de scandalo. *n.* 22. *et* 23.

Circa II. Præceptum. Hic agitur de falsis Juramentis. *n.* 24. De Votorum transgressione, ac de ipsorum commutatione et dispensatione. *n.* 25. *et* 26. De Blasphemia, et de Maledictione *Mortuorum*, etc. *n.* 27. *et seq.*

Circa III. Præceptum. Ubi agitur de obligatione audiendi Missam. *n.* 32. Et abstinendi ab operibus servilibus in diebus festis. *n.* 33.

Circa IV. Præceptum. Ubi agitur de obligatione Filiorum erga Genitores. *n.* 34. Et Genitorum erga Filios; Ac de obligatione mutua Conjugum. *n.* 35.

Circa V. Præceptum. Ubi agitur primo de Desideriis damnorum Proximi. *n.* 36. Secundo de Contumeliis, et de obligatione restituendi honorem ablatum. *n.* 37. Tertio de Remissione injuriarum facienda offensoribus. *num.* 38.

Circa VI. et IX. Præceptum. *n.* 39. *et seq.*

Circa VII. Præceptum. Ubi agitur de pluribus doctrinis practicis quoad furta et restitutiones bonorum. *n.* 42. *et seq.*

Circa VIII. Præceptum. Ubi agitur de obligatione restituendi famam. *n.* 45. Et de Judiciis temerariis, *n.* 46. Hicque aliqua adduntur de Jejunio. *n.* 47.

CAP. III. De Interrogationibus adhibendis cum Pœnitentibus diversi status, et conditionis, qui sunt negligentes circa res ad conscientiam spectantes. Et I. Cum Sacerdotibus. *n.* 49. II. Cum Confessariis. *num.* 51. III. Cum Parochis. *n.* 52. IV. Cum Episcopis. *n.* 53. V. Cum Monialibus. *n.* 54. VI. Cum Judicibus, et Tabellionibus. *n.* 55. *et* 56. VII. Cum Medicis. *n.* 57. Et hic speciatim agitur de obligatione quam ipsi habent curandi, ut infirmi Confessionem faciant. VIII. Cum Pharmacopolis. *n.* 58. IX. Cum Negotiantibus. *n.* 59. X. Cum Sartoribus. *n.* 60. XI. Cum Proxenetis, et Venditricibus. *n.* 61. XII. Cum Barbitonsoribus. *n.* 62. Et hic sermo fit de Viris crines mulierum componentibus.

CAP. IV. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi. *n.* 63. *et seq.*

CAP. V. Quomodo cum Consuetudinariis, et Recidivis. *n.* 70. *et seq.* Et signanter cum Ordinandis, in aliquo vitio habituatis, qui inhiant suscipere Ordinem sacrum. 78. *et* 79.

CAP. VI. Quomodo cum Pœnitentibus qui habent I. aliquam censuram, aut casum reservatum. *n.* 80. 81. *et* 82. Aut II. obligationem denunciandi. *n.* 83. Aut III. Impedimentum Matrimonii dirimens. *n.* 84. *et* 85. Vel impediens a petendo debitum. *n.* 86. Hic adnotantur *Formulæ* ad obtinendam Dispensationem a S. Pœnitentiaria in impedimentis, votis, et irregularitatibus. *n.* 87. *Formula* exequendi Dispensationem. *n.* 88.

CAP. VII. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum quibusdam diversi generis.

§. I. Quomodo cum Pueris, Adolescentibus, et Puellis; Et hic agitur signanter de examine adhibendo cum pueris. *n.* 90. Et deinde de Absolutione ipsis impertienda. *n.* 91. Hic quoque agitur de Electione status. *n.* 92. *et seq.*

§. II. Quomodo cum Scrupulosis. *num.* 95. *et seq.*

§. III. Quomodo cum Devotis. *n.* 99. 100. *et* 101.

§. IV. Quomodo cum Mutis, et Surdis. *n.* 102. *et* 103.

§. V. Quomodo cum Moribundis. *num.* 105. *ad* 107.

§. VI. Quomodo cum capite Damnatis. *num.* 108. Et specialiter cum Damnatis obstinatis. *n.* 109.

§. VII. Quomodo cum iis, qui a Dæmonibus infestantur, aut cum ipsis carnale commercium habent. *n.* 110. *ad* 118.

CAP. VIII. De Prudentia Confessarii, et I. Circa electionem opinionum. *num.* 114. *et* 115. II. Circa correctionem errorum ab ipso Confessario commissorum in administratione Sacramenti. *n.* 116. III. Circa custodiam Sigilli Sacramentalis. *n.* 117. *et* 118. IV. In excipiendis Mulierum Confessionibus, et de modo agendi cum eisdem. *n.* 119. *et* 120.

CAP. IX. Quomodo se gerere debeat Confessarius in directione Personarum spiritualium. *n.* 121.

§. I. Circa Orationem Meditationis. *n.* 122. *et seq.*

§. II. Circa Orationem Contemplationis. *n.* 126. Et hic agitur de naturali animi Recollectione, sive de Otio Contemplativo.

n. 127. De Ariditate supernaturali, distinguendo sensibilem a substantiali. *n.* 127. *ad* 131. De Contemplatione Affirmativa, et Negativa. *n.* 132. De Recollectione supernaturali. *n.* 133. De Oratione Quietis. *n.* 134. De Caligine. *n.* 135. De Unione Activa, et Passiva. *n.* 136. De Desponsatione spirituali, et de Extasi, Raptu, et Spiritus Volatu. *n.* 137. De Matrimonio Spirituali. *n.* 138. De Visionibus. *n.* 139. *et* 140. De Locutionibus. *n.* 141. De Revelationibus. *n.* 142. Directio circa omnia enunciata dona supernaturalia. *n.* 143. *et* 144.

§. III. Circa Mortificationem. *n.* 145. *et seq.*

§. IV. Circa frequentiam Sacramentorum, et præsertim Eucharistiæ. *n.* 148. *et seq.*

§. V. Directio Animæ quæ cupiat dirigi per tramitem perfectionis. *n.* 156. *et seq.*

CAP. X. De quibusdam Monitis, magis notatu dignis, ad Confessarios, et Parochos cum Praxi docendi Orationem Mentalem.

§. I. Monita ad Confessarios. *n.* 172. *et seq.*

§. II. Monita ad Parochos. *n.* 195. *et seq.*

§. III. Praxis Orationis Mentalis. *num.* 217. *et seq.*

CAP. XI. et ULTIMUM. Brevis Praxis assistendi infirmis. *n.* 227. *et* 228.

§. I. Monita ad Sacerdotem assistentem. *n.* 229. *et seq.*

§. II. Remedia contra tentationes. *n.* 237. *et seq.*

§. III. Motiva et Affectus piis Infirmis suggerendi. *n.* 254. *et seq.*

§. IV. Monita circa extrema Sacramenta; et I. Circa Confessionem. *n.* 264. II. Circa Communionem. *n.* 265. *et seq.* III. Circa Extremam Unctionem. *n.* 273. *et seq.*

§. V. Monita respectu ad Agoniam, et Mortem. *n.* 276. *et* 277.
§. VI. Affectus suggerendi tempore Agoniæ, et Spirationis. *n.* 278. *et* 279.
§. VII. Indicia proximæ mortis. *num.* 280. *et seq.*
§. VIII. et Ultimus. Preces, Actus Christiani, et Formulæ plurium Benedictionum.
Preces et Actus. *n.* 284. 285. *et* 286.
Benedictio in Articulo Mortis. *n.* 287. *et seq.*
Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo. *n.* 290.
Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum. *n.* 291.
Benedictio Scapularis Conceptionis Immaculatæ Dei Matris. *n.* 292.

Finis Tomi Noni.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google



Digitized by Google